BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
FONDO EBORENSE
31
2 B
2

THEOLOGIÆ MORALIS SUMMA,

IN QUA

Per traditas diſtinctiones, brevia, ac facile firmantur theoremata ad quoslibet Conſcientiæ Caſus reſolvendos accommodata.

AUCTORE

CLEMENTE PISELLI

AB OLIBANO

Clericorum Regul. Minorum

In Romano Sapientiæ Archigymnaſio Ethicæ Profeſſore.

PARS II., ET III.

VITTORIO EMANUELE
BIBLIOTECA
IN ROMA

VENETIIS, MDCCXCI.
TYPIS MODESTI FENZI.
Superiorum Permiſſu, ac Privilegiis.

THEOLOGIÆ MORALIS

SUMMÆ

PARS SECUNDA.

De Sacramentis.

MEdia, quibus homo ex origine, vel ex præceptorum tranſgreſſione peccans juſtificatur, aut magis juſtus efficitur, ſunt Sacramenta novæ legis, quæ cum ad Theologiam Moralem pertineant, quatenus conferenda, ac ſuſcipienda ſunt valide, & licite; de iis ſub hac ratione tam in genere, quam in ſpecie in hac ſecunda Parte tractabitur.

TRACTATUS I.

De Sacramentis in genere.

SAcramentum, quod *eſt ſignum ſenſibile a Chriſto inſtitutum ad ſignificandam, & cauſſandam gratiam*, cum ſit compoſitum morale, quod ad inſtar compoſiti phyſici conſtituitur intrinſece per materiam, & formam; extrinſece autem per Miniſtrum, & ſubjectum, ac ex opere operato ſuum præſtet effectum; de quadruplici hoc conſtitutivo, ejuſque effectu in hoc tractatu agetur.

CAPUT I.

De Sacramenti materia.

MAteria Sacramenti eſt duplex, remota ſcilicet, & proxima: remota eſt res, quæ in Sacramento adhibetur, ut in Baptiſmate aqua, & in Chriſmate oleum: proxima vero eſt actio, qua res adhibetur, ut in Baptiſmate ablutio, & in Chriſmate unctio. Utraque hæc materia in conficiendo Sacramento, ut adhibeatur valide, adhibenda eſt juxta Chriſti inſtitutum, & ut adhibeatur licite, adhibenda eſt juxta Eccleſiæ præſcriptum. Sed quia poteſt contingere, ut a Miniſtro non rite adhibeatur; difficultas eſt, an, & quando adhibeatur invalide, vel illicite. Pro quo hæc traditur diſtinctio:

Si materia Sacramenti eſt remota, adhibetur invalide, quoties mutatur ſubſtantialiter.

Si eſt proxima, adhibetur invalide, quoties forma non coexiſtit moraliter.

Si alterutra eſt alterata, vel incerta, adhibetur illicite, quoties non adeſt neceſſitas.

Ratio eſt; quia ſi materia remota mutatur ſubſtantialiter, cum tranſeat in diverſam ſpeciem, non eſt amplius ea, quam Chriſtus inſtituit. Si proxima non coexiſtit formæ moraliter, non poteſt eſſe pars Sacramenti utpote compoſiti moralis. Si eſt alterata, fit contra præceptum Eccleſiæ, & ſi eſt incerta, ſubitur nullitatis periculum, citra tamen neceſſitatem, cum tunc concurrat jus fortius, & adhibita tunc conditione, ne Sacramentum fiat invalide.

Unde reſolvitur.

Si in Baptiſmo adhibetur aqua ita commixta cum aliquo liquore, ut deſinat eſſe aqua, vel in Euchariſtia vinum ita corruptum, ut deſinat eſſe vinum, adhibetur invalide; quia tunc materia remota Sacramenti mutatur ſubſtantialiter. Secus vero ſi commixtio, vel corruptio non ſit notabilis, itaut adhuc remaneat aqua, vel vinum; quia licet tunc etiam mutetur, non tamen mutatur ſubſtantialiter, ſed ſolum accidentaliter.

Si in Baptiſmate fit ablutio, vel in Chriſmate

ta unctio ante, vel poſt prolationem verborum per ſpatium notabile, itaut ſecundum hominum exiſtimationem non cenſeatur fieri eodem tempore, fit invalide; quia materia proxima Sacramenti, non coexiſtit formæ nec phyſice, nec moraliter. Secus vero ſi anticipetur, vel poſticipetur per ſpatium breve, ita ut cenſeatur fieri eodem tempore; quia tunc licet materia proxima Sacramenti formæ non coexiſtat phyſice; coexiſtit tamen moraliter.

Si in Baptiſmo adhibetur aqua, aut ablutio præter Eccleſiæ præſcriptum, vel in pœnitentia ponitur ſolum peccatum dubium, aut deſunt ſigna contritionis, quamvis Sacramentum conferatur ſub conditione, adhuc fit illicite; quia materia remota, vel proxima eſt alterata, vel incerta. Secus vero ſi materia inalterata, vel certa non poſſit haberi, & baptizandus, vel pœnitens ſit moriturus (dummodo in caſu materiæ incertæ adhibeatur conditio); quia tunc adeſt neceſſitas. *De his agit D. Antoninus in Sum. p. 3. tit. 14. c. 13. §. 1. Vide Card. de Lugo de Sacram. diſp. 2. ſect. 6.*

CAPUT II.

De Sacramenti forma.

FOrma Sacramenti conſiſtit in verbis, quæ ex inſtitutione Chriſti præſcribit Eccleſia, nec ullum ex præſcriptis verbis licet immutare, minuere, tranſponere, aut diverſo idiomate exprimere, vel aliud addere, aut extra caſum dubii reiterare ſupra eamdem materiam ſub peccato gravi, niſi ab hoc excuſet ignorantia, aut neceſſitate extrema, ut poteſt accidere obſtetricibus, vel aliis baptizantibus moriturum. Cum igitur in quolibet Sacramento mutatio formæ ſit illicita ſemper; difficultas eſt, an, & quando ſit etiam invalida, vel non. Pro quo hæc traditur diſtinctio:

Si forma Sacramenti mutatur ad profitendum errorem, eſt invalida ſemper.

Si mutatur ex alia cauſſa, eſt invalida, quoties non ſignificat idem moraliter.

Alias eſt valida.

Ratio eſt; quia quando forma mutatur ad profitendum errorem; miniſter non intendit facere quod Chriſtus inſtituit, vel quod facit Eccleſia, ut ad validitatem Sacramenti requiritur. Quando vero forma mutatur ex alia cauſſa; tunc ejus validitas, vel invaliditas deſumitur a ſignificatione, quæ utpote inſtituta ex placito hominum, eatenus cenſetur adeſſe, vel non adeſſe; quatenus ita fert communis exiſtimatio, quod idem declaratur *in can. retulerunt de conſecr. diſt.* 4.

Unde reſolvitur.

Si in conſecratione panis pro *hoc* proferatur *hic* eſt corpus meum, intelligendo ly *hic* adverbialiter ad proteſtandum non fieri tranſubſtantiationem, ſed impanationem, forma eſt invalida; quia mutatur ad profitendum errorem. Idem dicendum eſt ſi conſecrationi addatur in *commemorationem* ad proteſtandum Corpus Chriſti eſſe figuratum; quia forma adhuc mutatur ad profitendum errorem.

Si in prolatione formæ verba adduntur, minuuntur, poſtponuntur, vel alio modo variantur, itaut non fiat ſenſus diverſus, forma eſt valida; quia licet mutetur, adhuc tamen ſignificat idem. Secus vero ſi tollatur, vel addatur minima particula, itaut fiat ſenſus diverſus; quia licet forma mutetur in re minima; adhuc tamen non ſignificat idem.

Si in prolatione formæ committitur ſolæciſmus, ut ſi a baptizante dicatur — in nomine patria — vel barbariſmus, ut ſi a conſecrante dicatur — hic eſt calis — forma eſt valida; quia licet per talem mutationem non ſignificet idem grammaticaliter; ſignificat tamen idem moraliter. Secus autem ſi ponatur unum nomen pro alio, cujus ſignificatio ſit diverſa, ut ſi a baptizante etiam ex lapſu linguæ dicatur — in nomine panis — vel a conſecrante dicatur — hic eſt clavis — quia tunc forma per talem mutationem non ſignificat idem nec grammaticaliter, nec moraliter. *De his agit D.Th. p.* 3. *q.* 60. *art.* 4. *in corp.*

CA-

CAPUT III.

De Sacramenti Miniſtro.

CUm Miniſter Sacramenti debeat agere in virtute Chriſti, ac modo humano; ut agat in virtute Chriſti requiritur in eo poteſtas, quæ *eſt facultas ad agendum*, & hæc quoad Baptiſmum, ac Matrimonium habetur ex propria capacitate; quoad Pœnitentiam habetur ex Ordine, ac juriſdictione; quo vero ad alia Sacramenta habetur ex ſolo Ordine. Ut autem agat modo humano, requiritur intentio, quæ *eſt actus liber voluntatis in finem*, & hæc quando habetur hic & nunc, dicitur actualis; quando non habetur, ſed eſt habita, nec retractata, tunc ſi ex vi ipſius agitur, dicitur virtualis, ſi ex vi ipſius non agitur, dicitur habitualis, quando vero intentio non habetur, nec fuit habita, ſed ex circumſtantiis præſumitur habenda, dicitur interpretativa. Inſuper cum Miniſter Sacramenti debeat eſſe fidelis, ac prudens, tamquam fidelis requiritur, ut præſtet quæ præſcribuntur a Chriſto, & ab Eccleſia, & tamquam prudens requiritur, ut juxta circumſtantias quod magis in Domino expedit, exequatur. Sed quia in eo alia requiruntur ad faciendum valide, & alia ad faciendum licite; ad dignoſcendum quandonam Miniſter Sacramentum conficiat valide, ac licite, vel non; hac traditur diſtinctio:

Si miniſter cum poteſtate habet intentionem actualem, vel virtualem juxta Chriſtum, vel Eccleſiam, conficit Sacramentum valide, quoties ſervat eſſentialia, nec ponit conditionem de futuro.

Si eſt deputatus, ac diſpoſitus, facit Sacramentum licite, quoties ſervat ritus, nec miniſtrat indigne, ſecluſo neceſſitatis caſu.

Ratio quoad poteſtatem eſt; quia per hanc Miniſter habet virtutem a Chriſto: quoad intentionem actualem, vel virtualem; quia ſolum per hanc utpote voluntariam actio Sacramentalis fit modo humano: quoad intentionem juxta Chriſtum, vel Eccleſiam; quia per hanc conformitatem Miniſter agit ex virtute Chriſti: quoad ſervanda

eſſentialia; quia hæc ſunt conſtitutiva Sacramenti: quoad conditionem; quia ſi hæc eſt de futuro, ſuſpenditur effectus, & ante verificationem non datur intentio, poſt verificationem non habetur materia, ac forma. Quo vero ad alia pro faciendo licite; quia ſancta ſunt ſancte tractanda, niſi excuſet neceſſitas ex concurſu juris fortioris.

Unde reſolvitur.

Qui habet juriſdictionem, ſed non ordinem, in nullo caſu a peccatis abſolvit valide; quia cum ordo non poſſit ſuppleri; agit ſine poteſtate. E contra qui habet ordinem, ſed non juriſdictionem, in caſu neceſſitatis extremæ, vel quando adeſt error communis cum titulo colorato abſolvit valide; quia cum in neceſſitate extrema juriſdictio habeatur ab Eccleſia, & in errore communi cum titulo colorato juriſdictio ſuppleatur ab Eccleſia; agit cum poteſtate.

Qui habuit intentionem non retractatam, & poſtea agit in ebrietate, vel in alio ſtatu, in quo non ſit ſui compos, facit Sacramentum invalide; quia cum non agat ex vi prioris diſpoſitionis; habet ſolum intentionem habitualem, etiamſi præſumatur, quod ex vi ipſius eſſet acturus, ſi adverteret; quia tunc habet intentionem interpretativam. E contra conficit Sacramentum valide, ſi ad illud ſe præparet, & ponat materiam, & formam, quamvis de intentione non cogitet; quia tunc implicite habet intentionem actualem, etiamſi poſt præparationem ad alia fuerit diſtractus; quia cum tunc agat ex vi prioris diſpoſitionis; habet intentionem virtualem. *Lugo de Sacram. diſp.* 8. *n.* 89. *&* 102.

Qui non credit Eccleſiæ, ſed baptizat animo faciendi quod inſtituit Chriſtus, vel qui non credit Chriſto, ſed baptizat animo faciendi quod faciunt Chriſtiani, conficit Sacramentum valide; quia ejus intentio eſt juxta Chriſtum, vel Eccleſiam. E contra etiamſi credat Chriſto, & Eccleſiæ, ſed baptizet ſine hoc animo, facit Sacramentum invalide; quia licet adſit intentio, hæc tamen non eſt juxta Chriſtum, vel Eccleſiam. *Bonac. de Sacram. diſp.* 1. *q.* 3. *punct.* 2. §. 3. *n.* 9.

Qui abſolvit a peccatis excommunicatum exiſten-

ſtentem in bona fide, non præmiſſa abſolutione a cenſuris, vel nulla impoſita ſatisfactione, facit Sacramentum valide; quia hæc, quæ non ſervat, utpote non pertinentia ad materiam, ac formam, non ſunt eſſentialia. E contra facit Sacramentum invalide, ſi ipſum abſolvat a peccatis, quorum nullum confiteatur, vel ſi ſciat ipſum non eſſe diſpoſitum per contritionem, ac propoſitum; quia tunc ex defectu materiæ remotæ, vel proximæ per ipſum pœnitentem ponendæ, non ſervat eſſentialia.

Qui facit Sacramentum ſub conditione, quod aliqua res ſit peracta, vel peragatur, quamvis ſit contingens, vel incognoſcibilis; ea verificata, facit illud valide; quia conditio eſt de præterito, vel de præſenti. E contra qui facit Sacramentum etiam Matrimonii ſub conditione, quod aliqua res ſit peragenda, quamvis ſit neceſſaria, ac cognoſcibilis; facit illud invalide; quia conditio eſt de futuro. B*onac. loco cit. q.* 3. *punct.* 2. §. 3. *n.* 18. & 19.

Qui ſervat omnia requiſita eſſentialia, quamvis Sacramentum conficiat valide; facit tamen illicite, ſi a Superiore Eccleſiaſtico non ſit conſtitutus Miniſter; quia non eſt deputatus; vel ſi exiſtens in peccato non conteratur, & habens copiam Confeſſarii etiam non confiteatur; quia non eſt diſpoſitus; vel non agat juxta Eccleſiæ præſcriptum; quia non ſervat ritus; vel ſciat ſuſcipientem non eſſe diſpoſitum, in quo diſpoſitio non ſit eſſentialiter requiſita; quia tunc miniſtrat indigno. E contra illud facit licite, ſi periculum ſit in mora, vel ex denegatione immineat ſcandalum, aut aliud malum grave (dummodo non miniſtret indiſpoſito); quia tunc adeſt neceſſitatis caſus. *De his agit D. Th. p.* 3. *q.* 65. *a.* 6. 8. & 10. & *q.* 80. *art.* 6. *Vide Card. de Lugo, de Sacram. diſp.* 8. *ſect.* 9.

C A P U T IV.

De Sacramenti ſubjecto.

CUm omne Sacramentum (Euchariſtia excepta) conſiſtat in uſu; ad ipſum valide conficien-

dum, præter materiam, formam, ac miniſtrum, requiritur etiam ſubjectum, ideſt homo ſuſcipiens, qui ſi Sacramentum recipit ante uſum rationis (Pœnitentia, extrema Unctione, ac Matrimonio ex defectu capacitatis exceptis) omne aliud recipit valide, quamvis licite non poſſit ei conferri niſi ſolus Baptiſmus: ſi vero Sacramentum recipit poſt uſum rationis; tunc ſolum recipit valide, quando intentionem ſaltem virtualem, vel in extrema unctione intentionem ſaltem habitualem ſuſcipiendi habet, ut notat Bonac. *de Sacr. diſp.* 1. *qu.* 6. *punct.* 2. *n.* 8. ad differentiam Miniſtri, pro quo intentio habitualis non ſufficit, cum active, ac nomine Chriſti operetur; licite autem recipit, quoties eſt ſufficienter diſpoſitus. *Sed* quia ſæpe contingit, ut in neceſſitate Sacramenti conferendi moribundo de ejuſdem intentione, ac diſpoſitione non conſtet; difficultas eſt, an, & quando ei Sacramentum conferatur licite, vel non. Pro quo hæc traditur diſtinctio:

Si moribundus eſt ſui compos, Sacramentum ei confertur licite, quoties ab eo intentio, ac diſpoſitio aliquo ſigno exprimitur.

Si non eſt ſui compos, Sacramentum ei confertur licite, quoties in eo intentio, ac diſpoſitio aliquo modo præſumitur.

Alias ſecus.

Ratio eſt; quia cum ad conferendum moribundo adulto Sacramentum licite, debeat in eo rationabiliter ſupponi intentio, ac diſpoſitio; hæc eatenus rationabiliter ſupponitur in rationis compote, quatenus ab ipſo utpote ad exprimendum habili, aliquo ſigno oſtenditur; in impote autem utpote ad exprimendum inhabili, quatenus ex præſumptione aliquo modo arguitur.

Unde reſolvitur.

Moribundo, qui dignoſcitur eſſe ſui compos, licite confertur Baptiſmus quando eſt infidelis, & pœnitentia, ac extrema Unctio quando eſt baptizatus, ſi Miniſtro interroganti, ac actus requiſitos ſuggerenti, cui reſpondere non poteſt, ſaltem annuat nutu, geſtu, vel contrectatione manus; quia tunc ab eo intentio, ac diſpoſitio aliquo ſigno expri-

exprimitur. Secus autem ſi taliter non annuat, etiamſi attente audire, ac intelligere oſtendat; quia tunc ab eo intentio, ac diſpoſitio nullo ſigno exprimitur.

Moribundo, qui dignoſcitur non eſſe ſui compos, licite confertur Baptiſmus, ſi eſt Catechumenus, vel ſcitur eſſe ad Chriſtianam Fidem diſpoſitus; quia ex hac circumſtantia in eo intentio, ac diſpoſitio præſumitur. Secus autem ſi ſuſcipiendæ fidei numquam dedit indicium; quia in eo intentio, ac diſpoſitio nullo modo præſumitur.

Moribundo baptizato, qui dignoſcitur non eſſe ſui compos, licite confertur abſolutio ſub conditione, & extrema Unctio abſolute, ſi catholice quamvis immorigerate vixerit; quia ex circumſtantia Religionis in eo intentio, ac diſpoſitio præſumitur. Secus vero ſi hæretice, quamvis morigerate vixerit; quia ex circumſtantia infidelitatis, in eo intentio, ac diſpoſitio nullo modo præſumitur. *Vide Cardin. de Lugo, de Sacram. diſp.* 9. *an.* 127.

CAPUT V.

De Sacramenti effectu.

Effectus Sacramenti eſt duplex, unus particularis, & alter communis; particularis eſt character, qui ſolum producitur a Baptiſmo, Confirmatione, & Ordine, & ideo hæc tria Sacramenta non ſunt reiterabilia: communis autem eſt gratia, quæ producitur a quolibet Sacramento, de quo duplici effectu cum ſit diſtinctim agendum; ideo ſit

§. I. *De Charactere.*

Character eſt *qualitas ſpiritualis animæ per modum ſigni impreſſa*, ratione cujus homo redditur aptus, vel ad Sacramenta recipienda, quod præſtat character Baptiſmi, vel ad ea miniſtranda, quod præſtat character Ordinis, vel ad opera fidei exercenda, quod præſtat character Confirmationis. Triplex hic character cum ordinetur ad diverſos actus, alter differt ſpecie ab altero: cum ſit impreſſus a Deo, non poteſt tolli ab homine, &

cum animæ indelebiliter inhæreat, etiam poſt mortem perſeverat. Sed quia non ſemper, ac Sacramentum illum producens ſuſcipitur, character imprimitur; ad dignoſcendum quando imprimatur, vel non; hæc traditur diſtinctio:

Si ſuſcipitur Baptiſmus, *character imprimitur, quoties ſervantur eſſentialia.*

Si ſuſcipitur Confirmatio, vel Ordo, character imprimitur, quoties inſuper eſt ſuſceptus Baptiſmus.

Alias non imprimitur.

Ratio eſt; quia cum character imprimatur quando conficitur Sacramentum utpote ipſius productivum; hoc eatenus conficitur, quatenus ſervantur eſſentialia; & cum Baptiſmus ſit Sacramentorum janua; eatenus Confirmatio, & Ordo adhuc ſervatis eſſentialibus conficitur, quatenus eſt ſuſceptus Baptiſmus.

Unde reſolvitur.

Si confertur Baptiſmus adulto, cui inculpabiliter deficiat intentio Miniſtri, vel materia, aut forma valida, character non imprimitur; quia licet in ſuſcipiente adſit diſpoſitio; non tamen ſervantur eſſentialia. E contra character imprimitur, ſi nihil præter dignam præparationem deficiat; quia licet tunc in ſuſcipiente non adſit diſpoſitio; ſervantur tamen eſſentialia.

Si confertur Ordo baptizato nondum Confirmato, dummodo eſſentialia ſerventur, character imprimitur; quia licet ordinatio ſit illicita, ab ordinato tamen eſt ſuſceptus Baptiſmus. E contra ſi conferatur Confirmatio, vel Ordo Catechumeno etiam ex ignorantia facti invincibili; adhuc ſervatis eſſentialibus, character non imprimitur; quia ab eo non eſt ſuſceptus Baptiſmus. *Vide* Bonac. *de Sacram. diſput.* 1. *quæſt.* 5. *punct.* 3.

§. II. *De Gratia.*

Gratia eſt *qualitas ſpiritualis animæ per modum habitus infuſa, qua homo redditur juſtus,* & hæc producitur ab omnibus Sacramentis, quorum duo, ſcilicet Baptiſmus, ac Pœnitentia, cum gratiam in ſuſcipientibus non præſupponant, ideoque dicantur Sacramenta mortuorum; cauſſant primam gratiam: cetera vero, cum gratiam in ſuſcipientibus præſupponant, ideoque dicantur Sacramenta

ta vivorum, cauſſant ſecundam gratiam, ideſt gratiæ augmentum; per accidens autem aliquando Sacramenta vivorum cauſſant primam gratiam, quando ſcilicet ea recepturus eſt in peccato, ſed ita diſponitur, ut ex eorum virtute ex attrito fiat contritus: ſicuti etiam Sacramenta mortuorum aliquando per accidens cauſſant ſecundam gratiam, quando ſcilicet baptizandus eſt juſtificatus per caritatem, cujus actum elicuit dum habebat Baptiſmum in voto, vel pœnitens non habet peccatum grave, aut eſt juſtificatus per contritionem perfectam. Tam prima, quam ſecunda gratia producitur ex opere operato, ideſt ex virtute ipſius Sacramenti, major, vel minor juxta diſpoſitionem ſubjecti: dummodo tamen non adſit obex, quem in Sacramentis vivorum ponit peccatum mortale, & in Sacramentis mortuorum ponit indiſpoſitio recipientis, poteſtque contingere vel bona fide, quando ſcilicet adeſt inadvertentia, aut ignorantia invincibilis, & tunc non cauſſatur gratia; vel poteſt contingere mala fide, quando ſcilicet inadvertentia, & ignorantia non adeſt vincibilis, & tunc committitur inſuper ſacrilegium. Cum igitur a quolibet Sacramento removendus ſit obex, ne detur impedimentum gratiæ, & hic poſſit reperiri in ſubjecto; vel quando Sacramentum ſuſcipitur, vel quando eſt ſuſceptum; difficultas eſt in utroque caſu, an, & quomodo eo ſublato Sacramentum cauſſet gratiam, vel non. Pro quo hæc traditur diſtinctio:

Si Sacramentum ſuſcipitur cum obice, cauſſat gratiam, quoties, ut dicitur, in bona fide adeſt attritio, in mala fide adeſt putata contritio.

Si Sacramentum eſt ſuſceptum cum obice, cauſſat gratiam, quoties accedit perfecta contritio, vel Sacramentalis confeſſio (Eucbariſtia in mala fide, & extra neceſſitatem excepta.)

Ratio quoad Sacramentum, quod ſuſcipitur, eſt; quia cum ſuſcipiens debeat ſe diſponere ad tollendum obicem, major diſpoſitio requiritur in eo, qui eſt in mala, quam in bona fide, ut per virtutem Sacramenti ex attrito fiat contritus. Quoad Sacramentum ſuſceptum; quia cum hoc perſeveret moraliter, effectum, quem ex impe-

impedimento non produxit, eo ſublato ſicut omnis alia cauſſa producit; ad quod tamen tollendum non ſufficit attritio, cum hæc nihil operetur extra Sacramentum, quod tunc non ſuſcipitur. Quo vero ad exceptionem Euchariſtiæ; quia ita deducitur *ex Concil. Trid ſeſſ.* 13. *cap.* 7. dum ſuſcipitur: Cum vero eſt ſuſcepta, ſequeretur inconveniens; nam quanto magis quis communicaret ſacrilege, tanto magis remoto obice juſtificaretur; quod non contingit in ceteris Sacramentis utpote non frequentibus, & in pœnitentia quamvis frequenti caſus non occurrit, cum ipſa per obicem ſit invalida.

Unde reſolvitur.

Qui ſuſcipit Sacramentum vivorum dum eſt in peccato, ſi hoc non cognoſcit, Sacramentum ei cauſſat gratiam, quoties de peccato non cognito eſt vere, & realiter, non vero ſolum putative, attritus; quia cum ſit in bona fide, ſufficit, ut adſit attritio. E contra ſi peccatum cognoſcit, Sacramentum ipſi non cauſſat gratiam, etiamſi de peccato cognito ſit vere, & realiter attritus, niſi etiam de eo ſibi videatur contritus; quia cum tunc ſit in mala fide, requiritur inſuper, ut adſit putata contritio. *Anton. a Spir. ſanct. de Sacram. tr.* 1. *diſp.* 5. *num.* 124.

Qui ſuſcipit Euchariſtiam nulla urgente neceſſitate dum eſt in peccato cognito, etiamſi de eo ſit perfecte contritus, Sacramentum ipſi non cauſſat gratiam; quia cum tunc Euchariſtia ſumatur mala fide, & extra neceſſitatem, eſt excepta. E contra ipſi cauſſat gratiam, ſi eam ſuſcipiat in peccato non cognito, de quo ſit attritus, vel urgente neceſſitate eam ſuſcipiat in peccato cognito, de quo ſit putative contritus; quia cum tunc Euchariſtia ſumatur vel bona fide, vel in neceſſitate, non eſt amplius excepta. *Filliuc. tract.* 4. *num.* 210. & 214.

Qui ſuſcepit Baptiſmum ſine diſpoſitione, vel Sacramentum vivorum in peccato ſine ulla attritione, ſi poſtea perfecte conteritur, vel confitetur; Baptiſma, vel aliud Sacramentum informiter, aut ſacrilege ſuſceptum ipſi cauſſat gratiam; quia

quia accedit contritio, vel ſacramentalis confeſſio. E contra qui ſuſcepit abſolutionem indiſpoſite quamvis inculpabiliter, etiamſi poſtea perfecte conteratur, ac diſpoſite confiteatur; illa prior abſolutio nunquam ipſi cauſſat gratiam; quia cum ex defectu diſpoſitionis Sacramentum pœnitentiæ fuerit tunc invalidum; non verificatur quod fuerit ſuſceptum. B*onac. de Sacram. diſp.* 1. *quæſt.* 6. *punct.* 3. *num* 3.

Qui ſuſcepit Euchariſtiam non præmiſſa Confeſſione peccati cogniti extra neceſſitatem, vel in neceſſitate non præmiſſo actu contritionis putatæ, etiamſi poſtea perfecte conteratur, vel confiteatur; Euchariſtia ſuſcepta ipſi non cauſſat gratiam; quia cum fuerit ſuſcepta mala fide, & extra neceſſitatem, eſt excepta. E contra ſi eam ſuſcepit cum attritione peccati non cogniti, vel in neceſſitate cum putata contritione peccati cogniti, ſed illa attritio, ſeu putata contritio fuerit inculpabiliter invalida ex aliquo defectu; accedente poſtea perfecta contritione, vel Confeſſione, Euchariſtia ipſi cauſſat gratiam; quia cum fuerit ſuſcepta, vel bona fide, vel in neceſſitate, non eſt amplius excepta. B*onac. loco cit. Ex Conc. Trid. ſeſſ.* 13. *cap.* 7. & *ex D. Thoma par.* 3. *qu.* 69. *art.* 10. & *in* 4. *Sent. diſt.* 17. *q.* 3. *art.* 4. *ad* 1. *quæſt.*

TRACTATUS II.

De B*aptiſmo.*

CUm Sacramenta ſint inſtituta per quamdam analogiam vitæ ſpiritualis ad vitam corporalem, ex ſeptem proportionibus, unde homo naſcitur, augetur, nutritur, ſanatur, convaleſcit, gubernatur, & propagatur; ſeptem ſunt Sacramenta ipſis correſpondentia. Ex prima igitur proportione, unde homo naſcitur corporaliter, primum Sacramentum eſt Baptiſma, unde homo naſcitur ſpiritualiter, & primum fuit inſtitutum a Chriſto quando baptizatus a Joanne ſanctificavit aquas, de cujus ratione cum ſit neceſſitas, materia, forma, miniſter, ſubjectum, patrinus, & effectus; de ſingulis in hoc Tractatu agetur.

CA-

CAPUT I.

De Baptiſmi neceſſitate.

Baptiſmus, qui *eſt exterior ablutio corporis facta ſub præſcripta forma verborum*, poteſt haberi vel in re, & dicitur Baptiſmus fluminis, vel in voto, & dicitur Baptiſmus flaminis, vel in martyrio, & dicitur Baptiſmus ſanguinis: ſolus autem Baptiſmus fluminis eſt Sacramentum, cujus neceſſitas non ſolum eſt præcepti, juxta illud *Matth.* 28. *Docete omnes gentes, baptizantes &c.* ſed etiam medii, ſine quo non poteſt ſalutis finis haberi, juxta illud *Joan.* 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in Regnum Dei*, ubi per ly *ex aqua* denotatur Baptiſmus in re, & per ly *ex Spiritu ſancto* denotatur Baptiſmus in voto. Sed quia homo, cui Baptiſmus eſt neceſſarius tam neceſſitate medii, quam præcepti, poteſt eſſe conſtitutus ante, vel poſt uſum rationis; difficultas eſt in utroque caſu an, quomodo, & ex qua neceſſitate ipſum debeat habere, vel non. Pro quo hæc traditur diſtinctio:

Si homo eſt ante uſum rationis, debet habere ex neceſſitate medii Baptiſmum in re, quoties non habet martyrium.

Si eſt poſt uſum rationis, debet habere ex neceſſitate medii Baptiſmum in voto, quoties non poteſt in re, & ex neceſſitate præcepti habere in re, quoties poteſt opportune.

Ratio eſt; quia homo ante uſum rationis utpote ineptus ad actus virtutum non poteſt juſtificari niſi ex opere operato, quod præſtat Baptiſmus in re ex inſtitutione Chriſti, & martyrium ex privilegio. E contra poſt uſum rationis utpote aptus ad virtutes Theologicas, in quibus Baptiſmus continetur virtualiter, ut patet ex cap. *Apoſtolicam, de Presbyt. non bapt.* poteſt juſtificari ex opere operantis: ſed cum adſit Chriſti præceptum de Baptiſmo ſuſcipiendo in re; ejuſdem dilatio tamquam periculoſa non debet ex jure naturali ultra opportunitatem extendi.

Un-

Unde reſolvitur.

Puer ante ſeptennium, vel adultus perpetuo amens non poteſt ſalvari, niſi abluatur aqua cum præſcripta forma verborum; quia cum ſit conſtitutus ante uſum rationis, debet ex neceſſitate medii habere Baptiſmum in re. E contra poteſt ſalvari etiam ſine Baptiſmo in re, ſi in odium Chriſti occidatur; quia tunc habet martyrium. *D. Thom. quodlibet* 6. *art.* 4. *in corp.*

Adultus, qui non poteſt habere Baptiſmum in re, adhuc poteſt ſalvari, ſi habens fidem eliciat caritatis, vel contritionis actum, etiamſi non cogitet de Baptiſmo; quia cum hic virtualiter contineatur in caritate, vel in contritione utpote juſtificante ex opere operantis; per ipſam ſaltem implicite habet Baptiſmum in voto. E contra non poteſt ſalvari, ſi tantummodo eliciat actum attritionis, etiamſi cogitet de Baptiſmo; quia cum hic non poſſit virtualiter contineri in attritione utpote nihil extra Sacramentum operante: per ipſam neque explicite, neque implicite habet Baptiſmum in voto. *D. Thom. part.* 3. *quæſt.* 68. *art.* 2. *corp. Ex c. Apoſtolicam, de Presbyt. non baptiz.*

Catechumenus, qui oblata ſibi occaſione, Baptiſmum differt per tempus notabile, peccat; quia licet habeat illum in voto, cum tamen poſſit opportune, debet ex neceſſitate præcepti habere etiam in re. Similiter qui differt Baptiſmum infantis ultra menſem ſine cauſſa, vel ultra duos menſes cum cauſſa, ut docet *Diana part*. 9. *tract.* 6. *reſol.* 1. vel etiam per tempus breve, ſi immineat periculum, peccat; quia cum opportunitas metienda ſit, vel ex praxi communi, vel ex imminente periculo, non adimplet præceptum quando poteſt opportune. *Ex D. Thoma* 3. *part. q.* 68. *art.* 3. *Vide Averſam de Bapt. q.* 66. *ſect.* 2.

CAPUT II.

De Baptiſmi materia.

MAteria Baptiſmi remota eſt aqua, proxima vero eſt ablutio, quæ ut adhibeatur licite, adhibenda eſt juxta præſcriptum Eccleſiæ,

itaut

itaut non alia adhibeatur aqua, quam benedicta in fonte Baptiſmali, nec ablutio aliter fiat, quam per trinam immerſionem, vel infuſionem, aut aſperſionem, prout fert conſuetudo loci, ſub peccato gravi, niſi in mortis periculo excuſet neceſſitas. Sed quia poteſt contingere, ut ex hac neceſſitate, vel ex alia cauſſa materia tam remota, quam proxima non adhibeatur juxta præſcriptum Eccleſiæ; difficultas eſt in hoc caſu quandonam cenſeatur valida, vel non. Pro quo hæc traditur diſtinctio:

Si materia Baptiſmi *eſt remota, cenſetur valida, quoties aqua eſt elementaris.*

Si eſt proxima. cenſetur valida, quoties ablutio fit per contactum phyſicum, ac ſucceſſivum in parte Baptizati *præcipua proferente formam.*

Alias ſecus.

Ratio quoad materiam remotam eſt; quia cum dicatur *Joan.* 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua* per hanc intelligitur vera, ac propria aqua, ideoque nonniſi elementaris. Quo vero ad materiam proximam; quia cum dicitur *Math.* 28. B*atpizantes*, ideſt abluentes, & per hoc verbum importetur ablutio, ablutus, & abluens; ablutio non poteſt fieri, niſi aqua phyſice tangat, ac ſucceſſive fluat, nec ablutus dici, niſi ſit in parte præcipua, ex qua denominatio ſumitur, nec abluens cenſeri niſi abluat qui ſe abluere dicit.

Unde reſolvitur.

Aqua extracta ex nive, vel collecta ex rore, vel ſcaturiens e mineralibus, etiamſi ſordida, ac fœtida ſit, vel commixta cum alia re, in qua ipſa prævaleat, cenſetur Baptiſmi materia valida; quia talis aqua eſt elementaris. Secus autem extracta ex herbis, aut floribus, vel defluens ex vite, aut arbore, etiamſi limpida ſit; quia talis aqua non eſt elementaris. *Anton.* a *Spirit. ſanct. de* Bapt. *tr.* 1. *diſp.* 3. *n.* 23.

Ablutio, quæ fit in veſtibus, aut alis tegumentis, vel etiam in capillis, quæ carnem non tangat, non cenſetur Baptiſmi materia valida; quia ablutio non fit per contactum phyſicum. Idem dicendum eſt ſi ablutio fiat in carne, ſed per glaciem non reſolutam, vel per parvas guttas non fluentes; qua licet tunc fiat per contactum phyſicum,

cum, non tamen fit per contactum ſucceſſivum, *Bonac. de Bapt. diſp. 2. q. 2. punct. 3. n. 21.*

Ablutio, quæ fit in capite, ſcapulis, vel humeris, cenſetur valida; quia fit in parte baptizati præcipua. Secus autem ſi fiat in pede, crure, manu, vel brachio, (quamvis in caſu neceſſitatis debeat ſub conditione fieri ubi, & quomodo poteſt) quia tunc ablutio non fit in parte baptizati præcipua. *Bonac. loc. cit. n. 23. & 24.*

Baptizans, qui baptizandum ſubmittit aquæ cadenti, vel immergit puteo, aut flumini etiam projiciendo, dumm do baptizare intendat, baptizat valide; quia talis ablutio fit a proferente formam. Secus autem ſi ipſe baptizandus ſe ſubmittat aquæ cadenti, vel ex ſe deſcendat in puteum, aut flumen, vel alter, quam baptizans ipſi aquam infundat; quia nunc ablutio non fit a proferente formam. *Anton. a Spir. ſanct. loc. cit. n. 50. de his agit D. Thom. 3. part. qu. 66. art. 4. & 7. Et D. Antoninus part. 3. tit. 14. cap. 13. §. 1. Vidé Baſſæum verb. Baptiſmus.*

CAPUT III.

De Baptiſmi forma.

Baptiſmi forma, quæ conſiſtit in his verbis -- *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen* -- pronuncianda eſt ut jacet: alias enim ſi non ſervatur, ut præſcribitur, eſt illicita ſemper; invalida autem, quoties ex mutatione eamdem ſignificationem non retinet juxta ſuperius dicta de Sacramentis in genere. Sed quia in forma Baptiſmi ſignificatio ſe tenet non ſolum ex parte verborum, ſed etiam ex parte proferentis, ex quo fit, ut aliquando ſit invalida, etiamſi ſervetur præſcripta, ſicuti contra aliquando ſit valida, etiamſi non ſervetur præſcripta; ad dignoſcendum, quandonam ſit valida, vel non; hæc traditur diſtinctio:

Si Baptiſmi ſervatur forma præſcripta, eſt valida, quoties pronunciatur ab altero ponente materiam proximam.

Si

Si non ſervatur præſcripta, eſt valida, quoties exprimitur actio, & ſubjectum cum invocatione Trinitatis explicita.

Alias eſt invalida.

Ratio eſt, quia quando ſervatur forma præſcripta, ſi hæc pronunciatur ab ipſo baptizando, non habetur ſignificatio denotata per ly. *Ego te* – quæ importat diſtinctionem baptizantis a baptizando; ſi autem pronunciatur ab altero, qui non infundit aquam; non habetur ſignificatio denotata per ly--*Baptizo*--, quæ importat actionem illius, qui dicit ſe baptizare. Quando vero non ſervatur forma præſcripta, adhuc habetur æquivalens ex verbis Chriſti *Matth.* 28. *Baptizantes*, ubi denotatur actio, *eos*, ubi denotatur ſubjectum -- *in nomine* -- ubi denotatur unitas divinæ eſſentiæ, *Patris*, & *Filii*, & *Spiritus ſancti*, ubi denotatur diſtinctio perſonarum, in quo exprimitur Trinitas.

Unde reſolvitur.

Si quis infundens ſibi aquam verba profert juxta ritum Eccleſiæ, forma eſt invalida; quia licet ſervetur præſcripta; non tamen pronunciatur ab altero. *Ex cap. debitum, de Baptiſm.* Idem dicendum eſt, ſi unus infundat aquam, & alter verba proferat; quia tunc forma quamvis pronuncietur ab altero: non tamen pronunciatur a ponente materiam proximam. *Ex D. Th. part. 3. q. 67. art. 6. ad 2.*

Si verba pronunciantur præter ritum Eccleſiæ, quamvis non ſervetur forma præſcripta, adhuc tamen eſt valida, ſi pro *Baptizo* dicatur *abluo*, aut *emundo*; quia exprimitur actio; vel pro *Baptizo te* dicatur -- *Baptizetur iſte*; *quia* tunc exprimitur ſubjectum; vel pro *in nomine Patris & Filii, & Spiritus ſancti* dicatur *in nomine Patris Omnipotentis, & Filii unigeniti, & Spiritus ſancti Paracliti*; quia per iſta adjectiva non tollitur invocatio Trinitatis explicita. Secus vero ſi pro *Baptizo* dicatur *ungo*, aut *linio*; quia tunc non exprimitur actio abluendi, vel dicatur *Baptizo*, & omittatur ly, *te*, aut aliud nomen deſignans Baptizandum; quia tunc non exprimitur ſubjectum: vel pro *in nomine* dicatur *in nominibus*; quia cum non denotetur

uni-

unitas eſſentiæ, non habetur invocatio unius Trinitatis; vel pro *Patris*, & *Filii*, & *Spiritus ſancti* dicatur in nomine *Genitoris*, *Geniti*, & *Spirati*; quia hæc nomina non ſunt inſtituta a Chriſto ad exprimendam Trinitatem, vel dicatur *in nomine Chriſti*, vel *in nomine Trinitatis*: quia cum non denotetur diſtinctio perſonarum; non habetur invocatio Trinitatis explicita. *De his agit. D. Thom. in 4. ſent. diſt. 3. art. 2. q. 3. in corp. Vide* Bonac. *de Baptiſm. diſp. 2. q. 2. punct.* 4

CAPUT IV.

De Baptiſmi *Miniſtro*.

Baptiſmi Miniſter pro eo conferendo valide poteſt eſſe quilibet etiam infidelis, dummodo ſervet eſſentialia; quia ob majorem hujus Sacramenti præ ceteris neceſſitatem, ita Chriſtus inſtituit, ut habetur ex traditione Eccleſiæ; pro eo autem conferendo licite tam ſollemniter, ut quando confertur cum cæremoniis ab Eccleſia præſcriptis, quam non ſollemniter, ut quando confertur cum ſola materia, ac forma; cum Miniſter non poſſit eſſe quilibet; ad dignoſcendum a quonam poſſit licite conferri, vel non; hæc traditur diſtinctio:

Si Baptiſmus eſt ſollemnis, poteſt licet conferri ab Ordinario, vel ejus delegato, quoties eſt Sacerdos, vel in neceſſitate Diaconus.

Si Baptiſmus non eſt ſollemnis, poteſt in neceſſitate licite conferri a quolibet, quoties non adeſt dignior, vel aptior.

Alias non poteſt.

Ratio quoad Miniſtrum in Baptiſmo ſollemni eſt; quia ita diſponitur in *Can. Diaconos, diſt.* 93. *ubi Gloſſa, verb. neceſſitas*, & *in Can. Conſtat, de conſecr. diſt.* 4. Quo vero ad Miniſtrum in Baptiſmo non ſollemni; quia in caſu neceſſitatis concurrit præceptum naturale; in defectum tamen dignioris, vel aptioris, ne ipſi fiat injuria.

Unde reſolvitur.

Si Sacerdos etiam in neceſſitate baptizat cum cæremoniis Eccleſiæ aliquem ſine licentia Parochi, vel Epiſcopi; Baptiſmum confert illicite; quia

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

quia cum hic ſit ſollemnis; pro eo conferendo ipſe non eſt Miniſter ordinarius, neque delegatus. Similiter ſi Parochus tantummodo Subdiaconus baptizat cum cæremoniis Eccleſiæ ſibi ſubditum, Baptiſmum confert illicite; quia quamvis Parochus ſit Miniſter ordinarius Baptiſmi ſollemnis, ipſe tamen non eſt Sacerdos, quod idem dicendum eſt, ſi Parochus ſit Diaconus, ſed nulla adſit baptizandi neceſſitas; quia eatenue Diaconus, quando eſt ordinarius, vel delegatus poteſt baptizare ſollemniter, quatenus eſt in neceſſitate. *Anton. a Spir. ſanct. de Baptiſm. tract. 2. diſp. 1. a n. 114.*

Si Parochus extra mortis, vel peſtis periculum baptizat ſubditum ſine cæremoniis Eccleſiæ, Baptiſmum confert illicite; quia quamvis hic non ſit ſollemnis; baptizandus tamen non eſt in neceſſitate. E contra in tali periculo quilibet ſine cæremoniis Eccleſiæ baptizat licite quemlibet, dum dignior aut aptior non adeſt; quia Baptiſmus non eſt ſollemnis, & baptizandus eſt in neceſſitate. *Anton. a Spir. ſancto loco cit. n.* 112.

Si in neceſſitate baptizat etiam non ſollemniter Sacerdos præſente Parocho, vel Diaconus præſente Sacerdote, ſeu Laicus præſente Clerico, vel Femina præſente viro; Baptiſmum confert illicite (quamvis culpa cenſeatur gravis ſolum præſente Parocho, vel Sacerdote utpote ad hoc deputato;) quia tunc adeſt dignior. Secus vero ſi dignior recuſet, vel non bene calleat modum baptizandi; vel infans baptizandus non ſit perfecte egreſſus ex utero; itaut neminem præter obſtetricem deceat accedere; quia tunc licet adſit dignior; hic tamen non eſt aptior. *Bonac. de Baptiſm. diſp. 2. q. 2. punct. 5. n.* 11, *De his agit D. Thom. part. 3. q. 67. art. 4.*

C A P U T V.

De Baptiſmi ſubjecto.

BAptiſmi ſubjectum eſt homo vivens; unde ſi conſtet monſtrum non eſſe hominem, vel abortum non eſſe vivum, non poteſt unquam bapti-

ptizari: ſi autem ſolum dubitetur, poteſt baptizari ſub eadem conditione. Ex ſuperius dictis de Sacramentis in genere patet quid requiratur in ſubjecto, ut baptizetur valide; unde ſolum difficultas hic eſt, quid inſuper in ipſo requiratur, ut a Miniſtro baptizetur licite. Pro quo hæc traditur diſtinctio:

Si Homo non pervenit ad uſum rationis, baptizatur licite, quoties non fit injuria ipſi, parentibus, vel Sacramento.

Si pervenit ad uſum rationis, baptizatur licite, quoties oſtendit ſe diſpoſitum per fidem, & attritionem.

Alias baptizatur illicite.

Ratio quoad baptizandum ante uſum rationis eſt, quia quamvis Baptiſmus ſit ei magnum bonum, cum tamen hoc debeat eſſe ex integra cauſſa, ſi confertur per injuriam, ex hac cauſſa mala deſinit eſſe bonum. Quo vero ad baptizandum poſt uſum rationis; quia cum dicatur, *Matth.* 28. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit*: inde deducitur Baptiſmo præmittendam eſſe fidem, & cum dicatur, *Actor.* 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum*: inde deducitur, Baptiſmo præmittendam eſſe attritionem, quæ eſt virtus pœnitentiæ.

Unde reſolvitur.

Infans moribundus, qui ex defectu aquæ non poteſt baptizari niſi projiciatur in puteum, vel aſpergatur aqua venenoſa; illicite baptizatur hoc modo; quia cum inde mors ſequatur per ſe; fit injuria ipſi. E contra ſi infanti moribundo prævideatur pernicioſa aſperſio aquæ communis, baptizatur licite; quia cum mors ſequatur per accidens, ac urgeat neceſſitas, non fit injuria ipſi, *Averſa de Baptiſm. q.* 68. *ſect.* 2. *verſ. quarto.*

Infans natus ex infidelibus illicite baptizatur ipſis invitis; quia cum inde violetur jus, quod habent in filium; fit injuria parentibus. E contra baptizatur licite, ſi unus ex parentibus conſentiat; quia cum cauſſa conſentientis ſit potior, ceſſat jus diſſentientis; vel ſi parentes ſint mancipia; quia cum jus in filium tunc pertineat ad dominum, non fit injuria parentibus. *Averſa loc. cit. ſect.* 3.

In-

Infans natus ex infidelibus etiam ipſis non invitis baptizatur illicite, ſi non poſſit educari a fidelibus; quia licet tunc non fiat injuria parentibus, cum tamen adſit certum perverſionis periculum, fit injuria Sacramento. E contra baptizatur licite etiam parentibus invitis, ſi ſit moribundus, vel perpetuo amens; quia cum baptizandi cauſſa ratione æternæ ſalutis ſit potior, non fit injuria parentibus; & cum ceſſet perverſionis periculum, neque fit injuria Sacramento. *Averſa loc. cit ſect. 3. verſ. quarto.*

Adultus, qui in mortis periculo non credit Myſteria principalia explicite, & alia implicite, vel extra hoc periculum non ſcit inſuper rudimenta communia, baptizatur illicite; quia non oſtendit ſe diſpoſitum per fidem. Idem dicendum eſt, ſi ex motivo Dei cogniti per fidem non doleat ſaltem imperfecte de peccatis actualibus; quia tunc non oſtendit ſe diſpoſitum per attritionem. *Averſa loco cit. ſect. 5. & 6. De his agit D. Thom. par. 3. q. 68. art. 8. & 10.*

CAPUT VI.

De Baptiſmi Patrino.

Baptiſmi Patrinus utpote Sponſor pro Baptizato in fide inſtruendo debet eſſe puber, Catholicus, confirmatus (non tamen Religioſus, cum ſit ſegregatus a ſæculo, ut diſponitur in *Can. non licet* 1. *de conſecr. diſt.* 4.) unicus vel vir, vel mulier; & ad ſummum duplex, vir ſcilicet, ac mulier; ſed ſi eſt patrinus nomine alterius, ſervandus eſt hic ordo, ut vir viri, & mulier mulieris vicem ſuppleat, ejuſque obligatio eſt, ut baptizatum inſtruat in fide, niſi a parentibus, vel ab aliis inſtruatur. Sicuti baptizans cognationem ſpiritualem contrahit cum Baptizato, ejuſque Patre, ac Matre; ita eam contrahit Patrinus cum baptizato, ejuſque parentibus, dummodo ipſi etiam ſint baptizati, cum talis cognatio inducta ſit ab Eccleſia, cui ſoli baptizati ſubduntur. Cum igitur hanc ſpiritualem

cognationem Baptizans contrahat ſemper, Patrinus vero non ſemper; ad dignoſcendum quandonam eam contrahat, vel non, hæc traditur diſtinctio:

Si Patrinus non eſt deſignatus, cognationem non contrahit unquam.

Si eſt deſignatus, eam contrahit, quoties Baptizandum ſuſcipit per ſe præſens, & per alium abſens in Baptiſmo ſollemni.

Alias non contrahit.

Ratio quoad deſignationem eſt; quia ita diſponitur *in Conc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 2. de reform. Matrim.* Quoad ſuſceptionem; quia cum in hac conſiſtat ratio Patrini, qui dicitur ſuſceptor; ſi non fiat per ſe a præſente, & per alium ab abſente, non cenſetur moraliter fieri; quo vero ad Baptiſmum ſollemnem; quia cum in hoc ſolo Eccleſia requirat Patrinum, etiam in hoc ſolo cognationem inducit.

Unde reſolvitur.

Si quis non electus a parentibus & in eorum defectum a Parocho, vel ab eo non approbatus, tenet Baptizandum dum abluitur, cognationem non contrahit; quia licet ſit ſuſceptor, non tamen eſt deſignatus. Secus vero ſi a parentibus nullus ſit electus, & hunc Parochus advertat, nec repellat; quia tunc ſaltem tacite cenſetur deſignatus. *Bonac. de Matr. q. 3. punct. 5. §. 2. n. 29.*

Si quis deſignatus a Petro tenet in Baptiſmo filium Pauli, quem putat eſſe filium Petri, cum neutro cognationem contrahit; quia reſpectu Petri non tenet ejus filium, reſpectu Pauli non eſt ab eo deſignatus. E contra ſi tunc tenet filium Petri, quamvis falſo putet eſſe filium Pauli, contrahit cognationem cum Petro; quia error non tollit, quin teneat filium ejus, a quo eſt deſignatus. *Bonac. loco cit. n.* 18.

Patrinus deſignatus, qui intereſt Baptiſmo, cognationem non contrahit, ſi baptizandum ſola manu tangat, aut ſolum tranſeunter ſubſtineat; cum hoc non ſit ſuſcipere, vel ſi eſt impotens ad ſuſtituendum etiam ex parte, alter ſuo nomine totaliter ſuſtineat; quia cum ſit præſens non ſuſcipit per ſe. Idem dicendum eſt, ſi non interſit Baptiſmo, ſed alter, qui baptizandum tenet, vel non ſit ab eo ad hoc deputatus, vel non ejus nomine, vel non phyſice ſuſtineat; qui cum ſit

abſens, tunc non cenſetur ſuſcipere per alium. *Bonac. loc. cit. n.* 14. & 34.

Patrinus deſignatus, qui Baptizatum ſuſcipit per ſe, cognationem non contrahit, ſi eum ſuſcipiat poſtquam eſt ablutus, vel dum ſupplentur cæremoniæ Catechiſmi, etiamſi tunc rebaptizetur ſub conditione; quia cum Baptiſmus ſit completus, nec conſtet rebaptizationem utpote conditionatam eſſe Baptiſmum, non verificatur quod eum ſuſcipiat in Baptiſmo. Idem dicendum eſt ſi eum etiam tamquam Patrinus ſuſtineat, dum ob periculum mortis baptizatur domi cum ſola materia, ac forma; quia licet eum ſuſcipiat in Baptiſmo; non tamen ſuſcipit in ſollemni. *Bonac. loc. cit. n.* 9. 10. & 11.

CAPUT VII.

De Baptiſmi effectu.

Baptiſmi effectus eſt quadruplex: primus eſt infuſio gratiæ, ratione cujus remittitur omne peccatum tam originale, quam actuale quoad culpam, & pœnam; ſecundus eſt infuſio habituum fidei, ſpei, & caritatis, virtutumque moralium, ratione quorum datur ad earum eliciendos actus habitudo: tertius eſt impreſſio characteris, ratione cujus Baptiſmus non poteſt iterari, & Baptizatus ſubditur Eccleſiæ, ceterorumque Sacramentorum fit capax: quartus eſt ablatio irregularitatis ortæ ex delicto, vel ex defectu lenitatis, ratione cujus non impeditur ordinum ſuſceptio. Hos effectus certum eſt Baptiſmum ſemper præſtare in parvulis, quoties eſt validus: in adultis vero, in quibus requiritur inſuper diſpoſitio, cum hos effectus non omnes, non ſemper, nec æqualiter præſtet; ad dignoſcendum quos, quando, & quomodo præſtet, vel non; hæc traditur diſtinctio:

Si Baptiſmus ab adulto ſuſcipitur valide, & licite, præſtat infuſionem gratiæ, & virtutum juxta diſpoſitionem; ceteros effectus æqualiter.

Si ſuſcipitur valide, ſed illicite, præſtat infuſionem gratiæ, & caritatis, quoties removetur obex: ceteros effectus ſemper.

Ratio quoad Baptiſmum ſuſceptum valide, ac licite eſt; quia cum gratia, & virtutes ſe habeant per modum formæ introducendæ, & patiantur intenſionem, ac remiſſionem; infunduntur magis,

vel

vel minus juxta diſpoſitionem ſubjecti; ceteri vero effectus cum non ſe habeant per modum formæ, ideoque ex tali diſpoſitione non dependeant, utpote non ſuſcipientes magis, ac minus; ſemper producuntur æqualiter. Quo vero ad Baptiſmum ſuſceptum valide, ſed illicite; quia cum hic perſeveret moraliter, gratiam, & caritatem utpote juſtificantem, quam ex illicita ſuſceptione non produxit, ſublato impedimento tamquam cauſſa producit; ceteros vero effectus utpote non juſtificantes, ideoque ſolum dependentes a ſuſceptione valida, producit ſemper.

Unde reſolvitur.

Adultus, qui baptizatur valide, ac licite, magis juſtificatur, ac habitibus virtutum perficitur; ſi eliciat ferventiores, quam remiſſiores actus; Baptiſmus gratiæ, ac virtutum infuſione præſtat juxta diſpoſitionem. E contra non recipit majorem characteris impreſſionem, vel irregularitatis ablationem ex diſpoſitione majori; quia Baptiſmus ceteros effectus præſtat æqualiter. *Baſſæus verb. Baptiſmus* 4. *n.* 3. & 5. *Et Silveſt. verb. Baptiſmus* 4. *n.* 6.

Adultus, qui baptizatur valide, ſed illicite, non recipit gratiam, & caritatem, neque virtutes morales utpote caritati adnexas, niſi poſtquam ſe diſponit per contritionem, vel per confeſſionem; quia tunc removetur obex. E contra ſtatim recipit habitus fidei, ac ſpei utpote caritati non adnexos, ſicuti etiam characteris impreſſionem, ac irregularitatis ablationem etiam obice non remoto; quia Baptiſmus ceteros effectus præſtat ſemper, *Suar. tom.* 3. *in* 3. *part. diſp.* 28. *ſect.* 3. *verſ. quo circa. De his agit D. Thom. p.* 3. *q.* 69. *art.* 8. 9. & 10. *Vide Averſam de Baptiſm. q.* 69. *ſect.* 2.

APPENDIX.

De Martyrio.

MArtyrium, quod *eſt cruciatus lethalis in odium fidei, vel virtutis inflictus, ac pro ea ſuſceptus*; ad inſtar Baptiſmi cauſſat ex opere operato gratiam, per quam remittitur omne peccatum quoad culpam, & pœnam etiam in iis, qui baptizati non ſunt juxta oraculum Chriſti *Marc*. 8. *Qui perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam*,

ideoque dicitur Baptiſmus ſanguinis. Quoad parvulos cenſetur eſſe verum martyrium, quoties occiduntur pro Chriſto: quo vero ad adultos eatenus cenſetur eſſe verum martyrium, quatenus cruciantur lethaliter habentes fidem catholicam, nec ex alia cauſſa, quam ob fidem, vel virtutem ſine reſiſtentia, immo cum intentione actuali, vel virtuali, explicita, vel implicita, moriendi pro fide, vel pro virtute. Sed quia etiamſi martyrium ſit verum; adhuc tamen ad inſtar Sacramenti gratiam non cauſſat, niſi prius removeatur obex, qui poteſt eſſe in martyre per peccatum cognitum, vel non cognitum; difficultas eſt in hoc caſu, quandonam martyr recipiat ex martyrio gratiam, vel non. Pro quo hæc traditur diſtinctio:

Si Martyr eſt in peccato cognito, recipit ex martyrio gratiam, quoties ſuſcipit Sacramentum, vel in neceſſitate habeat attritionem.

Si eſt in peccato non cognito, recipit ex martyrio gratiam, quoties pati intendit explicite.

Alias ſecus.

Ratio eſt, quia quando peccatum eſt cognitum, urget præceptum tollendi illud per medium a Chriſto inſtitutum, quod eſt Sacramentum: ſi autem hoc ſuſcipi non poteſt, intrat obligatio ſaltem attritionis, ut ſicuti in Sacramento, ita etiam in martyrio quis ex attrito fiat contritus. Quando vero peccatum non eſt cognitum, ſicuti in Sacramento, ut juſtificet, adhuc requiritur attritio formalis; ita in martyrio, quod eſt Sacramento præſtantius, ſufficit minor, ideſt attritio virtualis, quæ continetur in præparatione illa moriendi pro Chriſto.

Unde reſolvitur.

Si in odium fidei ſit occidendus Catechumenus, qui omittit baptizari, dum poteſt; vel ſit occidendus baptizatus qui ſciens ſe eſſe in peccato, omittit Sacramentaliter confiteri dum poteſt, non recipit a martyrio gratiam, etiamſi conteratur; quia cum exiſtat in peccato cognito, non ſuſcipit Sacramentum. E contra recipit gratiam, ſi deficiente opportunitate Baptiſmi in uno, & confeſſionis in altero, doleat ſe offendiſſe Deum ſaltem ex ejuſdem timore; quia cum tunc, utpote ad ſu-

ſuſcipiendum Sacramentum impotens, ſit in neceſſitate; habet attritionem. *Averſa de Sacram. queſt.* 70. *ſect.* 6. *verb. pro reſolut.*

Si in odium fidei incutiatur metus mortis exiſtenti in peccato non cognito, & ipſe ob conſtantiam in fide occidatur, recipit ex martyrio gratiam, quamvis actum attritionis non eliciat; quia pro fide pati intendit explicite. Secus autem ſi in caſu poſito non incutiatur illi metus, ſed occidatur dum dormit, etiamſi antea habuerit intentionem referendi in Deum quidquid mali pateretur; quia licet tunc occidatur in odium fidei; non tamen pro fide pati intendit explicite. *Baſſæus verb. Martyrum, num.* 8.

TRACTATUS III.

De Confirmatione.

EX ſecunda proportione, unde homo natus augetur, ſecundum Sacramentum eſt Confirmatio, per quam homo natus in fide, in ea augetur, & fuit inſtituta a Chriſto in nocte Cœnæ, ut habetur ex traditione Eccleſiæ, de qua extat *Epiſtola Fabiani Papæ relata in Can. litteris, de conſecr. diſt.* 3. de cujus ratione cum ſit materia, forma, Miniſter, ſubjectum, Patrinus, & effectus, de ſingulis in hoc Tractatu agetur.

CAPUT PRIMUM.

De Confirmationis materia.

COnfirmatio, quæ *eſt inunctio Chriſmatis in fronte Baptizati ſub præſcripta forma verborum*, habet pro materia remota oleum Chriſmatis, pro proxima vero ipſam unctionem, quarum utraque, ut ſit licita, debet adhiberi juxta ritum ab Eccleſia præſcriptum & in Pontificali expreſſum; ut autem ſit valida, debet ſervari juxta omnia conſtitutiva eſſentialia, de quibus cum ſit difficultas, ad dignoſcendum, quandonam cenſeatur valida, vel non; hæc traditur diſtinctio:

Si materia Confirmationis eſt remota, cenſetur valida, quoties oleum ex olivis eſt balſamo admixtum, & ab Epiſcopo conſecrato benedictum.

Si eſt proxima, cenſetur valida, quoties unctio fit in fronte, & in formam crucis.

Alias cenſetur invalida.

Ratio quoad omnia eſt; quia ita habetur ex-

preſſe in *Decreto Eugenii IV.* §. *ſecundum Sacramentum*, ubi Armeni in Concilio Florentino inſtruuntur de Confirmatione inſtituta a Chiſto juxta traditionem Eccleſiæ.

Unde reſolvitur.

Materia confirmationis remota eſt invalida, ſi oleum non ſit commune; quia non eſt ex olivis; vel ſi ſit ſimplex; quia non eſt admixtum balſamo; vel ſit benedictum a Sacerdote; quia non eſt ab Epiſcopo; vel ſit benedictum ab Epiſcopo tantum electo; quia non eſt ab Epiſcopo conſecrato. Econtra eſt materia valida, ſi Chriſma non ſit benedictum eo anno, ſed præterito, vel non in Cœna Domini, ſed alio die, vel non ritu ſollemni, ſed privato; quia licet non ſit juxta præſcriptum Eccleſiæ; hoc tamen non tollit quin oleum ſit ex olivis, balſamo admixtum, & ab Epiſcopo conſecrato benedictum. *Averſa de Sacram. diſp.* 72. *ſect.* 2.

Materia confirmationis proxima eſt invalida, ſi unctio ex motu capitis cadat ſupra verticem; quia non fit in fronte; vel ex tremore manus fiat orbiculariter; quia non fit in formam crucis. E contra eſt valida, ſi fiat alio digito quam pollice, vel non dextero, ſed ſiniſtro, vel non immediate, ſed mediante pennicillo, aut alio inſtrumento; quia licet non fiat juxta præſcriptum Eccleſiæ; hoc tamen non tollit quin fiat in fronte, & in formam crucis. *Leander de Confirm. tract.* 3. *diſp.* 3. *a q.* 19. *uſque ad* 13. *De his agit D. Thom. part.* 3. *quæſt.* 72. *art.* 2. *&* 3.

CAPUT II.

De Confirmationis forma.

Confirmationis forma ex Eccleſiæ traditione quæ habetur in *Decreto Eugenii IV.* §. *ſecundum Sacramentum*. Hæc eſt; *Signo te ſigno crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis in nomine Patris, & Filii & Spiritus ſancti. Amen.* Ad hoc ut talis forma ſit licita debet pronunciari, ut jacet; ad hoc autem, ut ſit valida, debet retinere eamdem ſignificationem juxta dicta de Sacramentis in genere. Sed quia aliquando hanc non retinet etiamſi ſervetur præſcripta, & aliquando hanc retinet etiamſi non ſervetur præſcri-

ſcripta; ad dignoſcendum quandonam ſit valida, vel non; hæc traditur diſtinctio:

Si Confirmationis ſervatur forma præſcripta, eſt valida, quoties pronunciatur a Miniſtro ponente materiam proximam.

Si non ſervatur præſcripta, eſt valida, quoties exprimitur utraque materia, ac ſubjectum cum invocatione Trinitatis explicita.

Alias eſt invalida.

Ratio eſt; quia quando ſervatur forma præſcripta, ſi hæc non pronunciatur a Miniſtro ponente materiam proximam, non habetur ſignificatio denotata per ly *ſigno*, & *confirmo*. Quando vero non ſervatur forma præſcripta; ſi tamen per verba æquivalentia exprimitur materia proxima denotata per ly *ſigno*, & *confirmo*, remota denotata per ly *Chriſmate*, ſubjectum denotatum per ly *te*, & invocatio Trinitatis, quæ in hoc Sacramento ob fidei profeſſionem requiritur explicita, denotata per ly *in nomine Patris*, &c. habetur eadem ſignificatio.

Unde reſolvitur.

Si forma confirmationis, ut jacet, pronunciatur ab altero, dum Epiſcopus ſignat, & ungit, eſt invalida; quia licet tunc ſervetur præſcripta; non tamen pronunciatur a miniſtro. Idem dicendum eſt, ſi pronunciatur a miniſtro dum alter ſignat, & ungit; quia tunc non pronunciatur ab ipſo ponente materiam proximam.

Si forma Confirmationis non pronunciatur ut jacet, adhuc eſt valida, ſi pro *ſigno*, & *confirmo te* dicatur *noteris*, *ac ſtabiliaris*; quia adhuc exprimitur materia proxima, ac ſubjectum; vel pro *Chriſmate* dicatur *oleo*, vel omittatur ly *ſalutis*; quia adhuc exprimitur materia remota; vel pro *in nomine Patris* &c. uſurpetur alia formula indicans unitatem eſſentiæ, ac diſtinctionem perſonarum; quia adhuc Trinitas invocatur explicite. Secus autem ſi omittatur, aut ſubſtituatur verbum, per quod vel non ſignificetur actio ſignandi cum cruce, aut confirmandi; quia tunc non exprimitur materia proxima; vel non ſignificetur chriſma; quia tunc non exprimitur materia remota; vel non ſignificatur perſona confirmata; quia tunc non exprimitur ſubjectum; vel non ſignifice-

tur unitas divinæ eſſentiæ, ac diſtinctio perſonarum; quia tunc Trinitas non invocatur explicite, *Averſa de Sacr. quæſt. 72. ſect. 3. verſ. ſecundo. Leander de Sacr. tract. 3. diſp. 3. a quæſt. 16. uſque ad 19. De his agit D. Th. par. 3. q. 72. art. 4.*

CAPUT III.

De Confirmationis Miniſtro.

Confirmationis Miniſter ordinarius eſt ſolus Epiſcopus conſecratus; extraordinarius vero ex commiſſione ſolius Papæ, & non alterius eſt etiam ſimplex Sacerdos, ut habetur *in can. pervenit quoque, diſt. 95.* Ut valide confirmet Epiſcopus, ſufficit, quod habeat requiſita eſſentialia juxta dicta de Sacramentis in genere; ut autem valide confirmet Sacerdos deſignatus a Papa, requiritur inſuper, quod adhibeat chriſma benedictum ab Epiſcopo. Ut uterque confirmet licite, requiritur ſtatus gratiæ, & obſervatio Eccleſiaſtici ritus, quamvis omiſſio alapæ, vel cerei (citra tamen contemptum) ex parvitate materiæ non excedat culpam venialem. Sed quia præter dicta de Sacramentis in genere requiritur pro Confirmatione aliquid ſpeciale in Miniſtro, ſcilicet circumſtantia loci, ac ſubjecti, ut confirmet ſcilicet; ad dignoſcendum quandonam alterutra non ſervata confirmet illicite, vel non; hæc traditur diſtinctio:

Si Miniſter confirmat in aliena Diœceſi, facit illicite, quoties caret Ordinarii licentia expreſſa.
Si confirmat in propria, facit illicite, quoties confirmat non ſubditum (conſuetudine excepta.)
Alias ſecus.

Ratio quoad utrumque eſt; quia ita diſponitur *in Conc. Trid. ſeſſ. 6. c. 5. de refor.* ubi etiam imponitur Epiſcopo ſuſpenſio ab exercitio Pontificalium latæ ſententiæ. Quo vero ad exceptionem conſuetudinis; quia hæc legem abrogat.

Unde reſolvitur.

Si Epiſcopus extra proprium territorium, ignaro loci Ordinario, confirmet etiam ſibi Subditum, quamvis prætextu alicujus privilegii, facit illicite, & conſequenter ſuſpenſionem a Pontificalium exercitio incurrit; quia ſine Ordinarii licentia confirmat in aliena Diœceſi. Idem dicendum eſt, ſi hoc faciat, Ordinario loci ſciente, nec contradicente; quia licet cenſatur habere licentiam ta-

tacitam, adhuc caret expreſſa. *Bonac. de Sacram. diſp.* 3. *q. un. punct.* 2. *num.* 10. & 11.

Si Epiſcopus in propria Diœceſi confirmat extraneum ſine dimiſſoriis proprii Ordinarii, facit illicite; ideoque dictam ſuſpenſionem incurrit; quia confirmat non Subditum. Secus vero, ſi ibi hoc ſoleat fieri, ut pleriſque in locis fit Ordinariis ſcientibus, nec reclamantibus; quia tunc adeſt conſuetudo. *Averſa de Sacram. quaeſt.* 72. *ſect.* 5. *verſ.* 5.

CAPUT IV.

De Confirmationis ſubjecto.

CONfirmationis ſubjectum eſt quilibet baptizatus, qui hoc Sacramentum quamvis non neceſſarium neceſſitate medii tenetur recipere ex neceſſitate præcepti, ut patet *ex can. Omnes fideles, de conſecr. diſt.* 5. ubi *Gloſſ. verb. ut pleni*, dicit peccare mortaliter qui confirmari negligit. Ex ſuperius dictis de Sacramentis in genere conſtat quando quis confirmatur valide; unde ſolum difficultas hìc eſt, quandonam confirmetur licite, vel non. Pro quo hæc traditur diſtinctio:

Si baptizatus pervenit ad uſum rationis, confirmatur licite, quoties eſt diſpoſitus.

Si non pervenit ad uſum rationis, confirmatur licite, quoties eſt in periculo mortis.

Alias confirmatur illicite.

Ratio eſt; quia poſt uſum rationis cum poſſit haberi diſpoſitio; ea non habita, fit injuria Sacramento. Ante uſum rationis obſtat prohibitio Eccleſiæ *ex Catechiſmo, de Sacr. confi.* §. 17. quæ prohibitio ceſſat in periculo mortis, cum tunc concurrat jus fortius de augenda gratia, ut confirmatus recipiat moriens majorem gloriam, quæ gratiæ reſpondet.

Unde reſolvitur.

Baptizatus confirmatur illicite poſt ſeptennium, ſi neſciat rudimenta fidei, & juxta capacitatem ea, quæ ad hoc ſacramentum pertinent; quia cum pervenerit ad uſum rationis, ex tali ignorantia non cenſetur diſpoſitus. Idem dicendum eſt, ſi ſciat neceſſaria, ſed confeſſionem ſacramentalem non præmittat, etiamſi ſupponatur non eſſe in peccato; quia ex tali omiſſione adhuc non

cenſetur diſpoſitus. *Catechiſmus de Sacram. Confirmat.* §. 18.

Baptizatus confirmatur illicite ante ſeptennium; etiamſi ſciat omnia ad Sacramenti hujus receptionem neceſſaria; quia adhuc præſumitur, quod non pervenerit ad uſum rationis. E contra confirmatur licite, ſi verſetur in proximo diſcrimine vitæ, etiamſi nihil ſciat; quia tunc eſt in periculo mortis. *Catechiſm. loco cit.* §. 17. *ex Gloſ. in can. ut jejunii, de conſecr. diſt.* 5. *verb. in confirm. De his agit D. Th. par.* 3. *q* 72. *art.* 8. *ad* 4.

CAPUT. V.

De Confirmationis Patrino.

IN Confirmatione ſicuti in Baptiſmo adhibendus eſt Patrinus vir, vel mulier, licet vir viri, & mulier mulieris magis eſſe conveniat, cujus obligatio eſt confirmatum inſtruere in fide, de qua in hoc Sacramento fit profeſſio, niſi a parentibus, vel ab aliis inſtruatur, eaſdemque debet habere conditiones, quas Patrinus Baptiſmi, ad cujus inſtar contrahit cognationem ſpiritualem cum confirmato, ejuſque Patre, ac Matre, dummodo ipſe etiam ſit confirmatus, ut probabilius videtur *ex Gloſſa in can. in baptiſmate de conſecr. diſt.* 4. *verb. ſuſcipere*. Sed quia in confirmatione ad differentiam baptiſmi non poteſt adhiberi niſi unus Patrinus, ne cognationes multiplicentur, nec poteſt adhiberi patrinus, qui adhibitus eſt in Baptiſmo; difficultas eſt, an ſi hoc non ſervetur, fiat ſemper illicite, vel non. Pro quo hæc traditur diſtinctio:

Si in Confirmatione adhibetur duplex Patrinus, fit illicite ſemper.

Si adhibetur Patrinus Baptiſmi, fit illicite, quoties non urget neceſſitas.

Ratio quoad duplicem patrinum eſt; quia abſolute prohibetur *in can. non plures, de conſecr. diſt.* 4. Quo vero ad patrinum adhibitum in Baptiſmo; quia ſolum extra neceſſitatem prohibetur *in can. in Catechiſm. de conſecr. diſt.* 4.

Unde reſolvitur.

Si in confirmatione tenet pupillum vir, ac mulier, ut ob cognationem contractam, uterque ſit ei loco Patris, ac Matris, a quibus educetur, vel ex alio quantumvis juſto motivo, fit illicite, graviter

uterque peccatur; quia adhibetur duplex Patrinus. Idem dicendum eſt, ſi confirmatum teneat unus, ſed tamquam procurator duorum; quia cum tunc non ſit patrinus procurator, ſed principalis, adhuc adhibetur duplex patrinus. *Leander de Sacr. tract. 3. diſp. 5. q. 2.*

Si in confirmatione tenet confirmatum illemet, qui eumdem tenuit in Baptiſmo, etiamſi hoc fiat, ut magis bono confirmati conſulatur, fit illicite; quia adhibetur Patrinus Baptiſmi. Secus vero, ſi alter non reperiatur idoneus, nec alias adſit Confirmationis ſuſcipiendæ opportunitas; quia tunc urget neceſſitas. *Leander loc. cit. q. 3. Vide Averſam de Sacram. q. 72. ſect. 5. verb. in confirmatione.*

CAPUT VI.

De Confirmationis effectu.

Confirmationis effectus eſt triplex: primus eſt augmentum gratiæ, ratione cujus confirmatus juſtificatur, & ad perfectionem Baptiſmi plenitudinem Spiritus ſancti recipit; ſecundus eſt robur ſpeciale, ratione cujus confirmatus ſolidatur in fide ad eam coram hominibus confitendam, ac ſemper retinendam: tertius eſt character, ratione cujus confirmatus ſignatur tamquam miles Chriſti pro ejuſdem fide contra Diaboli impetus pugnaturus. Quoad characterem certum eſt produci, quoties confirmatio ſuſcipitur valide: quoad gratiam, certum eſt etiam produci, quoties non ponitur obex juxta ſuperius dicta de Sacramentis in genere: quo vero ad robur, cum hoc poſſit eſſe vel a gratia habituali, quæ datur in Confirmatione non ſolum per modum juſtificantis, ſed etiam roborantis, vel ab auxilio actuali, quod ex vi Confirmationis datur a Deo juxta opportunitatem, quando nimirum tempus fidei confitendæ, vel retinendæ occurrit; difficultas eſt, quandonam producatur vel non. Pro quo hæc traditur diſtinctio:

Si Confirmationis robur eſt a gratia habituali, producitur, quoties non adeſt obex.

Si eſt ab auxilio actuali, producitur, quoties eſt opus.

Ratio eſt; quia quando robur Confirmationis eſt a gratia habituali, eo ipſo quod per obicem impeditur gratia; impeditur etiam robur ab ipſa procedens, quando vero robur eſt ab auxilio actuali, cum hoc ſit ordinatum ad confitendam, vel re-

retinendam fidem, quæ poteſt eſſe ſine gratia: producitur ex vi Confirmationis, quoties adeſt fidei confitendæ, vel retinendæ neceſſitas.

Unde reſolvitur.

Si Confirmatio ſuſcipitur in peccato, non producitur robur animæ inhærens; quia cum hoc ſit a gratia habituali, adeſt obex. Secus vero ſi poſtea de peccato fiat ſacramentalis Confeſſio, vel eliciatur perfecta contritio; quia tunc ſublato peccato, non adeſt amplius obex. *Averſa de Sacram. qu. 72. ſect. 4. ver. conceden.*

Si in Confirmatione, vel poſtea committitur peccatum, etiam eo non ſublato, producitur ex vi Sacramenti robur, quando confitendæ, vel retinendæ fidei adeſt neceſſitas; quia cum hoc ſit ab auxilio actuali, tunc ad id habendum eſt opus. Secus vero ſi confitendæ, vel retinendæ fidei nulla adſit neceſſitas; quia tunc ad id habendum non eſt opus. *Averſa loco cit. verſ. ſecundo.*

TRACTATUS IV.

De Euchariſtia.

EX tertia proportione, unde homo nutritur; tertium Sacramentum eſt Euchariſtia, per quam homo nutritur in gratia, & fuit a Chriſto inſtituta in nocte Cœnæ, ut habetur *Matth.* 26. *Marci* 14. & *Lucæ* 22. quæ cum ſub ratione ſacramenti contineat materiam, formam, Miniſtrum, ſubjectum, & effectum; ſub ratione vero Sacrificii importet Miſſam, & quæ ad ipſam pertinent; de ſingulis in hoc Tractatu agetur.

CAPUT I.

De Euchariſtiæ Materia.

EUchariſtia, ideſt bona gratia, quæ *eſt Sacramentum continens ſub ſpeciebus panis, ac vini corpus, & ſanguinem Chriſti*, habet pro materia remota panem, ex quo conficitur corpus, & vinum, ex quo conficitur ſanguis, in cujus licito uſu juxta ſuperius dicta de Sacramentis in genere, ſervandus eſt exactiſſime ritus Eccleſiæ: materia autem proxima habet ſpecies ſacramentales, quæ ſunt quantitas, color, ſapor, ceteraque panis, ac vini accidentia, & ubi in aliis Sacramentis remanet materia remota, non autem proxima; in hoc remanet materia proxima, non autem remota; ſicuti autem ex materia remota fit

hoc

hoc Sacramentum, quod ad differentiam ceterorum non conſiſtit in uſu; ita confectum perſeverat ex materia proxima. Sed quia ut Sacramentum conficiatur, debet materia remota eſſe valida, & ut confectum perſeveret, debet materia proxima eſſe permanens; ad dignoſcendum quandonam materia remota cenſeatur valida, ac materia proxima ſcenſeatur permanens, vel non; hæc traditur diſtinctio:

Si materia Euchariſtia eſt remota, cenſetur valida, quoties panis eſt triticeus, ac vinum eſt de vite.

Si materia eſt proxima, cenſetur permanens, quoties ſpecies ad continendam eadem panis, ac vini ſubſtantiam ſunt aptæ.

Alias ſecus.

Ratio quoad materiam remotam eſt; quia cum Chriſtus inſtituerit Euchariſtiam in pane, ac vino; pro utroque intelligendum eſt id, quod communiter accipitur, ut eſt panis triticeus, ac, vinum de vite. Quo vero ad materiam proximam; quia cum corpus ac ſanguis Chriſti ſuccedat loco panis, ac vini; quouſque ſpecies ſunt aptæ ad eamdem panis, ac vini ſubſtantiam continendam, tamquam permanentes, ut erant, ſunt etiam aptæ ad continendum id, quod eorum loco ſuccedit, ſcilicet corpus, ac ſanguinem Chriſti.

Unde reſolvitur.

Panis confectus ex tritico, ſed fermentatus (quamvis in Eccleſia Latina ex violatione ritus ſit materia illicita) eſt tamen valida pro conficiendo corpore Chriſti; quia panis eſt triticeus. Secus vero, ſi ſit confectus totaliter, vel pro æquali parte ex hordeo, farre, ſpelta, ſecala, aut alia re; quia non eſt triticeus; vel ſit confectus ex ſolo amido, vel cum alio liquore, quam aquæ naturalis, vel non ſit coctus igne, vel non per modum aſſationis; quia licet ſit ex tritico, ex communi tamen acceptione non cenſetur panis. *Ex D. Thom. p. 3. q. 74. art. 3.*

Muſtum eſt materia valida pro conficiendo ſanguine Chriſti; quia eſt vinum de vite. Secus vero ſi vinum ſit confectum ex pomis; quia non eſt de vite, vel ſi eſt confectum ex uvis, ſit ita de-

co-

coctum, ut evaſerit ſapa, vel ita diſtillatum, ut evaſerit ſpiritus, vel ita corruptum, ut evaſerit acetum, vel ſit extractum ex uvis immaturis, aut exſiccatis; quia licet ſit de vite; ex communi tamen acceptione non cenſetur vinum. *D. Thom. loc. cit. art.* 5.

Species ſacramentales ſunt materia proxima Euchariſtiæ permanens; ideoque ſub ipſis corpus ac ſanguis Chriſti perſeverat, ſi ita alterentur, ut adhuc ſaporem panis, ac vini retineant; quia ad continendam eamdem panis, ac vini ſubſtantiam, ſi adeſſet, ſunt aptæ. Secus vero ſi ita corrumpantur, ut non amplius panis, ac vini ſaporem retineant; quia tunc ad continendam eamdem panis ac vini ſubſtantiam, ſi adeſſet, non ſunt aptæ. *Ex D. Th. loc. cit. q. 77. art. 4. in corp.*

Species vini conſecrati ſunt materia proxima Euchariſtiæ permanens, ideoque ſub ipſis ſanguis Chriſti perſeverat, ſi miſceantur cum alio liquore in quantitate modica; quia cum per talem mixtionem non deſtruantur; ad continendam eamdem vini ſubſtantiam, ſi adeſſet, ſunt aptæ. Secus vero, ſi miſceantur etiam cum vino non conſecrato in quantitate notabili; quia cum per talem mixtionem deſtruantur; non amplius ad continendam eamdem vini ſubſtantiam ſunt aptæ. *De his agit D. Thom. loco cit. q. 77. art. 8. Vide Averſam de Euchar. q. 2. ſect. 5.*

CAPUT II.

De Euchariſtiæ forma.

Euchariſtiæ forma pro conficiendo Chriſti corpore eſt ſequens - *Hoc eſt enim corpus meum* - ubi omnia verba præter ly *enim* ſunt eſſentialia; forma vero pro conficiendo Chriſti ſanguine eſt ſequens - *Hic eſt enim calix ſanguinis mei novi, & æterni teſtamenti, myſterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum* - ubi ſolum iſta verba *hic eſt calix ſanguinis mei* ſunt eſſentialia, cetera vero ſunt integralia. Ad hoc ut forma tam corporis, quam ſanguinis ſit licita, pronuncianda eſt ut jacet ſub peccato graviſſimo, etiam quoad verba integralia: ad hoc autem ut ſit valida, debet retinere eamdem ſignificationem moraliter juxta ſuperius dicta de Sacramentis in genere. Sed quia aliquando forma

eam-

eamdem ſignificationem non retinet, etiamſi ſervetur præſcripta, & aliquando eamdem ſignificationem retinet, etiamſi non ſerverur præſcripta; ad dignoſcendum quandonam ſit valida, vel non, hæc traditur diſtinctio:

Si Euchariſtiæ ſervatur forma præſcripta, eſt valida, quoties pronunciatur ſupra materiam præſentem, ac determinatam.

Si non ſervatur præſcripta, eſt valida, quotius per pronomen commune exprimitur in perſona Chriſti converſio præſens.

Alias eſt invalida.

Ratio eſt; quia quando ſervatur forma præſcripta, ſi non pronunciatur ſupra mareriam præſentem, ac determinatam; non verificantur illa pronomina - *hoc* & *hic* - quæ ex terminis eam importanc. Quando vero non ſervatur forma præſcripta, ſi per pronomen commune exprimitur in perſona Chriſti converſio præſens; cum tunc fiat propoſitio æquivalens; habetur eadem ſignificatio, in qua conſiſtit vis formæ.

Unde reſolvitur.

Si conſecrationis forma pronunciatur, ut jacet, ſupra materiam aliquo modo perceptibilem vel in ſe, ut ſi poſſit videri, aut tangi, vel in ſuo continenti proximo, ut ſi ſit clauſa in Pyxide, aut in Corporali; eſt valida; quia ſervatur præſcripta, & pronunciatur ſupra materiam præſentem. Secus vero, ſi materia non ſit perceptibilis in ſe, ut ſi notabiliter diſtet, aut ſit poſita poſt parietem, nec etiam ſit perceptibilis in ſuo continenti tamquam remoto, ut ſi poſita ſit intra Tabernaculum; quia tunc licet pronuncietur præſcripta; non tamen pronunciatur ſupra materiam præſentem. *Anton. a Spir. ſanct. de Sacr. tr.* 6. *diſp.* 2. *ſect.* 5.

Si conſecrationis forma præſcripta pronunciatur ſupra decem particulas, quæ diſcerni non poſſint in cumulo plurium, eſt invalida quoad omnes; quia licet pronuncietur ſupra materiam præſentem; non tamen pronunciatur ſupra determinatam. E contra eſt valida ſi pronuncietur ſupra omnes particulas etiamſi putentur eſſe decem, ſed ſint plures; quia ratione intentionis univerſalis ſupra omnes, pronunciatur ſupra mate-

teriam determinatam. *Anton. a Spir. Sanct. loco cit. ſect.* 6.

Si conſecrationis forma præſcripta pronunciatur ſine advertentia ad alias particulas, quæ conſcio Sacerdote fuerunt poſitæ in Corporali, etiam reſpectu ipſarum eſt valida; quia per primam intentionem etiam quoad ipſas pronunciatur ſupra materiam determinatam. E contra quoad ipſas eſt invalida, ſi tales particulæ fuerunt ibi poſitæ Sacerdote inſcio; quia deficiente intentione; quæ non fertur in incognitum; ex tali inadvertentia forma non pronunciatur ſupra materiam determinatam; vel ſi illæ particulæ etiam conſcio Sacerdote fuerunt poſitæ in Altari, ſed extra Corporale; quia cum tunc intentio non ſupponatur adeſſe niſi juxta ritum Eccleſiæ, quæ præcipit conſecrationem in Corporali; adhuc ex tali inadvertentia forma non pronunciatur ſupra materiam determinatam. *Caſtropal. de Sacram. tract.* 21. *diſ. unic. punct.* 6. *n.* 3.

Si conſecrationis forma non pronunciatur ut jacet; quamvis non ſervetur præſcripta, ideoque graviſſime peccetur: adhuc eſt valida, ſi dicatur -- *hoc meum eſt corpus*, aut *hic cibus*, *hæc res eſt corpus meum*; quia cum pronomen ſtet pro pane, & corpore, eſt commune; vel ſi dicatur -- *hoc eſt corpus, quod habeo*; quia exprimitur in perſona Chriſti, vel ſi dicatur -- *hic eſt ſanguis meus*; quia per omiſſionem Calicis non tollitur, quin exprimatur converſio præſens. E contra eſt invalida; ſi dicatur -- *hoc corpus eſt meum*, *aut--hic panis eſt corpus meum*; quia cum tunc pronomen non ſtet pro pane, & corpore, non eſt commune, vel ſi dicatur *hoc eſt Corpus Chriſti*; quia tunc non exprimitur in perſona Chriſti, ſed conſecrantis, vel ſi dicatur--*ecce corpus meum*, quia cum non fiat propoſitio, non exprimitur converſio, vel ſi dicatur -- *hoc fuit*, *aut hoc erit corpus meum*, quia tunc converſio non exprimitur præſens. *Averſa de Euch. quæſt.* 6. *ſect.* 2. *De his agit D. Thom. in* 4. *ſent. diſt.* 11. *q.* 2. *art.* 1. *quæſtiuncula* 3. *ad primum & diſtinct.* 8. *quæſt.* 2. *art.* 1. *quæſtiuncula* 3. *& part.* 3. *quæſt.* 78. *art.* 1. *in corp.*

CA-

CAPUT III.

De Euchariſtiæ Miniſtro.

EUchariſtiæ miniſter, alter eſt confectionis, alter diſpenſationis: miniſter confectionis eſt ſolus Sacerdos, & de hoc dicetur infra ubi de Miſſæ miniſtro: diſpenſationis vero miniſter, de quo ſolum hìc agitur, eſt Sacerdos, & ex commiſſione etiam Diaconus, non autem eo inferior; etiamſi caſus extremæ neceſſitatis urgeat, ut diſponitur *in Can. præſentes Presb. diſt.* 93. In miniſtro diſpenſationis duo poſſunt conſiderari, ſcilicet obligatio, qua tenetur Euchariſtiam diſpenſare, & modus, quem debet in ea diſpenſanda ſervare. Cum igitur de hac diſpenſatione quoad utrumque ſit difficultas; ad dignoſcendum a quo, & quomodo ſit facienda, vel non; hæc traditur diſtinctio:

Si Euchariſtiæ diſpenſatio eſt quoad obligationem, facienda eſt a Parocho, quoties petitur rationabiliter; ab altero, quoties urget præceptum caritatis.

Si eſt quoad modum, facienda eſt in gratia ſemper juxta ritum, quoties non urget neceſſitas; juxta diſpoſitionem petentis, quoties non imminet ſcandalum.

Ratio quoad obligationem eſt: quia cum parochus ſit paſtor, tenetur ex juſtitia oves paſcere, quoties indigent, & indigere cenſentur, quoties rationabiliter petunt; alter vero utpote non paſtor, quamvis non teneatur ex juſtitia; non tamen eximitur a caritate, quæ in neceſſitate obligat omnes. Quo vero ad modum; quia cum ſancta ſint ſancte tractanda, quoties fieri poteſt; gratia utpote recuperabilis per contritionem poteſt ſemper haberi: ritus vero Eccleſiæ, ac diſpoſitio petentis, cum non ſemper poſſit ſervari, eatenus obligat, quatenus non urget præceptum fortius neceſſitatis, vel ſcandali vitandi.

Unde reſolvitur.

Parochus tenetur etiam cum periculo vitæ miniſtrare Euchariſtiam moribundo, quamvis hic ſit juſtificatus; quia ſtante mortis articulo, ab eo petitur rationabiliter. E contra non tenetur cum periculo vitæ eam miniſtrare infirmo, qui non timeatur moriturus; quia tunc ceſſante mortis ar-

articulo, ab eo petitur irrationabiliter. *Filliuc. tract.* 3. *n.* 99.

Diaconus in defectum Parochi tenetur cum periculo vitæ miniſtrare Euchariſtiam moribundo qui aliter juſtificari non poteſt, quia cum ſalus ſpiritualis Proximi præferenda ſit ſaluti temporali propriæ; tunc urget præceptum caritatis. Secus autem ſi moribundus poſſit aliter juſtificari; quia cum neceſſitas extrema ſalutis ſpiritualis ceſſet, & caritas ad differentiam juſtitiæ non obliget cum tanto incommodo; tunc non urget præceptum caritatis. *Ex D.Th.*2. 2. *qu.*26. *art.* 5.

Qui eſt in peccato, ſi Euchariſtiam miniſtrat, non præmiſſo contritionis actu, graviter peccat, etiam in caſu neceſſitatis extremæ; quia cum eam diſpenſet, tenetur eſſe in gratia ſemper. Idem dicendum eſt ſi in peccato eam proceſſionaliter deferat; quia licet tunc non eam diſpenſet; in peccato tamen exercet ordinem Sacrum. *D. Th. in* 4. *diſt.* 13. *q.* 1. *art.* 3. *quæſtiunc.* 1. *ad* 2.

Qui Euchariſtiam miniſtrat ſine ſuperpelliceo, ſtola, lumine, præviis precibus, vel ſine aliis cæremoniis ab Eccleſia præſcriptis, peccat graviter, vel leviter juxta gravitatem, vel levitatem materiæ; quia non eam diſpenſat juxta ritum. Secus autem ſi aliqua omittat quando periculum eſt in mora, vel alio Sacerdote deficiente eam miniſtret ex impedimento chiragræ manu ſiniſtra, aut aliis digitis, quam pollice, & indice, vel ex periculo infectionis eam porrigat aliquo inſtrumento; quia licet tunc eam non diſpenſet juxta ritum Eccleſiæ, urget tamen neceſſitas. *Th. de S. M. de Euchar. par.* 4. *ſelect.* 2. *dub.* 2. *Leander de Euch. tract.* 7. *diſp.* 4 *qu.* 26. *& ſeqq.*

Qui miniſtrat Euchariſtiam notorie indigno, peccat graviter, quia non eam diſpenſat juxta diſpoſitionem petentis. Secus vero, ſi ille ſit peccator occultus, & petat in publico quando ex denegatione timetur nota infamiæ, vel aliud grave malum; quia licet tunc eam non diſpenſet juxta diſpoſitionem petentis; inde tamen imminet ſcandalum. *De his agit D. Th. in* 4. *diſt.* 9. *quæſt.* 1. *art.* 5. *reſponſ. ad primam quæſtiunc. in corp. & par.* 3. *qu.* 80. *art.* 6. *Vide* Baſſæum *verb. Euchar.* 2.

CA-

CAPUT IV.

De Euchariſtia ſubjecto.

EUchariſtiæ ſubjectum eſt omnis homo baptizatus, ac rationis capax, qui ut licite communicet, tria debet habere requiſita, quorum primum eſt, ut Euchariſtiam deglutire, ac retinere poſſit juſtta inſtitutum Chriſti dicentis - *Accipite, & manducate* -- Secundum eſt, ut a media nocte ſit jejunus naturaliter juxta præceptum Eccleſiæ in *Can. liquido, de conſecr. diſt.* 2. jejunus autem cenſetur eſſe etiamſi in ultimo inſtanti mediæ noctis comederit, nec poſtea dormierit, vel ſalivam, aut halium humorem ex capite deſcendentem deglutierit utpote non ſumptum ab extrinſeco, vel per nares aliquid exceperit, quod caſu deſcenderit in ſtomachum utpote non ſumptum per modum cibi, ac potus, vel aliquid per reſpirationem attraxerit utpote non ſumptum per actionem comeſtivam, ac potativam. Tertium eſt, ut ſit ſacramentaliter confeſſus quoties eſt, ſibi conſcius peccati gravis, etiamſi ſibi videatur perfectiſſime contritus (præciſo Celebrante, de quo dicetur infra ubi de Miſſæ miniſtro) juxta præceptum *Concil. Trident. ſeſſ.* 13. *cap.* 7. Cum igitur in Communicante hæc tria requirantur, ſed poſſit contingere, ut in neceſſitatis caſu aliquod ex dictis requiſitis deficiat; difficultas eſt, an; & quando communicet illicite, vel non. Pro quo hæc traditur diſtinctio:

Si Communicans non poteſt deglutire, vel retinere, communicat illicite ſemper.

Si non eſt jejunus, ac de cognito peccato confeſſus, communicat illicite, quoties non concurrit præceptum fortius.

Alias ſecus.

Ratio eſt; quia quando Comunicans non poteſt deglutire, ac retinere, facit contra Chriſti inſtitutum, quod utpote invariabile obligat ſemper. Quando vero non eſt jejunus, vel non confeſſus, facit contra præceptum Eccleſiæ; quod in concurſu fortioris deſinit obligare.

Unde reſolvitur.

Qui laborat morbo, ex quo ſibi fauces ſint omnino præcluſæ, illicite communicat, etiamſi moriturus aliud Sacramentum ad ſe juſtificandum

non

non habeat; quia non poteſt Euchariſtiam deglutire. Idem dicendum eſt, ſi laboret vomitu continuo; quia licet tunc poſſit Euchariſtiam deglutire; non poteſt tamen retinere. *Filliuc. tract. 4. cap. 7. n.* 189.

Qui eſt in mortis articulo, quamvis non jejunus, communicat licite; quia cum præceptum jejunii ſit de jure Eccleſiaſtico & præceptum viatici ſit de jure divino; tunc concurrit præceptum fortius. Idem dicendum eſt ſi quis non jejunus deglutiat Euchariſtiam, ne deveniat in manus Infidelium, vel ne comburatur, vel ne a bruto comedatur; quia cum evitatio irreverentiæ ſit de jure naturali, ac divino; tunc etiam concurrit præceptum fortius. *Lugo de Euchariſt. diſput.* 13. *num.* 58. *&* 87.

Qui eſt in mortis articulo, nec habet copiam Confeſſarii, licite recipit Communionem a Diacono, quamvis de peccato cognito non ſit confeſſus (dummodo eliciat actum, qui ſit putata contritio); quia cum magis urgeat præceptum ſe juſtificandi ob damnationis periculum, quam conſtitutio Eccleſiæ; tunc concurrit præceptum fortius. Idem dicendum eſt, ſi Sacerdos poſt conſecrationem moriatur, nec alius adſit qui communicet; quia cum perfectio ſacrificii ſit de jure divino; tunc etiam concurrit præceptum fortius. *Lugo loco cit. diſ.* 14. *n.* 107. *& diſp.* 15. *n.* 75.

Qui communicaturus acceſſit ad altare, & recordatur peccati gravis in Confeſſione inculpabiliter omiſſi, communicat illicite, etiamſi ex receſſu ſibi timeat aliquam notam; quia cum hæc non præponderet confeſſioni, tunc non concurrit præceptum fortius. Secus autem ſi inde ſibi timeat grave detrimentum (dummodo non cedat in Religionis contemptum); quia cum ejus evitatio ſit de jure naturali; tunc concurrit præceptum fortius. *Lugo loc. cit. diſput.* 14. *n.* 118. *&* 126. *De his agit D. Th. par.* 3. *qu.* 80. *art.* 8.

CAPUT V.

De Euchariſtia effectu.

Euchariſtia cauſſat ex opere operato triplicem effectum, quoties non ponitur obex, ſcilicet augmentum gratiæ cum auxilio ad perſeverandum in ea, remiſſionem venialium, dummodo retracten-

ctentur, & unionem ſpiritualem cum Chriſto, juxta illud Joan. 6. *Qui manducat meam carnem, in me manet, & ego in illo*. Sed quia gratiam, ceteroſque effectus, qui ex ea ſequuntur, eatenus cauſſat, quatenus manducatur, cum ibidem dicat Chriſtus: *Qui manducat me, & ipſe vivet propter me*, ideſt per gratiam: poſſitque contingere, ut Euchariſtia ore excepta, vel non deglutiatur, vel deglutiatur ante, aut poſtquam ejus ſpecies fuerint corruptæ; difficultas eſt in hoc caſu, an, & quando gratiam cauſſet, vel non. Pro quo hæc traditur diſtinctio:

Si Euchariſtia non deglutitur, vel deglutitur poſtquam ſpecies ſunt corruptæ, gratiam non cauſſat unquam.

Si deglutitur ſaltem quoad partem antequam ſpecies ſint corruptæ, gratiam cauſſat, quoties deglutiens eſt diſpoſitus.

Ratio eſt; quia cum Euchariſtia eatenus cauſſet gratiam; quatenus in ea Chriſtus manducatur, qui non deglutit, etiamſi manducet, non manducat, cum adhuc cenſeatur jejunus; & qui deglutit poſtquam ſpecies ſunt corruptæ, non manducat Chriſtum, cum tunc deſierit ibi eſſe. Qui vero deglutit ſaltem quoad partem antequam ſpecies ſint corruptæ, manducat Chriſtum utpote totaliter in qualibet parte exiſtentem, ideoque vivit propter Chriſtum, dummodo ſit diſpoſitus, cum alias manducet indigne.

Unde reſolvitur.

Qui ſumit Euchariſtiam, & ob fauces clauſas eam extrahit ex ore, non recipit gratiam ex opere operato (licet poſſit recipere ex opere operantis ob ſumptionem ſpiritualem;) quia eam non deglutit. Idem dicendum eſt, ſi eam retineat in ore uſquequo diſſolvatur, & poſtea deglutiat; quia tunc eam deglutit poſtquam ſpecies ſunt corruptæ. *Bonac. de Euch. diſ. 4. punct. 2. n. 2.*

Qui deglutit aliquid minimum Euchariſtiæ etiamſi quoad reliquum in ore conſumetur, recipit gratiam; quia deglutit quoad partem antequam ſpecies ſint corruptæ. Idem dicendum eſt, ſi poſtquam deglutiverit, evomat etiam ſpeciebus incorruptis; quia per hoc non tollitur, quin deglutierit. *Leander de Euchariſt. diſp. 11. q. 4.*

Qui

Qui ſumit Euchariſtiam in peccato, & antequam illam deglutiat, vel quoad totum, vel etiam quoad partem (ut poteſt contingere communicanti ſub utraque ſpecie), elicit actum contritionis, recipit gratiam ; quia quando deglutit, eſt diſpoſitus. Secus vero ſi conteratur poſtquam deglutivit, etiamſi ſpecies nondum ſint corruptæ ; quia tunc quando deglutiit, non erat diſpoſitus. *Suarez in 3. par. tom. 3. diſput. 63. ſect. 4. Card. de Lugo de Euch. diſp. 12. ſect. 2.*

CAPUT VI.

De Miſſæ Sacrificio .

MIſſa , quæ dicitur a miſſione, ſeu dimiſſione Populi , *eſt Sacrificium Corporis, & Sanguinis Domini ſub ſpecibus Euchariſticis*, & cum de eſſentia Sacrificii ſit victima , ejuſque immolatio ; ideo de eſſentia Miſſæ eſt conſecratio , per quam habetur victima, & conſumptio per quam habetur immolatio (cum oblatio ſit pars integralis), & tam conſecratio, quam conſumptio eſſentialiter facienda eſt in utraque ſpecie utpote repræſentativa illius Sacrificii, in quo Chriſtus ſuper aram Crucis dedit corpus ſuum, ac ſanguinem. Miſſa non poteſt celebrari quoad locum niſi in Eccleſia , vel Oratorio publico, & quoad tempus niſi ab aurora uſque ad meridiem (ſecluſo in utroque caſu privilegio); quo vero ad modum non poteſt celebrari niſi juxta ritum Eccleſiæ , cujus violatio in eſſentialibus eſt peccatum grave ſemper , in integralibus vero eſt peccatum grave, quoties irreverentia, vel deformitas cenſetur notabilis : defectus autem ſi eſt in eſſentialibus ſupplendus eſt , ſemper; ſi eſt in integralibus ſupplendus eſt , quoties poteſt fieri ſine notabili perturbatione ordinis ab Eccleſia præſcripti . Miſſæ valor eſt a Chriſto, & ab Eccleſia ; quatenus eſt a Chriſto, habetur ſemper, etiamſi miniſter ſit malus : quatenus vero eſt ab Eccleſia , habetur, quoties miniſter non eſt excommunicatus vitandus, quoties non ponitur obex, ſcilicet impetrationis pro beneficiis obtinendis, & reſpicit tam vivos, quam defunctos ; expiationis, ſeu propitiationis pro peccatis commiſſis , & reſpicit tantum-

modo

modo vivos; & ſatisfactionis pro pœnis debitis, & reſpicit vivos, ac defunctos. Cum igitur Miſſæ Sacrificium quoad omnes effectus, non poſſit publica oratione offerri niſi pro fidelibus non excommunicatis; difficultas eſt pro quo, & ad quem effectum poſſit mente privata offerri, vel non. Pro quo hæc traditur diſtinctio:

Si Miſſæ Sacrificium eſt quoad impetrationem, poteſt mente privata licite offerri pro quolibet.

Si eſt quoad expiationem, vel ſatisfactionem, poteſt licite offerri pro ſolo baptizato, quoties eſt in communione Eccleſiæ, & valet juvari.

Alias non poteſt.

Ratio quoad impetrationem eſt; quia cum hæc immediate conferatur petenti; non refert, quod alter, pro quo petitur, ſit capax, vel non. Quo vero ad expiationem, vel ſatisfactionem; quia adeſt præceptum Eccleſiæ, ut conſtat ex ejus ritibus, & obligat indirecte etiam Sacerdotem offerentem mente privata.

Unde reſolvitur.

Miſſa ad obtinendum aliquod beneficium licite offertur mente privata pro vivo tam fideli quamvis excommunicato vitando, quam pro infideli; quia tunc Sacrificium eſt quoad impetrationem. E contra quamvis licite offeratur pro defuncto fideli tam Catechumeno quam Baptizato mortuo in peccato, aut in excommunicatione; illicite offertur pro defuncto infideli; quia ſolum reſpectu fidelis, qui poteſt ſupponi ſalvus, ideoque capax beneficii, non vero reſpectu infidelis, qui ſupponitur damnatus, ideoque incapax beneficii, ſacrificium cenſetur eſſe quoad impetrationem, *Lugo de Euchar. diſp.* 19. *ſect.* 10. *n.* 173. & 185.

Miſſa ad remittenda peccata, vel pœnas eis debitas licite offertur pro baptizato tam vivo, quam defuncto, dummodo non excommunicato; quia tunc ſacrificium eſt quoad expiationem, vel ſatisfactionem. E contra quoad hunc effectum illicite offertur pro Catechumeno; quia non eſt baptizatus, vel pro excommunicato quamvis tolerato; quia non eſt in communione Eccleſiæ, vel pro eo, qui ſupponitur damnatus utpote mortuus in actu peccati; quia non valet juvari, vel pro Beato ab Eccleſia declarato; quia non indiget juvari. *Bonac.*

nac. de Eucbar. diſp. 4. q. ult. punct. 5. n. 4. 7. & 9. De his agit D. Th. par. 3. q. 79. art. 5. & 7.

TRACTATUS VII.

De Miſſæ Miniſtro.

MIſſæ Miniſter eſt ſolus Sacerdos, qui ad celebrandum valide debet habere omnia requiſita eſſentialia; ad celebrandum vero licite præter devotionem, rituſque obſervantiam, requiritur inſuper, ut a media nocte ſit naturaliter jejunus, & in ſtatu gratiæ: quod ſi conſcius ſibi ſit peccati gravis, tenetur confiteri, etiamſi de eo ſit perfecte contritus, vel indirecte abſolutus, & ſi in aliquo caſu celebret, tenetur confiteri quam primum, ideſt ſtatim ac commode poteſt, ut præcipitur in *Concil. Trid. ſeſſ.* 13. *cap.* 7. Sed quia poteſt contingere, ut Sacerdos celebrare cogatur, vel quando non eſt jejunus, vel quando eſt ſibi conſcius peccati gravis, nec Confeſſarii habet copiam; difficultas eſt in his caſibus, an, & quando poſſit licite celebrare, vel non. Pro quo hæc traditur diſtinctio:

Si Saoerdos non eſt jejunus, poteſt celebrare, quoties concurrit præceptum fortius.

Si non eſt confeſſus dummodo contritus, poteſt celebrare, quoties urget neceſſitas gravis.

Alias non poteſt.

Ratio quoad Sacerdotem non jejunum eſt; quia quando concurrit præceptum fortius, alterum de jejunio utpote incompoſſibile cum prævalenti non obligat. Quo vero ad non confeſſum; quia quando præceptum divinum de probatione adimpletur per contritionem; præceptum Eccleſiaſticum de præmittenda Confeſſione non obligat cum tanto incommodo.

Unde reſolvitur.

Sacerdos, qui poſt conſecrationem recordatur ſe non eſſe jejunum, poteſt licite proſequi celebrationem, immo debet, etiamſi ex omiſſione nullum immineret ſcandalum; quia cum perfectio Sacrificii ſit de jure divino, & jejunium ſit de jure Eccleſiaſtico; concurrit præceptum fortius. Idem dicendum eſt, ſi de eo recordetur ante conſecrationem, ſed ex receſſu timeat ſcandalum grave; quia cum hoc cedat in dedecus miniſterii; etiam

tunc

tunc concurrit præceptum fortius. *Lugo de Euch. diſp.* 15. *num.* 70.

Sacerdos, qui in ſumptione Calicis potavit acetum, vel aquam, poteſt, immo, debet materiam aptam vini iterum conſecrare, ac ſumere, quamvis non jejunus, ſicuti etiam fragmenta reperta poſt ablutionem; quia cum perfectio Sacrificii etiam quoad fragmenta ad ipſum ſpectantia ſit de jure divino; concurrit præceptum fortius. E contra non poteſt poſt ablutionem ſumere fragmenta conſecrata alterius Sacrificii; quia cum non ſint partes Sacrificii proprii, poſſintque ſumi a jejuno, eo, vel ſequenti die; non concurrit præceptum fortius. *Lugo loc. cit. num.* 75. & 76.

Sacerdos non jejunus non poteſt celebrare pro dando Viatico etiam in caſu neceſſitatis extremæ; quia licet de Viatico adſit præceptum divinum: cum tamen hoc non afficiat miniſtrum, ſed ſolum ſuſcipientem: quoad Sacerdotem non concurrit præceptum fortius. Secus autem ſi ex omiſſione celebrationis immineat Sacerdoti malum grave (dummodo non in contemptum Religionis); quia cum ejus evitatio ſit de jure naturali; tunc concurrit præceptum fortius. *Lugo loc. cit. n.* 68.

Sacerdos ſibi conſcius peccati, qui copiam Confeſſarii non habet, vel ſi habet, ab eo non abſolvitur, poteſt elicito contritionis actu celebrare, ut det Viaticum, vel ut Populus Miſſam die feſto audiat, quando habet curam animarum, & alius Sacerdos non adeſt, vel ſi non habet curam animarum, ex omiſſione celebrationis prævidet ſibi, vel alteri imminere præjudicium, aut ſcandalum notabile; quia in his, & ſimilibus caſibus, neceſſitas, quæ urget, cenſetur gravis. *Lugo loco cit. diſp.* 14. *n.* 114. E contra non poteſt ita celebrare, ut ipſe ſatisfaciat præcepto de Communione Paſchali, aut de Miſſa in die feſto, vel ut adimpleat votum, aut obligationem celebrandi ob ſtipendium acceptum; quia tunc non urget neceſſitas gravis. *De his agit D. Th. par.* 3. *q.* 83. *art.* 6. *ad.* 2. *Bon. de Euch. diſp.* 4. *q.* 6. *pu.* 1. *n.* 25.

CAPUT VIII.

De Miſſæ obligatione.

AD Miſſam celebrandam tenentur omnes Sacerdotes feſtis ſollemnioribus anni; Parochi vero tenetur, vel per ſe, vel per alios ſingulis diebus quibus opus eſt, ut ſatisfaciant muneri ſuo, & inſuper ad eam applicandam pro Populo quotidie, ſi redditus ſint pingues; ſi autem ſint tenues, tenentur ſaltem feſtis diebus *ex declaratione S. Congreg. Conc.* 10. *Maji* 1681. ceteri vero, qui habent beneficium, Capellaniam, vel ſtipendium tenentur ad eam applicandam juxta obligationem impoſitam. Sed quia hæc obligatio ſolet imponi non ſolum quoad applicationem, ſed etiam quoad circumſtantias, ſcilicet quoad qualitatem, ac numerum Miſſarum, vel quoad locum, ac tempus celebrationis, celebrantiſque perſonam; poſſitque contingere, ut vel applicatio non fiat ut debet, vel circumſtantiæ non ſerventur, ut præſcribuntur, difficultas eſt in his caſibus, an, & quando obligatio valide, ac licite adimpleatur, vel non. Pro quo hæc traditur diſtinctio:

Si Miſſæ obligatio eſt quoad applicationem, adimpletur valide, quoties applicatio fit a celebrante, licite, quoties fit ſine præjudicio alterius.

Si eſt quoad circumſtantias, adimpletur valide, ac licite iis non ſervatis, quoties poteſt de conſenſu partis præſumi.

Alias ſecus.

Ratio quoad applicationem eſt; quia cum celebrans receperit ex vi ordinis poteſtatem offerendi, & in hoc utpote Chriſti miniſter nemini ſubdatur; ab ejus ſola voluntate dependet applicatio, quæ tamen ſi fiat cum præjudicio alterius utpote ipſi injurioſa, eſt conſequenter illicita. Quo vero ad circumſtantias non ſervatas; quia ſicuti quando adeſt conſenſus partis, remittitur obligatio; ita remitti cenſetur quando poteſt de conſenſu præſumi; cum tunc perinde ſit, ac ſi adeſſet.

Unde reſolvitur.

Si Miſſa applicatur a Superiore celebrantis ſine ipſius intentione, obligatio non adimpletur valide; quia tunc applicatio non fit a celebrante.

Se-

Secus vero, ſi aliquando intentio celebrantis ſaltem generaliter præceſſerit, nec ſit retractata; quia tunc virtualiter, vel habitualiter applicatio fit a celebrante. *Averſa de Sacrific. Miſſ. qu.* 11. *ſect.* 10. *verſic. quarto*, & *recte*.

Miſſæ obligatio valide, ſed illicite adimpletur, ſi celebrans eam applicet contra Superioris intentionem; quia tunc applicatio fit cum præjudicio ejuſdem; vel ſi applicet alicui particulari fructum generalem, quem tenetur applicare Eccleſiæ; quia talis applicatio fit cum præjudicio fidelium. Secus vero ſi contra intentionem Superioris, vel etiam illius, qui dedit eleemoſynam, applicet alteri fructum ſpecialiſſimum, qui correſpondet ipſi celebranti (dummodo ei, cui debet, applicet fructum ſpecialem); quia cum celebrans ſit dominus fructus ſpecialiſſimi tamquam proprii, nec alteri ex ulla obbligatione debiti; talis applicatio fit ſine præjudicio alterius. *Averſa loc. cit.* §. 1. & 2.

Qui ex ſtipendio, vel ex alio titulo tenetur celebrare Miſſam Votivam, vel Defunctorum, ſi eam celebrat juxta Officium ejus diei quando hoc non fit de feſto duplici, valide, ſed illicite adimplet obligationem; quia cum non ſervet circumſtantiam quoad qualitatem Miſſæ ſine cauſſa juſta, non poteſt de rationabili conſenſu partis præſumi. Idem dicendum eſt, ſi Miſſæ celebrandæ ſit adnexa particularis Indulgentia; quia cum ex celebratione alterius Miſſæ pars defraudetur illo particulari ſuffragio; non poteſt de ejus conſenſu præſumi. *Averſa loc. cit. ſect.* 18. *verſ. primo*.

Qui ex Capellania tenetur celebrare quotidie, & aliquando (dummodo raro), etiam ſine juſta cauſſa non celebrat, adimplet obligationem ſi hæc ſit directa ad Capellanum, non vero ſi directa ſit ad Capellam; quia cum non cenſeatur fundator voluiſſe cum tanto rigore obligare perſonam, ſicuti cenſetur voluiſſe, quando obligatio afficit locum; in primo caſu, non vero in ſecundo poteſt de ejus conſenſu præſumi. Similiter non adimplet obligationem qui tenetur celebrare ex ſtipendio, & aliquando etiam ex cauſſa juſta non celebrat; quia cum omiſſio poſſit ſuppleri; non poteſt de conſenſu partis præſumi. *Averſ. loc. cit. ſeſſ.* 18. *verſ. ſecundo*.

Qui tenetur celebrare in aliqua Capella, & alibi ſine juſta cauſſa celebrat, adimplet obligationem, ſi pars intendat ſolum fructum ſacrificii, non vero ſi intendat honorem ſuæ Capellæ, vel familiæ, aut Populi commoditatem; quia in primo, non autem in ſecundo caſu poteſt de conſenſu partis præſumi. Similiter non adimplet obligationem qui tenetur celebrare in Altari privilegiato, & alibi ſine juſta cauſſa celebrat; quia cum pars defraudetur illo particulari ſuffragio; non poteſt de ejus conſenſu præſumi. *Averſa loc. cit. ſect.* 18. *verſ. octavo.*

Qui tenetur celebrare per ſe ipſum, & alterum ſubſtituit, adimplet obligationem; quia cum fructus ſacrificii æqualiter applicetur per alium; poteſt de conſenſu partis præſumi. Secus vero ſi ſubſtituat excommunicatum, vel exiſtentem in peccato; quia licet non teneatur ad reſtitutionem; cum ſit applicatus fructus ex opere operato; peccat tamen contra obligationem; quia cum tunc pars defraudetur fructu proveniente ex opere operantis, non poteſt de ejus conſenſu præſumi. *Averſa loc. cit. ſect.* 18. §. 1. *verſ. quarto.*

CAPUT IX.

De Miſſæ ſtipendio.

MIſſæ ſtipendium, quod eſt *pertium temporale celebranti debitum*, non accipitur præciſe pro Miſſa celebranda (quod eſſet ſimoniacum); ſed pro labore extrinſeco celebrantis tamquam in gratiam alterius occupati, ac pro ejus ſubſtentatione congrua, etiamſi non indigeat; quia qui Altari inſervit, de Altari vivere debet; quod ſtipendium poteſt eſſe majus, vel minus juxta conſuetudinem, taxam, vel contractum ratione alicujus tituli juſti. Sed quia hoc eatenus eſt licitum, quatenus turpis quæſtus eſt expers; ad dignoſcendum, quandonam ſit licitum, vel non; hæc traditur diſtinctio:

Si ſtipendium accipitur pro Miſſa celebranda, eſt licitum, quoties exigitur juxta ſtatutum, nec in eo fit lucrum.

Si accipitur pro Miſſa celebrata, eſt licitum, quoties inſuper præceſſit applicatio certa.

Alias ſecus.

Ratio quoad ſtipendium pro Miſſa celebranda eſt;

eſt, quia ſi exigitur ultra ſtatutum, eſt contra juſtitiam, & ſi in eo fit lucrum, eſt contra decentiam. Quo vero ad ſtipendium pro Miſſa celebrata; quia ſi non præceſſit applicatio certa, cum fructus utpote remanens in theſauro Eccleſiæ non ſit amplius in poteſtate celebrantis, ſicuti de eo poteſt diſponi; ita nec ex eo poteſt adquiri.

Unde reſolvitur.

Stipendium multiplex acceptum pro applicatione ejuſdem Sacrificii facienda pluribus, vel etiam pro applicatione fructus ſpecialiſſimi, qui correſpondet ipſi celebranti, eſt illicitum; quia cum pro qualibet Miſſa celebranda unicum ſtatutum ſit ſtipendium; eo ipſo quod accipitur multiplex, exigitur ultra ſtatutum. *Ex declarat. S. Cong. Inquiſit.* 24. *Sept.* 1665. Idem dicendum eſt, ſi conventum ſit inter partes de ſtipendio minori conſueto, vel taxato ab Epiſcopo, & poſtea exigatur integrum; quia cum ſtatutum cenſeatur illud, quod ex conventione utpote potiori eſt acceptatum; adhuc exigitur ultra ſtatutum, *Ex Bulla* 43. *Urbani VIII.* quæ incipit -- *Cum ſæpe contingat*, §. 2.

Si accipitur ſtipendium conſuetum, vel ex liberalitate dantis majus conſueto, & alteri, cui Miſſa celebranda committitur, non datur integrum ſicuti fuit acceptum; quoad partem retentam eſt illicitum; quia in eo fit lucrum. E contra eſt licitum Beneficiato, vel Capellano, qui alteri Miſſam celebrandam committit, dare ſolum ſtipendium conſuetum, etiamſi ipſe ex Beneficio, vel Capellania plus pro rata cujuslibet Miſſæ percipiat; quia cum ipſius obligatio ad celebrandum ſit ex alio titulo, quam ſtipendii; in eo non fit lucrum. *Ex declarat. Bullæ citatæ ad quæſt.* 8. & 10.

Stipendium acceptum ob Miſſam anticipate applicatam pro primo, qui eleemoſynam dederit, eſt illicitum; quia in Miſſa celebrata non præceſſit applicatio certa. Idem dicendum eſt, ſi celebrans intenderit applicare pro eo, quem Deus hic, & nunc certo ſcit eſſe daturum eleemoſynam; quia adhuc ex parte celebrantis non præceſſit applicatio certa. *Ex declarat. S. Cong. Conc.* 15. *Nov.* 1606. *Vide Averſ. de Sacrif. Miſſ. qu.* 11. *ſect.* 17.

TRACTATUS V.

De Pœnitentia.

Ex quarta proportione unde homo infirmus ſanatur, quartum Sacramentum eſt pœnitentia, per quam homo ſanatur ex infirmitate peccati, & fuit a Chriſto inſtituta poſt reſurrectionem, ut habetur *Joan.* 20. quando inſufflans in diſcipulos dixit -- *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt eis.* Cum autem de ejus ratione ſit neceſſitas, materia, forma, miniſter, ſubjectum, ſatisfactio, & effectus, de ſingulis in hoc Tractatu agetur.

CAPUT I.

De Pœnitentiæ neceſſitate.

Pœnitentia quatenus virtus moralis *eſt dolor de peccati propter Deum offenſum cum propoſito de cætero non peccandi*: quatenus vero inſtituta a Chriſto *eſt Sacramentum abſolutionis a peccatis poſt Baptiſmum commiſſis*. Si conſideratur ut virtus moralis, eſt neceſſaria peccatori, quoties eſt juſtificandus; ſi vero conſideratur ut Sacramentum, cum poſſit eſſe vel quoad juſtificationem, ratione cujus confeſſurus recipit gratiam, vel quoad obligationem, ratione cujus baptizatus tenetur confiteri; difficultas eſt in utroque caſu quomodo, & quando pœnitentia ſacramentalis ſit neceſſaria, vel non. Pro quo hæc traditur diſtinctio.

Si Pœnitentia ſacramentalis eſt quoad juſtificationem, eſt neceſſaria neceſſitate medii in re, vel in voto ſemper.

Si eſt quoad obligationem, eſt neceſſaria neceſſitate præcepti de jure divino aliquoties in vita, & ſemper in morte: de jure autem Eccleſiaſtico ſemel quotannis.

Ratio quoad juſtificationem eſt; quia cum ad ipſam ſit pœnitentia ſacramentalis medium inſtitutum a Chriſto, ſi non adhibetur, vel adhiberi non proponitur; finis utpote a tali medio eſſentialiter dependens non poreſt unquam haberi. Quo vero ad obligationem; quia cum medium hoc fuerit inſtitutum, ut adhiberetur, eſt conſequenter præceptum, quod in morte urget ſemper propter periculum, & in vita aliquoties propter obſervantiam,

tiam, cujus tamen obligatio cum ex Chriſti inſtituto eſſet indeterminata; fuit ab Eccleſia determinata ad annum *in cap. omnis utriuſque ſexus, de pœnit.*

Unde reſolvitur.

Qui dolet de offenſa Dei etiam ex motivo amoris, ſed proponit non confiteri ſuo tempore, etiamſi hoc faciat ex ignorantia invincibili, qua credat ſe non teneri, non juſtificatur; quia non habet pœnitentiam ſacramentalem nec in re, nec in voto utpote in alterutro neceſſariam neceſſitate medii. E contra juſtificatur, ſi quando conteritur, non cogitat de Confeſſione; quia cum hanc non excludat, ideoque per contritionem perfectam cenſeatur de ipſa elicere propoſitum implicitum; ſaltem virtualiter habet pœnitentiam ſacramentalem in voto. *Averſa de pœnit. quæſt. 1. ſect. 3. verſ. quarto.*

Qui omittit confiteri per aliquot annos vel quando ei inſtat periculum mortis, etiamſi non ſit ſibi conſcius culpæ gravis, peccat contra præceptum divinum; quia juxta hoc pœnitentia ſacramentalis eſt neceſſaria aliquoties in vita, & ſemper in morte. Similiter, ſi omittit confiteri per annum, etiamſi ſcit ſe eſſe juſtificatum, peccat contra Præceptum Eccleſiæ; quia juxta hoc pœnitentia ſacramentalis eſt neceſſaria ſemel quotannis: *Ex Concil. Trid. ſeſſ.* 14 *cap.* 4. *&* 5. *De his agit D. Thom. in* 3. *diſt.* 17. *quæſt.* 3. *art.* 5. *quæſtiuncula* 1.

CAPUT II.

De Pœnitentiæ materia.

POEnitentiæ materia alia eſt remota, alia proxima; remota eſt omne peccatum commiſſum poſt baptiſmum: proxima vero ſunt actus pœnitentis, ſcilicet contritio, confeſſio, & ſatisfactio, de quibus cum diverſa ſit ratio, ut de ſingulis diſtinctim agatur, ſit

§. I. *De Peccato.*

Peccatum aliud eſt certum, aliud eſt dubium: peccatum certum, ſi eſt mortale dicitur materia pœnitentiæ neceſſaria; quia neceſſario debet aperiri in Confeſſione, etiamſi quis de eo ſit perfecte contritus, vel abſolutus indirecte, aut ex vi alterius Sacramenti juſtificatus per accidens: ſi

vero eſt veniale, vel mortale alias rite confeſſum, dicitur pœnitentiæ materia ſufficiens; quia non debet neceſſario aperiri in Confeſſione, ſed ad conficiendum hoc Sacramentum ſufficit, quamvis ſuppoſito, quod quis confiteri velit, quando non habet mortale, neceſſario ſe accuſare debeat de aliquo veniali, aut de mortali confeſſo, non tamen in genere, ſed in ſpecie, ſeu in particulari, ne ex defectu materiæ ſufficientis, ac certæ Sacramentum ſit nullum. Cum igitur conſtet peccatum certum eſſe pœnitentiæ materiam neceſſariam, quoties eſt mortale, & eſſe materiam ſufficientem, quoties eſt veniale, vel mortale confeſſum; difficultas eſt de peccato dubio tam mortali, quam veniali, an & quando ſit pœnitentiæ materia neceſſaria, aut ſufficiens, vel non. Pro quo hæc traditur diſtinctio:

Si peccatum eſt dubium de mortali, eſt pœnitentiæ materia neceſſaria, ſed non ſufficiens.

Si eſt dubium de veniali, non eſt pœnitentiæ materia neceſſaria, nec ſufficiens.

Ratio quoad dubium de mortali eſt; quia cum vere poſſit eſſe mortale; ad præcavendum periculum, eſt tamquam mortale neceſſario in Confeſſione aperiendum; & cum poſſit non eſſe peccatum, ad præcavendam incertitudinem, non eſt in Confeſſione unicum ponendum. Quo vero ad dubium de veniali; quia cum conſtet non eſſe mortale, ceſſat ratio præcavendi periculi; & cum poſſit non eſſe peccatum, militat ratio præcavendæ incertitudinis.

Unde reſolvitur.

Qui dubitat ſe commiſiſſe mortale, tenetur de eo confiteri, etiamſi ſciat de eo fuiſſe ſe abſolutum indirecte, vel per accidens; quia cum dubium ſit de mortali, eſt pœnitentiæ materia neceſſaria. E contra non poteſt de eo unice confeſſo abſolvi, niſi ſe accuſet inſimul de alio certo; quia cum ſit dubium, non eſt pœnitentiæ materia ſufficiens. *Bonac. de pænit. diſp.* 5. *punct.* 1. *n.* 9.

Qui dubitat ſe commiſiſſe veniale, non tenetur de eo confiteri, etiamſi confiteatur de aliis; quia cum dubium ſit de veniali, non eſt pœnitentiæ materia neceſſaria. Similiter non poteſt de eo uni-

unice confeſſo abſolvi, niſi etiam ſe accuſet de alio certo; quia cum ſit dubium, non eſt pœnitentiæ materia ſufficiens. *De his agit D. Th. par. 3. q 84. art. 2.*

§. II. *De Contritione.*

Contritio, quæ *eſt dolor de peccatis prout ſunt offenſa Dei cum propoſito de cetero non peccandi*, ſi elicitur ex motivo amoris, eſt perfecta, diciturque contritio; ſi vero elicitur ex motivo timoris, vel turpitudinis peccati, eſt imperfecta, diciturque attritio, & hæc pro Sacramento pœnitentiæ ſufficit juxta *Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 4 de pœnit.* Ad hoc autem, ut attritio ſufficiat, tria requiruntur ex parte actus, & tria ex parte pœnitentis. Ex parte actus requiritur primo ut dolor ſit actualis, & formalis, ideſt non virtualis, aut implicitus in aliqua virtute, quia alias non eſſet actus pœnitentiæ: ſecundo ut ſit verus, & efficax, ideſt non exiſtimatus tantum, vel cum ſola velleitate non peccandi; quia alias non eſſet dolor cum propoſito firmo: tertio ut ſit ſupernaturalis, ideſt ex motivo Dei prout cognoſcitur per fidem; quia alias utpote diverſi ordinis non eſſet diſpoſitio ad formam ſupernaturalem. Ex parte autem pœnitentis requiritur primo, ut dolor ſit appretiativus ſaltem implicite, ideſt velle potius omne malum, quam Deum offendere; quia alias dolor non eſſet ſuper omnia: ſecundo ut eliciatur in ordine ad hoc Sacramentum ſaltem virtualiter; quia alias non eſſet ejus pars eſſentialis; tertio ut præcedat abſolutionem; quia alias forma non caderet ſupra materiam. Cum igitur attritio juxta dicta requiſita debeat eſſe de peccatis commiſſis, & hæc poſſint eſſe mortalia, vel venialia, cognita, vel incognita, memorata, vel oblita; difficultas eſt pro validitate Sacramenti de quibuſnam attritio ſit neceſſaria, vel non. Pro quo hæc traditur diſtinctio:

Si commiſſa ſunt peccata mortalia, & venialia, attritio quoad mortalia eſt neceſſaria de omnibus, quoad venialia de nullo.

Si commiſſa ſunt ſola venialia, attritio eſt neceſſaria de aliquo.

Ratio eſt; quia cum mortalia utpote avertentia a Deo, ut remittantur, debeant retractari per converſionem ad eumdem, & unum non poſ-

ſit remitti ſine alio ob incompoſſibilitatem gratiæ cum ullo mortali; retractatio, quæ fit per attritionem, neceſſario fieri debet de omnibus ſaltem in confuſo, ut dicitur *Ezech.* 18. *Si impius egerit pænitentiam ab omnibus iniquitatibus ſuis*. Venialia vero utpote non avertentia a Deo, cum non indigeant retractari, niſi quatenus ponuntur tamquam materia ſufficiens; ſicuti pro hac ſufficit aliquod; ita retractatio, quæ fit per attritionem, ſufficit de aliquo.

Unde reſolvitur.

Si a pœnitente commiſſa ſunt decem mortalia, & atteritur de ſolis novem, de quibus recordatur etiam poſt ſufficiens examen, attritio eſt invalida; quia cum non ſit etiam de decimo, non eſt de omnibus. Secus autem ſi poſt diligens examen recordatur de novem, ſed atteritur in communi de commiſſis; quia cum decimum, quamvis oblitum, ſit commiſſum: tunc attritio eſt de omnibus. *Anton. a Spir. ſanct. de pænit. tract.* 15. *diſp.* 3. *n.* 72. & 73.

Si a pœnitente commiſſa ſunt duo mortalia, & decem venialia, & recordatus de ſingulis, ſolum atteritur de duobus mortalibus: attritio eſt valida; quia quoad mortalia cum ſit de omnibus, quoad venialia non eſt neceſſaria de ullo. Similiter ſi poſt attritionem, & confeſſionem mortalium committit ante abſolutionem aliqua venialia, de quibus non atteritur; adhuc præcedens attritio ſufficit; quia quoad mortalia cum fuerit de omnibus; quoad venialia etiam ſubſequentia non eſt neceſſaria de ullo. *Anton a Spir. ſanct. loc. cit. n.* 192. & 202.

Si a pænitente commiſſa ſunt multa venialia ſine ullo mortali: & recordatus de ſingulis atteritur de uno, & non de aliis, attritio eſt valida; quia cum omnia peccata ſint venialia; attritio eſt ſolum neceſſaria de aliquo. Idem dicendum eſt ſi poſt confeſſionem, & ante abſolutionem committit alia venialia, de quibus non atteritur; quia cum adſit attritio de uno ex commiſſis ante confeſſionem, adhuc adeſt attritio de aliquo. *Lugo de pæn. diſp.* 14. *ſect.* 8. *De his agit D. Thom. in* 4. *diſt.* 17. *q.* 2. *art.* 2. *quæſtiunc.* 3.

§. III. *De Confeſſione.*

Confeſſio, quæ *eſt accuſatio exterior facta Sacerdoti*

doti pro abſolutione a peccatis, quamvis plures requirat conditiones, ut ſit utilior, duas tamen requirit, ut ſit valida, ſcilicet quod ſit fidelis, & integra: fidelis eſt, in qua exprimitur verum: integra, in qua exprimitur totum: dupliciter autem dicitur integra, ſcilicet materialiter, quando aperiuntur omnia peccata commiſſa, & formaliter, quando poſt ſufficiens examen aperiuntur ea omnia, quæ memoriæ occurrunt, ac ſunt aperienda, & inſimul elicitur dolor de omnibus commiſſis. Quoad integritatem non requiritur neceſſario materialis, ſed formalis; quia examen, & non memoria eſt in poteſtate pœnitentis, quo vero ad fidelitatem requiritur omnimoda; quia cum Confeſſarius ſit judex, ſi decipitur, non poteſt ferre judicium. Sed quia hæc fidelitas, ac integritas licet requiratur quoad peccata, eorumque numerum, ac circumſtantias; non tamen neceſſario requiritur quoad omnes eorum differentias, nec ſemper; difficultas eſt de quibus, & quando confeſſio debeat eſſe fidelis ac integra, ut pro validitate ſacramenti ſufficiat, vel non. Pro quo hæc traditur diſtinctio:

Si Confeſſio eſt fidelis, & formaliter integra quoad materiam neceſſariam, numerum probabilem, ac circumſtantias notabiles, ſufficit ſemper.

Si non eſt fidelis, nec materialiter integra quoad prædicta, ſufficit, quoties reticentia ſit ex cauſſa juſta.

Alias non ſufficit.

Ratio quoad materiam neceſſariam eſt; quia ſicuti de hac ſola datur præceptum obligans ad confeſſionem; ita etiam ad ejus fidelitatem, & integritatem: quoad numerum probabilem; quia hic moraliter cenſetur certus: quoad circumſtantias notabiles; quia ex his utpote variantibus judicium Confeſſarii fertur proportionata ſententia; quo vero ad reticentiam ex cauſſa juſta; quia præceptum Chriſti utpote ſuave, ac leve non obligat in caſu phyſice, vel moraliter impoſſibili.

Unde reſolvitur.

Confeſſio, in qua pœnitens advertenter mentitur quoad mortalia, negando quod fecit, vel affirmando quod non fecit; ſeu confitendo dubium tamquam certum, & certum tamquam dubium, vel ſi, dum ex oblivione certum confeſſus eſt tam-

C 6 quam

quam dubium, non redit ad confitendum ut certum quando recordatur, non ſufficit; quia non eſt fidelis quoad materiam neceſſariam. *Jo. Chryſoſt. Scarſo Stromat. moral. ſtromat.* 19. Secus autem ſi etiam doloſe mentiatur quoad venialia, vel etiam quoad mortalia alias rite confeſſa, nec ad præſentem abſolutionem pertinentia (dummodo aliqua adſit materia); quia licet tunc confeſſio ſit infidelis, eſt tamen quoad ſolam materiam ſufficientem, non vero neceſſariam, *Bonac. de pœnit. diſp.* 5. *q.* 5. *ſect.* 2. *punct.* 2. §. 2. *a n.* 7.

Confeſſio, in qua pœnitens ſcienter mentitur in re neceſſaria ad præſentem abſolutionem, ut eſt occaſio proxima, vel conſuetudo peccandi, de qua interrogatur a Confeſſario, non ſufficit; quia licet peccata alias remiſſa ſint ſolum materia ſufficiens, cum tamen occaſio proxima, & conſuetudo tamquam pertinens ad diſpoſitionem, ex quo dependet validitas abſolutionis, ſit ſub mortali explicanda; confeſſio eſt infidelis quoad materiam neceſſariam. Idem dicendum eſt ſi mentiatur circa abſolutionem ab aliis obtentam ob eamdem rationem. *Thom. de S. Maria in collect. de pœnit. par.* 5. *ſelect.* 2. *ſect.* 2. *dub.* 2.

Confeſſio, in qua pœnitens non præmiſit ſufficiens examen (dummodo hoc non ſuppleatur per Confeſſarium interrogantem) etiamſi de hac negligentia ſe accuſet, & omnia confiteatur, non ſufficit; quia licet per accidens ſit integra materialiter; ex defectu tamen examinis non eſt integra formaliter. Secus autem ſi præmiſſo examine voluntarie omittat venialia vel etiam in Confeſſione generali mortalia alias rite confeſſa, de quibus recordatur; quia licet tunc etiam confeſſio ex tali omiſſione voluntaria non ſit integra formaliter; non eſt tamen quoad materiam neceſſariam. *Bonac. loc. cit.* §. 1. *n.* 5. & 6.

Confeſſio, in qua quis dicit ſe peccaſſe ſæpe, vel multoties, non ſufficit; quia cum ly *ſæpe, vel multoties* poſſit inveniri tam in denario quam in centenario; non eſt integra quoad numerum probabilem. Secus autem ſi dicat -- *toties circiter, vel per tale temporis ſpatium*; quia cum ex hoc poſſit conjici, quot circiter fuerint peccata; confeſſio eſt integra quoad numerum probabilem. *Leand. de pœnit. diſ.* 5. *q.* 6. 8. & 11.

Con-

Confeſſio, in qua quis advertenter omittit circumſtantias transferentes peccatum de veniali in mortale, & e contra, vel mutantes ſpeciem peccati, vel ipſum intra eamdem ſpeciem notabiliter aggravantes, aut minuentes, non ſufficit; quia non eſt fidelis, & integra quoad circumſtantias notabiles. Secus autem, ſi omittat alias circumſtantias; quia cum ex ipſis utpote parvi momenti non varietur judicium Confeſſarii, non cenſentur notabiles. *Santb. in oper. mor. lib.* 4. *cap.* 11. *num.* 24.

Confeſſio, in qua quis ex impotentia phyſica, vel morali, ut ſi non poſſit loqui, vel tempus loquendi deficiat, ut in naufragio, omittit aliqua peccata gravia, eorumque numerum probabilem, ac circumſtantias notabiles, ſufficit; quia licet non ſit fidelis, nec materialiter integra quoad neceſſaria, reticentia tamen fit ex cauſſa juſta. Idem dicendum eſt, ſi in neceſſitate confitendi particulari Confeſſario omittat aliquod peccatum, vel circumſtantiam, ne ex ejus manifeſtatione immineat ſibi, vel alteri malum grave (licet in prima Confeſſione teneatur integritatem ſupplere); quia tunc etiam reticentia fit ex cauſſa juſta. *Bonac. loc. cit.* §. 4 *Ex Conc. Trid ſeſſ.* 14. *c.* 5. *Ex D. Bonav. in* 4. *diſt.* 17. *tract.* 3. *art.* 2. *q.* 2. & 3.

§. IV. *De ſatisfactione.*

Satisfactio, quæ *eſt compenſatio pœnæ temporalis debitæ peccatis remiſſis*, quamvis non ſit pœnitentiæ pars eſſentialis, ut duæ aliæ materiæ proximæ, ſcilicet contritio, & confeſſio; eſt tamen pars integralis, ideoque ratione Sacramenti cauſſat ex opere operato diminutionem (majorem, vel minorem juxta ejuſdem qualitatem) illius pœnæ temporalis, quæ debetur peccatis remiſſis, dummodo in pœnitente, quando eam adimplet, non adſit obex peccati, quo tamen ſublato, adhuc effectus ex vi Sacramenti producitur. Cum igitur ſatisfactio utpote pars integralis pœnitentiæ debeat extra caſum impotentiæ omnino injungi, ne fiat Sacramentum mutilum, poſſitque contingere, ut aliquando, vel non acceptetur, vel non adimpleatur, aut notabiliter differatur; difficultas eſt in his caſibus, an, & quomodo peccetur, vel non. Pro quo quo hæc traditur diſtinctio:

Si ſatisfactio non acceptatur, peccatur graviter, quoties poſt abſolutionem non acceptatur tolerabilis .
Si non adimpletur, vel notabiliter differatur, peccatur graviter, vel leviter juxta quantitatem materiæ, quoties fit ſine cauſſa juſta .

Alias non peccatur .

Ratio eſt, quia quando ſatisfactio non acceptatur poſt abſolutionem, cum intendatur fieri Sacramentum mutilum, ex injuria gravi non admittit parvitatem materiæ, dummodo injuncta ſit tolerabilis, cum alias concurrat jus naturale, quod prævalet poſitivo. Quando vero ſatisfactio non adimpletur, vel notabiliter differtur, cum defuerit intentio faciendi Sacramentum mutilum; ſi poſtea mutilatio ſubſequitur utpote ſolum directe oppoſita fidelitati promittentis, admittit parvitatem materiæ; ſi tamen fiat ex cauſſa juſta, militat eadem ratio juris naturalis.

Unde reſolvitur .

Qui ſatisfactionem ſibi injunctam recipere renuit poſtquam a Confeſſario fuit abſolutus, peccat graviter, etiamſi injuncta ſit levis, & pro peccatis levibus; quia tunc eam non acceptat poſt abſolutionem. E contra peccat leviter, ſi eam recipere renuat quando nondum fuit abſolutus, etiamſi injuncta ſit gravis, & pro peccatis gravibus; quia tunc non acceptat ante abſolutionem. *Baſſaus verb. ſatisfact.* 11. & *ſeqq.*

Qui poſt abſolutionem non acceptat ſatisfactionem ſibi phyſice, vel moraliter impoſſibilem, non peccat; quia eſt intolerabilis. Secus autem, ſi non procuret eam ſibi commutari; quia cum tunc poſſit ſubſtitui alia tolerabilis, ceſſat ratio adducta. *Bonac. de pœnit. diſp.* 6. *q.* 5. *ſect.* 3. *punct.* 5. *punct.* 4. *num.* 1. & 2.

Qui non adimplet, vel notabiliter differt ſatisfactionem ſibi injunctam, peccat graviter, ſi ipſa eſt gravis, etiamſi injuncta ſit pro levibus, & peccat leviter, ſi ipſa eſt levis, etiamſi injuncta ſit pro gravibus; quia in hoc gravitas, vel levitas peccati menſuratur juxta quantitatem materiæ. E contra nullo modo peccat, ſi ad eam omittendam, vel differendam habeat rationabile motivum, dummodo omiſſam procuret ſibi commutari in aliam, & dilatam adimpleat quamprimum com-

commode poteſt; quia tunc fit ex cauſſa juſta. *Bonac. loc. cit. n. 4. Vide Averſam de pœnit. q. 13. ſect. 6. De his agit D. Antonin. in Sum. q. 3. tit. 14. cap. 19. §. 18.*

CAPUT III.

De Pœnitentiæ forma.

PŒnitentiæ forma hæc eſt - *Ego te abſolvo a peccatis tuis in nomine* Patris, *& Filii, & Spiritus ſancti, Amen*, in qua illa duo verba-*abſolvo te* - ſunt eſſentialia, alia ſunt integralia, quæ tamen non poſſunt omitti ſine peccato gravi, ſicuti etiam prævia abſolutio a cenſuris, niſi excuſet cauſſa legitima: ſi autem omittitur, adhuc pœnitens remanet ab iis abſolutus, dummodo Confeſſarius per illa verba *abſolvo te*, intendat etiam abſolvere a cenſuris: preces vero tam præviæ, ideſt *Miſereatur tui &c.* quam ſubſequentes, ideſt P*aſſio &c.* poſſunt ſine peccato omitti. Juxta ſuperius dicta de Sacramentis in genere, ut pœnitentiæ forma ſit licita, debet adhiberi ſicuti ab Eccleſia præſcribitur; ut autem ſit valida, debet retinere eamdem ſignificationem moraliter; in quo cum ſtet difficultas, ad dignoſcendum quandonam ſit valida, vel non; hæc traditur diſtinctio:

Si pœnitentiæ ſervatur forma conſueta, eſt valida, quoties profertur ore ſupra præſentem.

Si non ſervatur conſueta, ſed æquivalens, eſt valida, quoties Confeſſarius ſe habet per modum J*udicis abſolventis.*

Alias eſt invalida.

Ratio quoad formam proferendam ore, & ſupra præſentem; quia ita deducitur ex terminis, & declaravit *Clemens VIII. in Conſtit.* 87. quæ incipit - *Sanctiſſimus*. Quo vero ad eam proferendam ab abſolvente per modum Judicantis; quia Confeſſarius non eſt conſtitutus præco, ſed Judex, juxta illud, *Joan.* 20. *Quorum remiſeritis peccata &c.*

Unde reſolvitur.

Abſolutionis forma ut jacet, ſi datur ſcripto, vel nutibus, etiam in caſu neceſſitatis extremæ quando Confeſſarius non poteſt verba articulare, eſt invalida; quia non profertur ore. E contra eſt valida, ſi verba articulentur, etiamſi ex tenui-

nuitate vocis non poſſint intelligi; quia per hoc non tollitur, quin forma proferatur ore. *Fagundez in ſec. Praec. Eccl. lib. 2. c. 10. n. 2.*

Abſolutio, quæ datur pœnitenti intra Cubiculum clauſo, qui non poteſt conſpici, ſed poteſt audiri, vel datur pœnitenti e Confeſſionario expleta Confeſſione abeunti, qui non poteſt audiri, ſed poteſt conſpici, eſt valida; quia cum pœnitens percipiatur aliquo ſenſu corporeo, forma cenſetur proferri ſupra præſentem. E contra eſt invalida, ſi pœnitens non poſſit audiri, nec conſpici; quia cum tunc non percipiatur ullo ſenſu corporeo, forma non cenſetur proferri ſupra præſentem. *Anton. a Spir. ſanct. de pœnit tract.* 6. *diſp.* 2. *num.* 19. 20. & 21.

Abſolutio, in qua dicitur - *Abſolvat te Deus*: eſt invalida; quia abſolvens ſe habet per modum deprecantis. E contra eſt valida, ſi dicatur - *abſolvaris a me*, *vel volo te abſolutum*, vel aliis terminis æquipollentibus; quia tunc Confeſſarius ſe habet per modum Judicis abſolventis. *Averſa de pœnit. q.* 12. *ſect.* 2. *verſ. ſecundo*, & *tertio*. *De his agit D. Th. par.* 3. *quæſt.* 8. *artic.* 3.

CAPUT IV.

De Pœnitentiæ Miniſtro.

PŒnitentiæ Miniſter eſt ſolus Sacerdos, qui poſt conſecrandi poteſtatem, recipit aliam ad remittenda peccata, ſed quia poteſtas abſolvendi utpote exercenda in ſubditum non ſufficit, niſi inſuper accedat juriſdictio, quæ non habetur ex ordine, ſed a Superiore legitimo, qui poteſt eam concedere vel abſolute, vel cum limitatione quoad caſus reſervatos, & Confeſſarius utpote Judex in foro interno teneatur peccata cognoſcere, ſatisfactionem injungere, ac ſigillum ſervare, ut de ſingulis diſtinctim agatur, ſit

§. I. *De Juriſdictione.*

Juriſdictio, quæ *eſt facultas jus dicendi in Subditum*, alia eſt ordinaria, quæ ex vi officii habetur a jure, alia eſt delegata, quæ ex vi conceſſionis habetur ab homine. Ordinaria eſt in Summo Pontifice quoad omnes fideles, in Epiſcopo quoad exiſtentes in ſua Diœceſi, in Prælato Regulari quoad Religioſos ſibi Subditos, ſicuti etiam quoad Sæculares qui ſunt de familia, ideſt

con-

continui commenſales ex *Bulla* 7. *Clement.* X. quæ incipit *Superna* §. 4. & in Parocho quoad Parochianos, quamvis in ipſo ſit reſtricta, ut non poſſit eam aliis delegare, ut expendit *Diana par.* 3. *tr.* 4. *reſ.* 146. Delegata eſt in ceteris, quam ideo non poſſunt ſubdelegare, niſi facultas ſubdelegandi ipſis ſpecialiter concedatur. Juriſdictio delegata alia eſt directa, quæ ſcilicet conceditur ab habente ordinariam, alia indirecta, quæ ſcilicet conceditur ab habente privilegium eligendi ſibi Confeſſarium, quale habent Reges, Cardinales, Epiſcopi, ac Prælati Regulares, dummodo eligant Sacerdotem ab ordinario alicubi, & aliquando approbatum. Cum igitur ad abſolvendum a mortalibus, requiratur juriſdictio ordinaria, vel delegata, ſine qua eſt prohibitum ex Decreto Innocentii XI. abſolvere etiam a venialibus, & quoad ordinariam nullum ſit dubium; ſolum difficultas eſt quoad delegatam quandonam Sacerdos eam habeat, vel non. Pro quo hæc traditur diſtinctio:

Si Sacerdos eſt approbatus, habet juriſdictionem juxta conceſſionem, quoties eſt in Territorio approbantis.

Si non eſt approbatus, habet juriſdictionem, quoties adeſt neceſſitas extrema, vel error communis cum titulo colorato.

Alias non habet.

Ratio quoad approbatum eſt; quia de ejus limitatione ita decernitur in *Bulla* 7. *Clementis* X. quæ incipit - *Superna*. Quo vero ad non approbatum; quia in neceſſitate extrema ita diſponitur *a Conc. Trid. ſeſſ.* 14. *cap.* 7. in errore autem communi ita declarat *Gloſſ. in c.* 54. *dudum de elect. verb. deceptæ*.

Unde reſolvitur.

Sacerdos etiam regularis, qui generaliter fuit ab Ordinario approbatus, non habet juriſdictionem quoad Moniales, neque quoad caſus reſervatos; quia cum pro iis requiratur approbatio ſpecialis, ſi hæc deficiat, non eſt juxta conceſſionem. Similiter non habet juriſdictionem extra Diœceſim, etiamſi pœnitens ſit de illa Diœceſi, in qua Confeſſarius fuit approbatus; quia tunc non eſt in territorio approbantis.

Sa-

Sacerdos non approbatus habet juriſdictionem in omni caſu ad abſolvendum quemcumque conſtitutum in mortis periculo, etiamſi hoc immineat ab extrinſeco, ut a prælio, vel a navigatione, ſi alius Sacerdos idoneus non adſit, vel ſi adſit, nolit abſolvere, vel ſi ſuperveniat re non integra, ideſt, poſt confeſſionem incœptam; quia tunc adeſt neceſſitas extrema. Secus autem ſi mortis periculum non immineat, vel adſit alter idoneus, qui velit abſolvere; quia tunc vel neceſſitas non adeſt, vel ipſa non eſt extrema. *Averſa de pœnit. qu.* 16. *ſect.* 3.

Sacerdos non approbatus vel quia invalide obtinuit beneficium curatum, vel quia extorſit licentiam ſubreptitiam, vel quia exhibuit litteras patentes, ſed falſas, aut nullas, vel ſi exhibuir veras, ceſſaverit facultas per earum expirationem, revocationem, aut per aliquam cenſuram contra ipſum latam: quod tamen a pleriſque ignoratur in loco, in quo confeſſiones audit: ne deceptio cedat in detrimentum fidelium, qui inculpabiliter ſe gerunt; in tali caſu habet juriſdictionem ab Eccleſia; quia tunc ratione talis ignorantiæ adeſt error communis, & ratione talis prætextus adeſt titulus coloratus. Secus autem ſi id ſciatur a multis illius loci; quia tunc non adeſt error communis, vel ſi communiter ignoratur, nullus adſit prætextus audiendi confeſſiones; quia tunc non adeſt titulus coloratus. *Fagundez de* 2. *Præcept. Eccl. l.* 7. *cap.* 2. *n.* 73. *Ex Juribus ſupracitatis.*

§. II. *De Caſuum reſervatione.*

☞ Caſuum reſervatio, quæ *eſt juriſdictionis limitatio*, & morte reſervantis non expirat, quoties fit per ſtatutum, aliquando eſt a Papa, & aliquando ab alio Prælato. Quando eſt a Papa, tunc ſi caſus ſunt reſervati in Bulla Cœnæ, ab iis nemo poteſt abſolvere virtute cujuſcumque privilegii, vel Jubilæi, niſi ſpecialiter exprimantur in conceſſione, in qua tamen quantumvis generali ſemper intelligitur excepta hæreſis: *ex declaratione Alexandri VIII. ſub die* 23. *Maji* 1656. ſi ſunt reſervati extra Bullam Cœnæ; tunc in his duabus circumſtantiis tantum, ideſt ſi ſint occulti, vel Pontifex non poſſit adiri, ab iis poſſunt abſolvere

Epi-

Epiſcopi tamquam Papæ delegati, qui ideo hanc facultatem aliis ſubdelegare non poſſunt: inferiores vero Epiſcopis, quibus conceſſa eſt facultas abſolvendi a caſibus Papæ reſervatis, præter contentos in Bulla Cœnæ, neque poſſunt abſolvere a ſex aliis reſervatis intra Italiam, qui ſunt: Violatio clauſuræ Monialium ad malum finem, Percuſſio Clerici, Simonia realis, Confidentia beneficialis, Duellum, & Violatio immunitatis Eccleſiaſticæ, niſi in conceſſione ſpecialiter exprimantur. Quando reſervatio eſt ab alio Prælato, tunc ſi caſus reſervati habent adnexam cenſuram, cum hæc afficiat perſonam, ab iis non poteſt abſolvere niſi ipſe reſervans, ejuſque delegatus, Succeſſor, vel Superior: ſi vero non habent adnexam cenſuram, cum tunc reſervatio afficiat locum, ideoque intra Diœceſim nemo carens facultate ſpeciali poſſit ab iis abſolvere etiam tempore Jubilæi; extra tamen Diœceſim, ubi non ſunt reſervati, poteſt ab iis abſolvere quilibet Confeſſarius, dummodo pœnitens illuc non migret in fraudem reſervationis, ideſt eo ſolo fine ut abſolvatur, *ex declaratione Clementis X. in Bulla* 7. quæ incipit - *Superna* - Sed quia adhuc deficiente hac ſpeciali facultate in Confeſſario aliquando Pœnitens valide a reſervatis abſolvitur; ad dignoſcendum quandonam valide abſolvatur, & quando non; hæc traditur diſtinctio:

Si pœnitens eſt in bona fide quod reſervata, valide ab iis abſolvitur per ſimplicem Confeſſarium, quoties confitetur etiam non reſervata, vel ea confeſſus eſt cum habente poteſtatem ordinariam.

Si Pœnitens eſt in mala fide, valide per eamdem a reſervatis abſolvitur, quoties adeſt cauſſa urgens, nec poteſt adiri Superior.

Alias ſecus.

Ratio eſt; quia quando Pœnitens eſt in bona fide, ſi confitetur etiam non reſervata, cum tunc ratione diſpoſitionis abſolvatur directe a non reſervatis; ratione incompoſſibilitatis gratiæ cum ullo peccato abſolvitur indirecte etiam e reſervatis: ſi autem reſervata confeſſus eſt cum habente poteſtatem ordinariam, cum hic intenderit abſolvere quantum poterat, etiam in confeſſione invalida ſuſtulit reſervationem, ad differentiam de-

le-

legati, cui facultas cenſetur ſolum conceſſa pro confeſſione valida. Quando vero pœnitens eſt in mala fide, ſi in cauſſa urgenti non poteſt adiri Superior; ex præſumpta intentione Eccleſiæ, quæ eſt pia mater, cenſetur pro tunc ceſſare reſervatio.

Unde reſolvitur.

Si pœnitens non cognoſcit peccata eſſe reſervata, vel ſi cognoſcit, ea ex inculpabili oblivione omittit, ſed inſimul confitetur alia peccata ſaltem venialia, valide abſolvitur per ſimplicem Confeſſarium; quia tunc pœnitens eſt in bona fide, & confitetur alia non reſervata. E contra invalide abſolvitur, ſi confitetur ſola reſervata, etiamſi Confeſſarius invincibiliter neſciens eſſe reſervata abſolvat licite; quia quamvis tunc pœnitens ſit in bona fide; non tamen confitetur alia non reſervata. *Baſſæus verb. coſ. reſervat. n.* 18.

Si Pœnitens ſe accuſavit de reſervatis cum ipſo reſervante, vel cum ejus Succeſſore, aut Superiore, & ab ipſo abſolutus eſt, ſed invalide ex defectu doloris, vel alterius requiſiti eſſentialis, ſi poſtea confitetur cum ſimplici Confeſſario, valide per ipſum abſolvitur a reſervatis: quia quoad hæc proceſſit bona fide, & ea confeſſus eſt cum habente poteſtatem ordinariam. Secus autem, ſi quando ſe accuſavit cum reſervante, ex malitia omiſit reſervata; quia quoad hæc tunc non proceſſit bona fide, vel ea omiſit etiam inculpabiliter; quia tunc ea non eſt confeſſus, vel de iis ſe accuſavit in Confeſſione invalida cum reſervantis delegato; quia tunc ea non eſt confeſſus cum habente poteſtatem ordinariam. *Baſſæus loc. cit. num.* 27.

Si Pœnitens habet peccata etiam ſub cenſura reſervata Epiſcopo, vel Papæ, ad quem, vel ejus delegatum non poteſt accedere ex impotentia phyſica, vel morali, & ſi interim dum confitetur, ei imminet periculum, vel timor infamiæ, aut ſcandali gravis, poteſt per ſimplicem Confeſſarium valide, ac licite abſolvi (cum obligatione tamen ſe poſtea præſentandi Superiori); quia tunc adeſt cauſſa urgens, nec poteſt adiri Superior. Secus autem ſi in caſibus reſervatis Papæ poſſit adiri Epiſcopus, & in reſervatis Epiſcopo poſſit adiri Vicarius, vel periculum non ſit grave, vel peccatum

reſervatum ſit publicum, ex cujus abſolutione immineret majus ſcandalum; quia tunc ceſſat ratio adducta. *Baſſaeus loc. cit. num.* 16. *Vide Suarez in* 3. *p. D. Thom. tom.* 4. *diſp.* 31. *ſect.* 3.

§. III. *De Confeſſarii munere.*

Confeſſarii munus eſt triplex, ſcilicet peccata audire, cognoſcere, ac judicare. Ut audiat, debet eſſe attentus, & in peccatis explicandis defectus pœnitentis ſupplere per interrogationes opportunas, in quibus tamen, præſertim dum agitur de venereis, caute procedendum eſt cum adoleſcentibus, ac puellis, ne peccata doceantur. Ut cognoſcat, debet ſcite peccatorum gravitatem, & circumſtantias, ac de obligatione monere pœnitentem etiam conſtitutum in bona fide in iis, quæ ſunt juris divini, vel naturalis ſemper: in aliis autem, quoties ſperatur profectus. Ut judicet, debet eatenus abſolvere pœnitentem, quatenus putat ipſum abſolutionis capacem, qualis non eſt qui neſcit myſteria principalia fidei utpote explicite credenda neceſſitate medii, & quatenus inſuper putat ipſum diſpoſitum, qualis non eſt qui ſtat in occaſione proxima, ut declaratur *in can. ſatisfactio, de pœnit. diſt.* 3. *ubi Gloſſa, verb. cauſſas, & can. valet interdum, diſt.* 18. vel qui eſt nimium habituatus, vel non vult præſtare quæ ſibi præſcribuntur: in his enim, ac ſimilibus caſibus abſolutio vel eſt omnino deneganda, vel ſi in poteſtate pœnitentis non ſit præſcripta adimplere, eſt ſaltem differenda uſquequo ejus diſpoſitio probetur juxta Confeſſarii prudentis arbitrium. Sed quia poteſt contingere, ut tam in audiendis, quam in cognoſcendis, vel judicandis peccatis Confeſſarius muneri ſuo deficiat; difficultas eſt, an ſicuti tunc abſolvit illicite, ita etiam abſolvat invalide, vel non. Per quo hæc traditur diſtinctio:

Si Confeſſarius deficit in audiendis peccatis, abſolvit invalide, quoties non audit ullum.

Si deficit in iis recte cognoſcendis, vel judicandis, abſolvit invalide, quoties pœnitens eſt indiſpoſitus. Alias abſolvit valide.

Ratio eſt; quia quando Confeſſarius nullum audit peccatum, nulla eſt confeſſio, quæ eſſentialiter auditionem includit, ideoque nulla etiam

da poſſit, vel nolit adiri Confeſſarius, qui illam impoſuit; difficultas eſt a quo, & in quam poſſit ab alio commutari, vel non. Pro quo hæc traditur diſtinctio:

Si ſatisfactio eſt præſervativa, poteſt mutari in æqualem a quolibet.

Si eſt pro reſervatis, poteſt mutari in quamcumque ab habente pro his poteſtatem.

Si eſt pro non reſervatis, poteſt mutari in quamcumque a quolibet, quoties apud commutantem repetitur Confeſſio.

Alias non poteſt.

Ratio eſt; quia cum ſatisfactionis commutatio ſit nova injunctio, ſicuti in injunctione requiritur Confeſſio; ita etiam requiritur in commutatione, quæ ſi eſt de præſervantia, ne poteſtas data in ædificationem cadat in deſtructionem, facienda eſt in æqualem. Si autem eſt de reſervatis, pro quibus juriſdictio manet ſolum in habente poteſtatem, vel de non reſervatis, pro quibus juriſdictio manet in quolibet Confeſſario, ſicuti poteſt injungi quælibet; ita etiam mutari in quamlibet.

Unde reſolvitur.

Si ab uno Confeſſario injuncta eſt ſatisfactio ſalutaris in caſu reincidentiæ, poteſt a quolibet alio Confeſſario (dummodo apud ipſum repetatur confeſſio) mutari in aliam pœnitentiam ſalutarem; quia cum hæc etiam ſit præſervativa; mutatur in æqualem. E contra neque a Superiore poteſt mutari in aliam non ſalutarem; quia cum hæc non ſit præſervativa, non mutatur in æqualem. *Bonac. de pœnit. diſp.* 5. *q.* 5. *ſect.* 3. *punct.* 3. *n.* 5. *Baſſæus verb. ſatisfactio, n.* 11.

Si ab uno Confeſſario injuncta eſt ſatisfactio pro reſervatis, poteſt a reſervante vel ab ejus delegato, apud quem repetitur confeſſio, mutari in aliam etiam mitiorem; quia tunc mutatur ab habente poteſtatem. E contra non poteſt a ſimplici Confeſſario mutari in aliam etiam meliorem, quamvis ſublata ſit reſervatio; quia ſicuti non poterat injungi, ita non poteſt mutari ab eodem utpote non habente pro reſervatis poteſtatem. *Filliuc. tract.* 8. *n.* 52.

Si ab uno Confeſſario habente poteſtatem ſpecialem injuncta eſt ſatisfactio pro non reſervatis, poteſt

poteſt a ſimplici Confeſſario, apud quem repetitur Confeſſio, mutari in aliam etiam mitiorem; quia cum non ſit pro reſervatis, poteſt in quamcumque mutari a quolibet. E contra non poteſt mutari in evidenter meliorem ab ipſo pœnitente; neque ab ullo Confeſſario extra confeſſionem; quia tunc apud commutantem non repetitur confeſſio. *Bonac. loc. n. 4. 7. & 12. De his agit D. Antonin. part. 3. tit. 14. cap. 19. §. 13. Vide Suarez in 3. part. D. Th. diſp. 38. ſect.* 10.

§. V. *De Sigillo*.

Sigillum quod *eſt obligatio ſecreti celandi*, aliud eſt naturale, quod oritur ex pacto expreſſo, vel tacito, aliud Sacramentale, quod oritur ex Confeſſione ſacramentaliter facta. Sigillum naturale obligat, quoties ſecretum non vergat in grave damnum proximi; Sacramentale vero obligat in omni caſu excogitabili non ſolum Confeſſarium, ſed etiam interpretem, & omnem alium Confeſſionis participem ex præcepto naturali, divino, & Eccleſiaſtico, ut colligitur *ex cap. omnis utriuſque ſexus, de pœnit.* itaut etiamſi cogeretur juramento, non poſſit de auditis in confeſſione loqui, ne dum cum aliis, ſed nec cum ipſo pœnitente, niſi de ejus expreſſa licentia, quæ cenſetur dari, quoties pœnitens Confeſſarium interrogat de iis, de quibus eſt confeſſus; alias ex fractione ſigilli peccat contra juſtitiam, & Religionem, quod tamen peccatum ex jure communi non reſervatur. Sed quia non omnia audita in confeſſione cadunt ſub ſigillo Sacramentali, ideoque non ſemper hoc frangitur; ad dignoſcendum quandonam frangatur, vel non, hæc traditur diſtinctio:

Si notitia eſt habita ex Confeſſione facta per modum accuſationis, ſigillum frangitur, quoties per dictum, vel factum redditur hæc odioſa.

Si notitia eſt habita aliunde, vel aliter, ſigillum non frangitur unquam.

Ratio eſt; quia cum ſigillum ſit adnexum Confeſſioni ſacramentali; hæc eatenus ſacramentalis eſt, quatenus fit per modum accuſationis, ut patet ex definitione confeſſionis, quæ *eſt accuſatio exterior facta Sacerdoti &c.* & cum ſigillum obliget, ne pœnitenti, ac Sacramento fiat injuria; eatenus frangitur, quatenus injuria per abuſum noti-

tiæ

tiæ ſit pœnitenti, & per odioſitatem ſit ſacramento.

Unde reſolvitur.

Si quis etiam non Confeſſarius manifeſtet quæ audivit, vel tamquam Confeſſionis interpres, vel ex caſuali approximatione ad confitentem, vel de induſtria fingens ſe Confeſſarium, frangit ſigillum; quia tunc notitia eſt habita ex Confeſſione. Secus autem, ſi manifeſtet peccata, quæ legit in ſchedula inventa, vel de quibus fuit conſultus tamquam doctor; quia tunc notitia non eſt habita ex confeſſione. *Lugo de pœnit. diſp.* 23. *ſect.* 2.

Si Confeſſarius manifeſtet dolum illius, qui inter confitendum non ſe accuſat de peccato ſed ipſum exponit, tentando Confeſſarium ad aliquid inique agendum, non frangit ſigillum; quia licet doli notitia habita ſit ex Confeſſione; hæc tamen non fuit facta per modum accuſationis. Secus autem ſi pœnitens ſe accuſet de tentatione, quam habet inducendi ipſum Confeſſarium ad aliquid inique agendum, ut hoc modo ei ſuam explicet intentionem; quia tunc notitia licet ſit habita ex Confeſſione ſacrilega, hæc tamen eſt facta per modum accuſationis. *Suarez in* 3. *par. tom.* 4. *diſp.* 33. *ſect.* 2. *num* 6.

Si Confeſſarius dicit pœnitentem eſſe confeſſum de veniali in ſpecie, vel ſe ei injunxiſſe talem pœnitentiam, vel ipſum habere defectus ignotos, aut etiam virtutes, ex quibus colligi poſſit inclinatio ad peccata, & nominet perſonam, frangit ſigillum; quia cum hoc poſſit ei afferre ruborem, vel moleſtiam, per tale dictum Confeſſio redditur odioſa. Secus autem, ſi dicat pœnitentem eſſe confeſſum de veniali in genere, vel ſe ei injunxiſſe pœnitentiam leviſſimam, vel ipſum habere defectus jam notos, vel virtutes, quæ non habent relationem ullam ad peccata; quia cum hoc non poſſit ei rationabiliter afferre ruborem, nec moleſtiam; per tale dictum Confeſſio non redditur odioſa. *Averſa de pœnit. qu.* 18. *ſect.* 4.

Si Confeſſarius utitur notitia habita in Confeſſione cum aliquo gravamine pœnitentis, vel complicis, ut ſi eum torvis oculis aſpiciat, aut fugiat, vel ſi eſt Superiuor, ei deneget licentiam, aut ſuffragium, vel eidem non abſoluto deneget

ſchedulam, vel aliter gravet, frangit ſigillum; quia per tale factum utpote injurioſum, Confeſſio redditur odioſa: ſecus autem ſi ea notitia utatur ad præcavendum malum ſibi, vel alteri imminens ſine ullo pœnitentis, aut alterius gravamine; quia per tale factum utpote nemini injurioſum Confeſſio non redditur odioſa. *Coninch. de pœnit. diſp. 9. dub. 1. n. 14. & 15. Et Bonac. de pœnit. diſp. 3. q. 6. ſect. 5. punct. 4. n. 26. & 27. De his agit D. Thom in 4. diſt 21. q. 3. art. 1. & 3. Et D. Anton. par. 3. tit. 17. c. 22. §. 3.*

CAPUT V.

De Pœnitentiæ ſubjecto.

PŒnitentiæ ſubjectum eſt omnis homo baptizatus, qui peccatum actuale commiſit, & licet in ceteris Sacramentis homo poſſit eſſe capax ea recipiendi valide quamvis illicite, in hoc ad differentiam ceterorum non poteſt eſſe capax recipiendi valide, niſi etiam recipiat licite: capax autem cenſetur recipiendi licite, & conſequenter valide, quoties eſt diſpoſitus, & inſuper ſolutus ab omni cenſura, cum hæc Sacramenti receptionem impediat. Sed quia poteſt contingere, ut pœnitens non ſit diſpoſitus, vel non ſolutus a cenſura inculpabiliter; difficultas eſt in hoc caſu, an, & quando ſit pœnitentiæ incapax, vel non. Pro quo hæc traditur diſtinctio:

Si pœnitens non eſt diſpoſitus, eſt pœnitentiæ incapax ſemper.

Si non eſt ſolutus a cenſura, eſt pœnitentiæ incapax, quoties eſt in mala fide.

Alias eſt capax:

Ratio quoad diſpoſitionem eſt, quia hæc in pœnitentia utpote pertinens ad materiam proximam eſt eſſentialis. Quo vero ad cenſuram; quia cum Eccleſia per hanc non irritet, ſed ſolum prohibeat Sacramentum, eatenus non ſolutus a cenſura eſt pœnitentiæ incapax, quatenus ob malam fidem non eſt diſpoſitus.

Unde reſolvitur.

Qui non confitetur integre formaliter, vel non conteritur ſupernaturaliter de peccatis etiam ex inadvertentia, vel ignorantia inculpabili, quamvis non peccet, adhuc tamen eſt pœnitentiæ, ſeu abſolutionis incapax; quia non eſt diſpoſitus,

qua-

qualis cenſetur etiam qui confitetur cum complice ut docet *Joannis Chryſt. Scarfo in ſtromat. moral. ſtromat.* 22. Idem dicendum eſt, etiamſi bona fide putet ſe eſſe diſpoſitum; quia per hoc quod ſit putative, non ſequitur quod ſit vere diſpoſitus. *Averſa de pœnit. qu.* 14. *ſect.* 6.

Qui eſt ligatus excommunicatione reſervata & invincibiliter ignorat, vel non recordatur ſe eſſe excommunicatum, vel hoc advertens invincibiliter ignorat requiri abſolutionem a cenſura, ut poſſit abſolvi a peccatis, eſt pœnitentiæ capax; quia licet non ſit ſolutus a cenſura, eſt tamen in bona fide. E contra eſt pœnitentiæ incapax, ſi non habeat ignorantiam invincibilem facti, vel juris, etiamſi procuraverit abſolutionem a cenſura, ſed obtinere non potuerit; quia tunc eſt in mala fide. *Ex argum. textus, c. Apoſtolicæ, de Cleric. excom. miniſtr. Averſ. de pœnit. q.* 15. *ſect.* 1.

CAPUT VI.

De Pœnitentiæ effectibus.

PŒnitentiæ effectus ſunt tres, quorum primus eſt juſtificatio, per quam tolluntur peccata, redeunt virtutes cum caritate connexæ, & reviviſcunt bona opera facta in ſtatu gratiæ utpote mortificata, non vero facta in peccato utpote mortua: ſecundus effectus eſt commutatio pœnæ æternæ in temporalem ſolvendam in Purgatorio, vel in hac vita: tertius effectus eſt remiſſio partialis, ſeu diminutio ejuſdem pœnæ temporalis. Ex his tribus effectibus Sacramentum hoc præſtat remiſſionem peccatorum, & commutationem pœnæ, dummodo ſit validum; partialem vero remiſſionem pœnæ, dummodo etiam ſit integrum. Sed quia etiamſi ſit validum, adhuc tamen non ſemper remittit omnia peccata, ſicuti nec ſemper remittit partem pœnæ temporalis etiamſi ſit integrum; ad dignoſcendum quandonam ea remittat, vel non; hæc traditur diſtinctio:

Si Pœnitentiæ Sacramentum eſt validum, remittit omnia mortalia ſemper: venialia autem, quoties non ponitur obex venialis

Si eſt etiam integrum, remittit partem pœnæ temporalis, quoties non ponitur obex mortalis.

Ratio quoad mortalia eſt; quia ex ipſo, quod Sacramentum eſt validum, parit juſtificationem,

 quæ

quæ eſt incompoſſibilis cum ullo mortali: quoad venialia; quia ſicut obex mortalis impedit remiſſionem mortalium, ita venialis venialium, quorum utpote compoſſibilium cum gratia poteſt remitti unum ſine alio. Quo vero ad partem pœnæ temporalis; quia hujus remiſſio habetur a ſatisfactione facta in ſtatu gratiæ.

Unde reſolvitur.

Si Pœnitens rite confitetur, & abſolvitur, pœnitentia non ſolum ei remittit omnia mortalia, ſed etiam omnia venialia utpote magis remiſſibilia, etiamſi de ipſis venialibus non confiteatur, nec doleat, quia Sacramentum eſt validum, nec ullus ponitur obex. E contra ſi pœnitens in Confeſſione peccet venialiter, vel de aliquo veniali complaceat, quamvis pœnitentia ei remittat omnia mortalia, & alia venialia, non tamen ei remittit illud veniale, quod tunc committit, neque illud veniale, de quo ſibi complacet; quia tunc ponitur obex venialis. *Bonac. de pœnit. diſ. 5. qu. 6. ſect. 2. punct. 1. num. 2.*

Si pœnitens rite confitetur, & abſolvitur, ſed non adimplet ſatisfactionem injunctam, quamvis pœnitenti ei remittat peccata, non tamen ei remittit partem pœnæ temporalis; quia tunc Sacramentum licet ſit validum, non eſt tamen integrum. Idem dicendum eſt ſi adimplet ſatisfactionem, ſed in ſtatu peccati gravis; quia licet tunc Sacramentum ſit integrum, ponitur tamen obex mortalis. *Bonac loc. cit. q. 5. ſect. 4. punct. 7. n. 16. & 17.*

Si Pœnitens adimplet ſatisfactionem in ſtatu peccati levis, hæc ei remittit partem pœnæ temporalis; quia obex non eſt mortalis. Idem dicendum eſt, ſi ea adimpleta in ſtatu peccati gravis poſtea ſublato obice & recuperata gratia juſtificetur; quia cum omne Sacramentum remoto obice præſtet effectum, etiam talis ſatisfactio, quæ utpote pars Sacramenti non fuit mortua, ſed mortificata, præſtat diminutionem pœnæ cum removetur obex mortalis. *Bon loc cit. Vide Suarez in 2. p. D. Th. t. 4. diſp. 12. ſect. 1. & diſp. 8. ſect. 18.*

APPENDIX.

De Indulgentiis.

Pœnitentiæ adnectitur Indulgentia, quæ *eſt relaxatio pœnæ temporalis debitæ peccatis remiſſis*; quia

quia ſicuti per pœnitentiam tollitur reatus culpæ, ac pœnæ æternæ, ita per Indulgentiam, quæ fit per applicationem ſatisfactionis Chriſti, & Sanctorum, tollitur pœna illa, quæ ad ſatisfaciendum divinæ juſtitiæ ſolvenda eſt in Purgatorio, vel in hac vita, & quamvis tollatur etiam per merita, ac ſuffragia bonorum operum, in his tamen effectus remiſſionis non eſt infallibilis ſicuti in Indulgentiis, quæ ſi ſunt plenariæ, remittunt totam pœnam, ſi non ſunt plenariæ, remittunt partem conceſſioni reſpondentem, itaut ſi concedatur Indulgentia centum dierum, non intelligitur relaxari in Purgatorio pœna centum dierum, ſed illa, quæ remitteretur per pœnitentiam centum dierum. Cum Indulgentiæ pertineant ad juriſdictionem, quæ non poteſt exerceri niſi in ſubditum, conſequens eſt ut earum capax non ſit niſi homo baptizatus utpote Subditus Eccleſiæ. Sed quia ad eas adquirendas requiritur inſuper diſpoſitio, ad dignoſcendum quandonam baptizatus utpote capax eas adquirat, vel non, hæc traditur diſtinctio:

Si baptizatus eſt excommunicatus, Indulgentias non adquirit unquam.

Si non eſt excommunicatus, Indulgentias adquirit, quoties facit opera præſcripta, & ſaltem ultimum in gratia.

Alias non adquirit.

Ratio quoad excommunicationem eſt; quia cum Indulgentia pertineat ad Sanctorum Communionem, hac privatur excommunicatus. Quoad opera præſcripta; quia cum Indulgentiæ concedantur ſub ea conditione, ea non adimpleta, non cenſentur conceſſæ: quod vero ad ſtatum gratiæ ſaltem in ultimo opere; quia cum Indulgentiæ ſolum in ultimo opere tamquam omni conditione adimpleta applicentur homini; hic utpote tunc expers culpæ, eſt etiam capax remiſſionis pœnæ.

Unde reſolvitur.

Qui incidit in excommunicationem, etiamſi ſit toleratus, & faciat omnia opera præſcripta in gratia, non adquirit Indulgentias; quia eſt excommunicatus. Idem dicendum eſt, etiamſi inculpabiliter neſciat ſe eſſe ligatum cenſura; quia uſquequo non ſolvatur ab habente poteſtatem, eſt

excommunicatus. *Bonac. de Indulgentiis diſp. 6. q. 1. punct. 5. n. 3.*

Qui non facit Confeſſionem quando eſt injuncta pro Indulgentiis, eas non adquirit, etiamſi ſit in gratia; quia non facit opus præſcriptum. Idem dicendum eſt ſi facit Confeſſionem invalidam etiam inculpabiliter, vel faciat Communionem ſacrilegam; quia cum utraque præſcribatur juxta Chriſti inſtitutum, ex tali defectu non facit opus præſcriptum. *Sanch. de Mart. lib. 8. diſp. 15. n. 19. & in ſum. lib. 5. c. 5. n. 6.*

Qui non facit eleemoſynam etiam ex impotentia, vel ſaltem tunc ſibi non applicat eam, quæ erat alteri danda, quando eſt injuncta pro indulgentiis, eas non adquirit; quia non faciat opus præſcriptum. Idem dicendum eſt ſi facit eleemoſynam per famulum, qui eam ſibi retineat; quia cum non ſit data pauperi, non facit opus præſcriptum. *Bonacin. loc. cit. num. 22.*

Qui in Jubilæo jejunat, ſed non diebus præfixis; etiamſi hoc faciat ex neceſſitate, vel alia cauſa juſta, non adquirit Indulgentias; quia licet jejunium ſervet quoad ſubſtantiam, cum tamen illud non ſervet etiam quoad tempus, non facit opus præſcriptum. E contra Indulgentias adquirit, ſi alia opera injuncta differat ad diem Dominicæ; quia liceet tunc incipiat alia hebdomada, cum tamen ex praxi fidelium, & ex præſumpta mente Pontificis dies Dominicæ quoad hoc moraliter continuetur cum præcedenti hebdomada, tunc etiam quoad tempus facit opus præſcriptum. *Bon. loc. cit. n. 34.*

Qui ultimum opus præſcriptum facit in peccato, ſed de eo confitetur antequam labatur tempus Indulgentiæ, eam adquirit; quia cum talis confeſſio utpote facta infra terminum poſſit ſubſtitui loco ultimi operis; tunc verificatur, quod faciat ultimum opus in gratia. Secus vero ſi confiteatur poſtquam tempus Indulgentiæ eſt elapſum; quia cum tunc Confeſſio utpote non facta infra terminum non poſſit ſubſtitui loco ultimi operis, nec ultimum opus utpote non pertinens ad Sacramentum poſſit per remotionem obicis reviviſcere, non verificatur quod faciat ultimum opus in gratia. *Bonac. loc. cit. n. 33. Vide Suarez in 3. par. D. Thomæ tom. 4. diſp. 51. ſect. 2.*

TRA-

TRACTATUS VI.

De extrema Unctione.

EX quinta proportione unde homo ſanatus convaleſcit, quintum Sacramentum eſt Unctio extrema, per quam pœnitens ſanatus ab infirmitate peccati convaleſcit ab ejuſdem reliquiis, ut moriturus corpore, vegetius ſpiritu vivat. Hoc Sacramentum a Chriſto inſtitutum tradit *Jacobus Apoſtolus in ſua Epiſtola cap. 5. Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ & orent ſuper eum ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit remittentur ei* - in quibus verbis cum inſinuetur hujus Sacramenti materia, forma, miniſter, ſubjectum, ritus, reiteratio, & effectus, de ſingulis in hoc Tractatu agetur.

CAPUT I.

De extrema Unctionis materia.

UNctio extrema, quæ *eſt inunctio Olei benedicti in ſenſibus infirmis*, habet pro materia remota Oleum, quod benedictum ab Epiſcopo dicitur infirmorum; pro materia vero proxima habet unctionem in ſenſibus infirmi, qui ſi eſt vir, inungitur in ſeptem partibus, ſcilicet in oculis, auribus, naribus, ore, manibus, renibus, ac pedibus, ſi vero eſt mulier, inungitur in ſex, cum in ea, ratione honeſtatis, omittatur unctio renum. Ut utraque hæc materia ſit licita, adhibenda eſt ſicuti ab Eccleſia præſcribitur, alias enim ſemper peccatur graviter. Sed quia poteſt contingere, ut culpabiliter, vel inculpabiliter non adhibeatur ſicuti præſcribitur; difficultas eſt, an, & quando ſit valida, vel non. Pro quo hæc traditur diſtinctio:

Si materia extremæ Unctionis eſt remota, cenſetur valida, quoties Oleum ex olivis eſt ab Epiſcopo ad hoc benedictum.

Si eſt proxima, cenſetur valida, quoties fit in quinque ſenſibus.

Alias cenſetur invalida.

Ratio quoad oleum ex olivis eſt; quia cum in epiſtola D. Jacobi dicatur, *Ungentes Oleo*, intelligitur de communi, quod ſit benedictum ab Epiſcopo ad hoc; quia ita habetur ex traditione Apoſtoli-

ſtolica juxta *Concil. Florent. in inſtructione ad Armenos*, & juxta *Concil. Trident. ſeſſ.* 14. *de Sacr. unct. cap.* 1. Quo vero ad unctionem in quinque ſenſibus; quia cum unctio ordinetur ad delenda peccata, ut patet ex illis verbis, *Si in peccatis ſit remittentur ei*, ſicuti in quinque ſenſibus peccatur, ita in eiſdem facienda eſt unctio.

Unde reſolvitur.

Materia remota extremæ Unctionis eſt invalida, ſi Oleum non ſit commune; quia non eſt ex Olivis; vel ſit benedictum ab electo, ſed nondum conſecrato; quia non eſt benedictum ab Epiſcopo; vel ſit ab eo benedictum, ſed tamquam Oleum catechumenorum, vel chriſmatis; quia tunc non eſt ad hoc, ideſt ad ungendos infirmos, benedictum. E contra eſt materia valida, ſi Oleum ſit ad hoc benedictum, ſed non eo anno, vel non in Cœna Domini, vel ritu non ſollemni; quia licet non ſit juxta præſcriptum Eccleſiæ, hoc tamen non tollit, quin Oleum ſit ex Olivis, & ab Epiſcopo ad hoc benedictum. *Bonac. de extr. unction. diſp.* 7. *punct.* 2. *n.* 4. 5. *&* 6.

Materia proxima extremæ Unctionis eſt invalida, ſi omittatur unctio in oculis, vel auribus, vel ſi iis infirmus caret, omittatur in ea parte, in qua adeſſent; quia tunc unctio non fit in quinque ſenſibus. E contra eſt valida, ſi non fiat in utroque organo, ſed in uno, ſcilicet in unico oculo aut aure, vel pro pluribus unctionibus tactus adhibeatur unica, ut in ſola manu omiſſis aliis in renibus, ac pedibus, aut e converſo, vel unctio non fiat immediate per manum, ſed mediante inſtrumento, vel non fiat per modum crucis (ad differentiam confirmationis, in qua ſignum crucis utpote expreſſum per formam eſt eſſentiale); quia licet in his caſibus unctio non fiat juxta præſcriptum Eccleſiæ, hoc tamen non tollit, quin fiat in quinque ſenſibus. *Bonac. loc. cit. punct.* 5. *n.* 16. *&* 21. *de his agit D. Th. in* 4. *diſt.* 23. *q.* 1. *art.* 2. *& q.* 2. *art.* 3.

CAPUT II.

De extremæ Unctionis forma.

EXtremæ Unctionis forma hæc eſt - *Per iſtam ſanctam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus quidquid per viſum &c.*

&c. deliquiſti &c. quæ in unctione cujuslibet ſenſus repetenda eſt cum ejuſdem expreſſione juxta Rituale, niſi urgeat extrema neceſſitas, in qua poſſunt ungi omnes ſenſus ſub unica forma, dummodo in ea ſinguli exprimantur. Ut forma hæc ſit licita, pronuncianda eſt ſicuti ab Eccleſia præſcribitur; ut autem ſit valida, debet retinere eamdem ſignificationem juxta ſuperius dicta de Sacramentis in genere, in quo cum ſtet difficultas, ad dignoſcendum quandonam ſit valida, vel non; hæc traditur diſtinctio:

Si extremæ Unctionis ſervatur forma præſcripta, eſt valida, quoties ab ungente pronunciatur unctioni correſpondens.

Si non ſervatur præſcripta, eſt valida, quoties exprimitur actio, & verba ſunt deprecativa. Alias eſt invalida.

Ratio eſt; quia quando ſervatur forma præſcripta, ſi non prununciatur ab ungente, non verificatur illud D. *Jacobi - Orent ſuper eum ungentes &c.* ubi exprimitur eumdem eſſe debere pronunciantem, & ungentem, & ſi non pronunciatur illa, quæ correſpondet ſenſui uncto, falſa eſt oratio. Quando vero non ſervatur forma præſcripta, ſi tamen exprimitur actio, adhuc verificatur illud D. *Jacobi*, *Ungentes, & remittuntur &c.* & ſi verba ſunt deprecativa, verificatur etiam illud - *Orent ſuper eum, & oratio fidei &c.*

Unde reſolvitur -

Si forma extremæ Unctionis adhibetur ut jacet, adhuc eſt invalida, ſi ſuper eumdem ſenſum proferatur ab uno dum alter ungit; quia tunc non pronunciatur ab ungente. Idem dicendum eſt, ſi ab ungente proferatur forma pro oculis, dum ab ipſo inunguntur aures; quia tunc non pronunciatur unctioni correſpondens. *Filliuc. tr. 3. n. 91.*

Si forma extremæ Unctionis non adhibetur ut jacet, quamvis illicita, eſt tamen valida, ſi omittatur, ly - *Per ſanctam, vel piiſſimam miſericordiam* - ſed dicatur - *Per iſtum contactum Olei remittat, vel condonet tibi Deus* &c. quia exprimitur actio ungendi, & verba ſunt deprecativa. E contra eſt invalida, ſi dicatur - *Per iſtum ſanctum Oleum* - quia tunc non exprimitur actio, ſcilicet unctio, vel ſi dicatur - *Indulget, aut re-*

mittit tibi Deus- quia talia verba ſunt indicativa, vel ſi pro *Indulgeat* dicatur paſſive - *Indulgeatur*, aut *Remittatur* - quia tunc verba ſunt imperativa, non autem deprecativa. *Filliuc. tr. 3. n.* 80. *De his agit D. Th. in* 4. *diſt.* 23. *q.* 1. *art.* 4. *Vide Bonac. de extrem. unction diſp.* 7. *punct.* 3.

CAPUT III.

De extremæ Unctionis Miniſtro.

EXtremæ Unctionis Miniſter eſt ſolus Sacerdos juxta illud D. Jacob. - *Inducat presbyteros Eccleſiæ*: ideoque neque de licentia Papæ poteſt miniſtrari a Diacono. Miniſter ex officio qualis eſt Parochus, & Prælatus Ordinis, tenetur ex juſtitia hoc Sacramentum miniſtrare, quoties infirmus indiget: ſimplex vero Sacerdos in defectum miniſtri deputati tenetur ex caritate, quoties urget neceſſitas, extra quam ſi hoc Sacramentum ſine licentia miniſtret, peccat graviter ob uſurpationem juris alieni, & ſi eſt Regularis, incurrit inſuper excommunicationem Papæ reſervatam, ut diſponitur in *Clementina* 1. *Religioſi*, *de privileg.* a qua tamen poteſt excuſari ob ignorantiam etiam craſſam, cum ibi cenſura feratur contra præſumentes. Sed quia poteſt contingere, ut extrema Unctio vel miniſtranda ſit cum vitæ periculo, quando ſcilicet infirmus laborat morbo contagioſo, aut moratur inter infideles, vel miniſtranda ſit in cenſura, quando ſcilicet Sacerdos eſt excommunicatus vitandus; difficultas eſt in utroque caſu, an, & quando tam Miniſter ex officio, quam ſimplex Sacerdos teneatur, vel non. Pro quo hæc traditur diſtinctio:

Si extrema Unctio miniſtranda eſt cum vitæ periculo, Miniſter ex officio tenetur, quoties infirmus aliud Sacramentum non ſuſcepit: ſimplex vero Sacerdos, quoties infirmus cenſetur non poſſe aliter juſtificari.

Si miniſtranda eſt in cenſura, uterque altero deficiente tenetur, quoties infirmus aliud Sacramentum non ſuſcepit.

Alias non tenetur.

Ratio quoad vitæ periculum; quia cum obligatio miniſtri ex officio ſit ex juſtitia; hæc in neceſſitate gravi prævalet caritati propriæ; obligatio autem ſimplicis Sacerdotis cum ſit ex carita-

te; hæc ſolum prævalet proprie in neceſſitate ſpirituali extrema, in qua ſupponitur eſſe infirmus, quoties cenſetur non poſſe aliter juſtificari. Quo vero ad cenſuram; quia quando infirmus aliud Sacramentum non ſuſcepit, cum cenſeatur eſſe in neceſſitate gravi; tunc Eccleſia ut pia Mater præſumitur prohibitionem ſuſpendere.

Unde reſolvitur.

Parochus, vel Prælatus Ordinis, aut ab iis deputatus tenetur cum periculo vitæ extremam unctionem miniſtrare infirmo, ſi confiteri, vel communicare non potuit; quia ipſe eſt Miniſter ex officio, & infirmus aliud Sacramentum non ſuſcepit. Idem dicendum eſt, ſi conſtet infirmum eſſe perfecte contritum; quia licet ſit in gratia, adhuc tamen aliud Sacramentum non ſuſcepit. *Anton. a Spiritu ſanct. de extr. unct. diſp. unic. n.* 48.

Simplex Sacerdos in defectum Miniſtri deputati tenetur cum periculo vitæ extremam Unctionem miniſtrare infirmo, qui aliud Sacramentum non ſuſcepit, ſi non conſtet eſſe ſufficienter inſtructum de actu contritionis; quia tunc cenſetur non poſſe aliter juſtificari. Secus autem, ſi conſtet eſſe ſufficienter inſtructum, & probabiliter credatur quod eliciet actum contritionis; quia tunc cenſetur poſſe aliter juſtificari. *Th. de ſancta Maria in Collectan. de extr. unct. part.* 6. *ſelect.* 2. *dub.* 1.

Miniſter tam ex officio, quam ſimplex Sacerdos, etiamſi ſit excommunicatus vitandus, tenetur in defectum alterius extremam unctionem miniſtrare infirmo, ſi confiteri, vel communicare non potuit; quia aliud Sacramentum non ſuſcepit. Idem dicendum eſt ſi conſtet moraliter infirmum eſſe in gratia; quia adhuc aliud Sacramentum non ſuſcepit. *Anton. a Spirit. ſanct. loco cit num.* 47. *Vide Suar. in* 3. *part. D. Th. tom.* 4. *diſp.* 44. *ſect.* 2. & 3.

C A P U T IV.

De extremæ unctionis Subjecto.

Extremæ unctionis Subjectum eſt homo baptizatus peccandi capax, ac periculoſe infirmus, qui ſi non eſt ſui compos, ſufficit ut habeat intentionem interpretativam, quæ præſumitur in omni qui fideliter vixit: ſi vero eſt ſui compos, requiritur

ut habeat intentionem ſaltem virtualem, qui tamen ſi recuſat in mortis periculo hoc Sacramentum recipere, etiam ſecluſo contemptu, ac ſcandalo, peccat graviter contra præceptum divinum expreſſum in verbis *D. Jacobi - Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ &c.* Cum igitur ad conferendum hoc Sacramentum valide præter ejus conſtitutiva eſſentialia, requiratur in ſubjecto capacitas, & ad idem conferendum licite, requiratur inſuper in ſubjecto diſpoſitio, ac de utraque poſſit eſſe difficultas; ad dignoſcendum quandonam ei conferatur valide, ac licite, vel non; hæc traditur diſtinctio:

Si baptizatus potuit peccare, & ex infirmitate eſt in mortis periculo morali, extrema Unctio ei confertur valide.

Si non conſtat eſſe indiſpoſitum. extrema Unctio ei confertur licite.

Alias ſecus.

Ratio pro collatione valida eſt; quia quoad potentiam peccandi ita deducitur ex verbis *D. Jacobi - Si in peccatis ſit -*, & ex verbis formæ. - *Quidquid deliquiſti -*, quoad infirmitatem; quia ita deducitur ex aliis verbis *D. Jacobi - Infirmatur quis in vobis -*, quoad mortis periculum morale; quia ita deducitur *ex Conc. Trid. ſeſſ.* 14. *in proœmio hujus Sacramenti.* Pro collatione vero licita; quia quando non conſtat de indiſpoſitione; tunc præſumitur pro parte favorabili.

Unde reſolvitur.

Si infirmatur puer ſeptennis, vel amens non perpetuus, vel adultus recenter baptizatus, extrema Unctio ei confertur valide; quia puer ſeptennis, & amens non perpetuus ob uſum rationis potuit peccare; adultus vero recens baptizatus, quamvis poſt baptiſmum non peccaverit; ante ipſum tamen potuit peccare. Secus vero, ſi infirmetur puer nondum ſeptennis, vel amens perpetuus, quia ex defectu rationis non potuit peccare. *Anton. a* Spir. *ſanct. de extr. unct. diſp. unic. n.* 33.

Si quis eſt vulneratus lethaliter, vel eſt ſenio confectus, vel mulier periclitatur in partu, extrema Unctio ei confertur valide; quia cum habeat cauſſam mortis intrinſecam, eſt in ejus periculo ex infirmitate. Secus vero ſi quis ſit occidendus, vel

vel paſſurus naufragium, vel aliud vitæ diſcrimen ſubiturus; qui cum ſolum habeat cauſſam mortis extrinſecam, licet ſit in ejus periculo, non tamen eſt ex infirmitate. *Anton. a Spirit. ſanct. loc. cit. num.* 36.

Si quis laborat morbo, qui a parte rei non eſt ſed cenſetur periculoſus, extrema Unctio ei confertur valide; quia licet non ſit in mortis periculo reali; eſt tamen in morali. Secus vero, ſi morbus a parte rei ſit, ſed non cenſeatur periculoſus; quia licet ſit in mortis periculo reali, non eſt tamen in morali. *Caſtrop. de extr. unct. tr.* 26. *diſp. unic. punct.* 6. *n.* 15.

Si quis corripitur morbo periculoſo, ex quo incidit in phreneſim, quamvis peccaminoſe vixerit; adhuc extrema Unctio ei confertur licite (quamvis conſultius ſit adhibere conditionem); quia cum ante phreneſim potuerit conteri, non conſtat ipſum eſſe indiſpoſitum. Secus vero, ſi incidat in phreneſim in ipſo actu peccandi; quia tunc conſtat ipſum eſſe indiſpoſitum. *Averſa de extr. unct. ſect.* 8. *verſ. ſeptimo. Ex Catec. Rom. de extr. unct. n.* 9. *De his agit D. Th. in* 4. *diſt.* 23. *q.* 2. *art.* 2.

CAPUT V.

De extremæ Unctionis Ritu.

Eccleſiæ ritus in extrema Unctione, eſt ut miniſtretur ab uno ſub tot formis, quot ſunt ſenſus uncti: alias ſi miniſtretur ab uno, ſed ſub unica forma (in qua tamen exprimat ſingulos ſenſus, dum eos ungit,) vel etiam ſi miniſtretur a pluribus (qui tamen ſinguli independenter ab aliis pronuncient formam ſenſui uncto correſpondentem), quamvis miniſtretur valide utpote habens partiales materias, ac formas, miniſtratur tamen illicite, cum ſit contra ritum præſcriptum. Item ritus Eccleſiæ eſt, ut miniſtretur cum ſuperpelliceo, ac ſtola, ut adhibeatur Clericus, accendantur candelæ, ac recitentur preces juxta Rituale; alias quamvis miniſtretur valide utpote non habens defectum eſſentialem, miniſtratur tamen illicite, cum defectus ſit circa cæremonialia. Sed quia poteſt contingere, ut ritus præſcriptus omittatur; difficultas eſt, an, & quando, aut graviter peccetur, vel non. Pro quo hæc traditur diſtinctio:

Si

Si in extrema unctione ritus omittitur ex neceſſitate, non peccatur unquam.

Si omittitur extra neceſſitatem, peccatur graviter, quoties eſt de re notabili.

Alias peccatur leviter.

Ratio quoad omiſſionem ex neceſſitate eſt; quia cum hoc Sacramentum non ſit ex ſollemnioribus, tunc Eccleſia remittit obligationem ritus, qui ſervari non poteſt, ne infirmus decedat non unctus. Quo vero ad omiſſionem extra neceſſitatem; quia tunc urget Præceptum Eccleſiæ, quod utpote de re non eſſentiali admittit parvitatem materiæ.

Unde reſolvitur.

Qui ex probabili metu, ne infirmus interim decedat, eum ungit ſub unica forma, vel alios Sacerdotes adhibet, ut ſingulis ſenſibus ungat, non peccat; quia cum periculum ſit in mora; ritus omittitur ex neceſſitate. Secus autem, ſi infirmus cenſeatur non tam cito moriturus; quia tunc ritus omittitur extra neceſſitatem. *Bonac. de Extr. unct. diſp. 7. punct. 4. n. 7.*

Qui extra neceſſitatem miniſtrat extremam Unctionem ſine ſuperpelliceo, ac ſtola, vel ſine recitatione precum ſuper infirmum, peccat graviter; quia cum hæc præſcribantur præceptive, omiſſio ritus eſt de re notabili. E contra peccat leviter, ſi non adhibeat Clericum, ex *c. quæſivit de verb. ſignific.* vel miniſtret ſine lumine, vel omittat Litanias, aut Pſalmos Pœnitentiales (ſeclusa conſuetudine); quia cum hæc præſcribantur ſolum directive, omiſſio ritus non eſt de re notabili. *Leand. de extr. un diſp. 4. q. 21. 22. & 23.*

Qui extra neceſſitatem frequenter retinet in cubiculo Oleum infirmorum, peccat graviter; quia cum hoc ſit contra reverentiam, omiſſio ritus cenſetur eſſe de re notabili. E contra peccat leviter, ſi ſolum retineat aliquoties; quia ex parvitate materiæ, omiſſio ritus non cenſetur eſſe de re notabili. *Thom. de S. M. de extr. Unct. ſect. 2. dub. 1. q. 2. n. 1. V. Suar. in 3. p. D. Thom. tom. 4. diſp. 44. ſect. 2. n. 7.*

CAPUT VI.

De extremæ Unctionis iteratione.

EXtremæ Unctionis Sacramentum utpote characterem non imprimens ſemper poteſt itera-

ri valide, non vero ſemper licite etiam ſtante capacitate, ac diſpoſitione ſubjecti; quia cum ſemel ſuum præſtiterit effectum, non debet juxta Ritualis præſcriptum iterari in eadem infirmitate, niſi diuturna ſit, & cum infirmus iterum in periculum mortis incidit, in quo caſu iterum præmittenda ſunt Sacramenta pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, ſi infirmus ſit in ſtatu ea recipiendi; nec periculum ſit in mora. Sed quia ſæpe contingit, ut infirmus in hoc periculum reincidat ſtatim ac ab infirmitate convaluit, vel ſi ab ea non convaluit, in periculum reincidat poſt aliquod tempus; difficultas eſt in his caſibus, an, & quando licite poſſit iterum inungi, vel non. Pro quo hæc traditur diſtinctio:

Si inunctus convaluit ab infirmitate, licite poteſt iterum inungi, quoties reincidit in mortis periculum.

Si non convaluit ab infirmitate, licite poteſt iterum inungi, quoties reincidit in periculum mortis poſt notabile tempus.

Ratio eſt; quia quando infirmus convaluit ab infirmitate, tunc infirmitas ſubſequens non eſt amplius eadem, ſed diverſa. Quando vero non convaluit ab infirmitate, ſolum poſt notabile tempus periculum mortis cenſetur novum.

Unde reſolvitur:

Infirmus inunctus mane, qui ſtatim convaleſcens, poſt prandium domo egreditur, ſi nocte ſequenti reincidit in mortis periculum, poteſt licite iterum inungi; quia eo ipſo quod poteſt domo egredi, cenſetur quod ab infirmitate convaluit. Secus autem ſi non poſſit domo egredi etiamſi videatur ſanitati reſtitutus; quia tunc non cenſetur, quod ab infirmitate convaluerit. *Caſtrop. de extr. unct. tract.* 26. *diſp. unic. punct.* 6. *n.* 17.

Infirmus inunctus, qui periculum mortis evaſit, ſed ab infirmitate non convaluit, ſi infra menſem in periculum reincidit, non poteſt licite iterum inungi; quia in illud non reincidit poſt notabile tempus. E contra poteſt licite iterum inungi, ſi elapſo menſe in periculum reincidat poſt aliquot dies, plures, vel pauciores juxta prudentis arbitrium; quia tunc reincidentia cenſetur eſſe poſt notabile tempus. *Suar. in* 3. *p. tom.* 4. *diſp.* 40 *ſect.* 4. *n.* 6. *De his agit D. Th. in* 4. *dist.*

diſt. 23. quæſt. 2. art. 4. Vide Bonac. de extr. unct. diſp. 7. punct. 6. n. 4.

CAPUT VII.

De extremæ Unctionis effectibus.

EXtremæ unctionis effectus ſunt tres, ut colligitur ex verbis D. Jacobi: primus eſt augmentum gratiæ habitualis cum auxilio ſpeciali contra tentationes Dæmonis juxta illud - *Oratio fidei ſalvabit infirmum*: ſecundus eſt ſublevatio infirmi a corporali ægritudine, ſi ſaluti animæ expediat juxta illud - *alleviabit eum Dominus* - tertius eſt emendatio a peccatorum reliquiis juxta illud - *ſi in peccatis ſit remittentur ei*: per reliquias autem peccatorum intelliguntur proclivitates ad malum, languores animæ, ſed præcipue peccata inculpabiliter non remiſſa ex ignorantia, inadvertentia, vel oblivione invincibili. Si unctiones fiunt juxta ordinem præſcriptum, hic triplex effectus producitur in unctione manuum; quia cum hoc Sacramentum habeat pro materia proxima unctiones quinque ſenſuum; in unctione manuum, in quibus eſt tactus, perficitur eſſentialiter, quamvis non integraliter, cum tactus ungatur etiam in renibus, ac pedibus: Si vero unctiones fiunt ordine inverſo, effectus producitur quando ungitur ultimus ex quinque ſenſibus. Cum igitur adhuc unctis quinque ſenſibus eatenus effectus producatur, quatenus ſubjectum eſt capax per mortis periculum morale, & inſuper diſpoſitum per gratiam; difficultas eſt, an quando ſubjectum ungitur dum eſt incapax, vel indiſpoſitum, poſtea accedente capacitate, ac diſpoſitione, effectus producatur, vel non. Pro quo hæc traditur diſtinctio:

Si extrema Unctio confertur ſubjecto incapaci, effectus non producitur unquam.

Si confertur ſubjecto indiſpoſito, effectus producitur, quoties removetur obex.

Ratio eſt; quia quando ſubjectum eſt incapax, Sacramentum non ſolum eſt informe, ſed nullum. Quando vero ſubjectum eſt indiſpoſitum, Sacramentum quamvis informe, eſt tamen validum, ideoque cum ratione validitatis moraliter perſeveret, eatenus effectum producit, quatenus obex removetur.

Unde reſolvitur.

Si extrema Unctio fuit collata infirmo dum non putabatur eſſe in mortis periculo, etiamſi hoc immediate ſuperveniat, non producitur effectus; quia quando fuit collata, ſubjectum erat incapax. E contra effectus producitur, ſi extrema unctio fuit collata quando infirmus putabatur eſſe in mortis periculo, etiaſi hoc immediate evaneſcat, quia quando fuit collata, ſubjectum erat capax. *Averſa de extrem. unct. ſect. 8. verſ. 2.*

Si extrema unctio fuit collata infirmo dum erat in peccato gravi, effectus producitur ſtatim ac infirmus etiam poſt longum tempus conteritur vel confitetur; quia tunc removetur obex. Idem dicendum eſt, ſi in ipſa unctione peccet, dummodo de hoc etiam conteratur, vel confiteatur, vel alio modo juſtificetur indirecte, aut per accidens; quia adhuc removetur obex. *Averſa loc. cit. ſect. 7. verſ. ceterum.*

TRACTATUS VII.

De Ordine.

EX ſexta proportione unde homo gubernatur, ſextum Sacramentum eſt Ordo, per quem homo gubernatur ſpiritualiter a ſacris Miniſtris, & dividitur in ſeptem, ſcilicet in quatuor minores, qui ſunt Oſtiariatus, Lectoratus, Exorciſtatus, & Acolythatus; ac in tres majores, qui ſunt Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus; Epiſcopatus autem licet etiam ſit Ordo, non tamen eſt diſtinctus a Presbyteratu, ſed eſt ejus complementum, & plenitudo Sacerdotii, prima vero tonſura nullo modo eſt ordo, ſed tantummodo diſpoſitio ad Ordines. Quamvis autem quilibet ordo ſit Sacramentum, omnes tamen ſunt unum Sacramentum non unitate numerica, ſed integrali, aut finali, cum omnes ordinentur ad eumdem finem, ſcilicet ad conficiendam Euchariſtiam ex inſtitutione Chriſti, cum dixit, *Lucæ 22. Hoc facite in meam commemorationem*; tunc enim in Sacerdotio eminenter contulit, & inſtituit alios ordines, ut ex perpetua traditione docet Eccleſia. Cum igitur hoc Sacramentum contineat materiam, formam, Miniſtrum, ſubjectum, effectum, & officium, ut de ſingulis diſtinctim agatur ſit.

CA-

CAPUT PRIMUM.

De Ordinis materia.

ORdo, qui *eſt ſignaculum, quo confertur ordinato ſpiritualis poteſtas*, habet pro materia remota rem, quæ traditur; pro materia vero proxima ipſam traditionem; & cum tradantur inſtrumenta, hinc eſt, quod materia Oſtiariatus ſint Claves Templi, Lectoratus liber ſacrarum lectionum, Exorciſtatus liber exorciſmorum, Acolythatus urceoli, & candelabrum, Subdiacononatus calix vacuus cum patena vacua, ac liber Epiſtolarum, Diaconatus liber Evangeliorum, Presbyteratus calix cum vino, & patena cum Hoſtia. Epiſcopatus vero materia tam remota, quam proxima eſt impoſitio manuum. Cum igitur materia ad hoc ut ſit valida, debeat exiſtere ſubſtantialiter, ac coexiſtere formæ moraliter juxta ſuperius dicta de Sacramentis in genere, ſed in Ordine ſit ſpeciale, ut requiratur etiam materiæ contactus; difficultas eſt, an hic tam ex parte Ordinantis, quam Ordinandi debeat eſſe phyſicus, vel ſufficiat moralis. Pro quo hæc traditur diſtinctio:

Si contactus materiæ eſt ex parte Ordinantis, in Ordinibus ſacris requiritur phyſicus, in Ordinibus minoribus ſufficit moralis.

Si eſt ex parte Ordinandi, in utriſque ſemper requiritur phyſicus.

Ratio quoad Ordinantem eſt, quia ita colligitur *ex can. Subdiacon. diſt.* 23. Quo vero ad ordinandum; quia cum in ordinatione dicatur - *Accipe* - & verbum referatur ad inſtrumentum, quod porrigitur; ad hoc ut verificetur, debet phyſice tangi.

Unde reſolvitur.

Si Epiſcopus in collatione Subdiaconatus, Diaconatus, vel Presbyteratus non porrigit inſtrumenta propriis manibus, ſed jubet, ut alius porrigat, vel ut ipſe ordinandus per ſe ſumat; ordinat invalide; quia cum contactus materiæ ſit ex parte ordinantis in ordinibus ſacris; hic non eſt phyſicus. E contra ordinat valide, ſi hoc idem faciat in collatione Oſtiariatus, Lectoratus, Exorciſtatus, vel Acolytatus; quia cum contactus materiæ ſit ex parte Ordinantis in ordinibus minoribus, hic tunc eſt moralis. *Henriquez lib.* 10. *cap.* 8. *n.* 3.

Si Ordinandus tam in ſacris quam in minoribus non

non applicat manum ad inſtrumentum ſibi porrectum ab Epiſcopo, ſed tantummodo eam extendit ita ut videatur tangere, ſed non tangat, ordinatur invalide; quia cum contactus materiæ ſit ex parte Ordinandi, hic quamvis moralis non eſt tamen phyſicus. E contra ordinatur valide, ſi manum applicet, ſed ſolo digito vel etiam eo cooperto chiroteca, aut velo; quia per hoc non tollitur quin contactus ſit phyſicus. *Averſa de ord. q. 2. ſect. 2. verſ. non per hoc.*

Si Ordinandus tangit phyſice ſolum unam ex clavibus, vel unam ex ampullis, ordinatur valide; cum in utraque ſalvetur ratio materiæ, verificatur, quod ejus contactus ſit phyſicus. Idem dicendum eſt, ſi tangat ſolum vas, in quo continentur claves, vel ſolum Calicem, cui eſt ſuperpoſita patena; quia cum contentum ſit pars continentis, eo ipſo quod phyſice tangitur continens, etiam reſpectu contenti contactus eſt phyſicus *Averſa loc. cit. De his agit D. Thom. in 4. diſt. 24 q. 1. art. 1. quæſtiunc. 5. ad 3. Et D. Anton. part. 3. tit. 14. cap. 16.*

CAPUT II.

De Ordinis forma.

FOrma cujuslibet Ordinis conſiſtit in verbis ab Ordinante pronunciatis prout in Pontificali præſcribuntur, quæ ſunt - *Accipe poteſtatem &c.* Ad hoc ut forma hæc ſit licita, debet pronunciari ut jacet; ad hoc autem ut ſit valida, debet retinere eamdem ſignificationem, juxta dicta de Sacramentis in genere. Sed quia aliquando hanc non retinet etiamſi ſervetur præſcripta, & aliquando hanc retinet etiamſi non ſervetur præſcripta; ad dignoſcendum quandonam ſit valida, vel non; hæc traditur diſtinctio:

Si Ordinis ſervatur forma præſcripta, eſt valida, quoties pronunciatur ab Ordinante dum ordinando tradit materiam remotam.

Si non ſervatur præſcripta, eſt valida, quoties verba proferuntur modo imperativo, & cum expreſſione poteſtatis conferendæ.

Alias eſt invalida.

Ratio eſt, quia cum poteſtas conferenda exprimatur per materiam remotam, ſi hæc non traditur dum pronunciatur forma præſcripta, non habetur ſignificatio denotata per ly *Accipe*: Et

cum

tum poteſtatis collatio importet modum, ac terminum, ſi uterque non exprimitur dum pronunciatur forma non præſcripta, non poteſt intelligi, an, & quæ ſit poteſtas collata.

Unde reſolvitur.

Si Ordinans pronunciat verba ut jacent, dum non ipſe, ſed alter porrigit Ordinando inſtrumentum, vel ipſemet porrigit, ſed notabiliter antea vel poſtea, ordinat invalide; quia licet ab eo ſervetur forma præſcripta, non tamen pronunciatur dum tradit ordinando materiam remotam. Secus vero ſi Ordinans aliquo modo tangat inſtrumentum porrectum juxta dicta *cap. præcedenti*, vel inter porrectionem, & verba non intercedat ſpatium notabile, itaut cenſeatur idem tempus quia tunc ſaltem moraliter verificatur, quod ab eo pronunciatur forma, dum tradit ordinando materiam remotam. *Bonac. de Ordine*, *diſp.* 8. *q. unic. punct.* 3. *n.* 12.

Si Ordinans dicit ordinando - *Accipias poteſtatem*, *&c.* ordinat valide; quia licet ab eo non ſervetur forma præſcripta, adhuc tamen verbum profertur modo imperativo. Secus autem ſi dicat ordinando - *Accipis poteſtatem*; quia tunc verba proferuntur modo indicativo, & non imperativo. *Bonac. loc. cit. n.* 13.

Si Ordinans dicit ordinando - *Accipe poteſtatem*, & nihil aliud; ordinat invalide; quia licet verba proferantur modo imperativo, non tamen exprimunt poteſtatem conferendam. E contra ordinat valide, ſi dicat - *Suſcipe facultatem ad conſecrandum, vel abſolvendum*; quia licet non ſervetur forma præſcripta, adhuc tamen verba proferuntur modo imperativo, & cum expreſſione poteſtatis conferendæ. *Filliuc. tr.* 9. *n.* 49. *De his agit D. Th. in* 4. *diſt.* 24. *q.* 1. *art.* 1. *quæſtiunc.* 5.

CAPUT III.

De Ordinis Miniſtro.

Miniſter Ordinum majorum eſt ſolus Epiſcopus conſecratus, minorum vero poteſt eſſe etiam Sacerdos ex conceſſione Summi Pontificis, ut conceſſum eſt Abbatibus quoad ſuos Religioſos tantum, ac Cardinalibus Presbyteris quoad ſibi Subditos in ſuis Titulis. Ad hoc ut Miniſter ordinet valide, ſufficit (ſuppoſitis aliis requiſitis eſſen-

eſſentialibus) ut habeat intentionem, quam præſumitur habere, etiamſi in Ordinationibus proteſtetur ſe non intendere ordinare excommunicatum, vel irregularem; quia ſtante abſolutione, quam dat immediate ab omni Cenſura, & irregularitate, talis proteſtatio cenſetur ſolum facta ad terrorem. Ad hoc autem, ut ordinet licite, requiritur inſuper, ut ſervet ea omnia, quæ Sacri Canones, ac Ritus Eccleſiæ præſcribunt: alias enim peccat graviter, vel leviter juxta gravitatem, vel levitatem materiæ. Sed quia Ordinans illicite (ſecluſa ſimonia, de qua dictum eſt ſupra ubi de Simonia, & ſecluſa Cenſura, de qua dicetur infra ubi de Irregularitate) aliquando incurrit ſuſpenſionem; ad dignoſcendum quam, & quandonam eam incurrat, vel non; hæc traditur diſtinctio:

Si Ordinans violat jus alterius, incurrit ſuſpenſionem ſemper.

Si non violat jus alterius, incurrit ſuſpenſionem, quoties in Ordinando non cavet impedimentum Canonicum, aut ejus periculum.

Ratio eſt; quia ita habetur ex juribus in reſolutione Caſuum infra citandis.

Unde reſolvitur.

Qui ordinat in aliena Diœceſi ſine licentia Diœceſani etiam ſibi Subditum, vel ei confert primam tonſuram (quæ in hac materia ſemper cenſetur Ordo) incurrit ſuſpenſionem per annum a Pontificalibus, ut diſponitur *in Conc. Trid. ſeſſ.* 14. *c.* 2. *de reform.* Item qui ordinat etiam in propria Diœceſi ſibi non Subditum (qualis cenſetur non eſſe qui ibidem non habet originem, Domicilium, vel beneficium) incurrit ſuſpenſionem per annum ab adminiſtrarione Ordinum, ut diſponitur *in eodem Conc. Trident. ſeſſ.* 23. *cap.* 8. *de reform.* Item qui ordinat exterum prætenſum ſibi Subditum ex prætextu beneficii ſtatim conferendi, etiamſi ad id ſit præſentatus, quod tamen nondum ſit adeptus, incurrit ſuſpenſionem per annum ab adminiſtratione Ordinum, ut diſponitur *in Bulla* 44. *Innocentii* XII. quæ incipit *Speculatores*. Item qui ordinat invitum, incurrit ſuſpenſionem per annum a celebratione Miſſæ, ut diſponitur *in Can. Epiſcopus diſtinct.* 74. Item qui ordinat cum pacto, ut ordinatus ab eo non petat alimenta in de-

defectum beneficii, vel patrimonii, incurrit ſuſpenſionem per triennium a collatione Ordinum, ut diſponitur *in cap. ſi quis ordinaverit*, *de Simon.* quia cum in his caſibus fiat injuria Ordinato, vel ejus Diœceſano; Ordinans violat jus alterius. E contra nullam incurrit ſuſpenſionem, ſi in propria Diœceſi ordinet exterum de ſua familia (dummodo tamen ipſum per triennium in ſuo actuali ſervitio habuerit, & aluerit; ac inſuper de ſufficienti beneficio providerit, ut diſponitur *in cit. Bulla* Innocentii XII. quæ incipit - *Speculatores*); quia cum tunc familiaris cenſeatur Subditus; ideoque nulli fiat injuria; tunc Ordinans non violat jus alterius.

Qui ordinat Religioſum non profeſſum ſollemniter (excepto Religioſo Societatis Jeſu ex Privilegio Gregorii XIII.) incurrit ſuſpenſionem per annum a collatione Ordinum, quos contulit, ut diſponitur *in Bulla* 75. *Pii V.* quæ incipit - *Romanus Pontifex* - Item qui ordinat bigamum, aut publice pœnitentem, incurrit ſuſpenſionem per annum a celebratione Miſſæ, ut diſponitur *in Can. nullus pœnit. diſt.* 55. Item qui confert duos Ordines Sacros eodem die, vel duobus diebus immediatis, ſuſpenditur a collatione utriuſque Ordinis; ut diſponitur *in cap. litteras*, *de temp. Ordinat.* Item qui ordinat ad titulum beneficii, quod non ſufficiat ad congruam ſubſtentationem, etiamſi ſuppleatur per Patrimonium, incurrit ſuſpenſionem per annum ab adminiſtratione Ordinum, ut diſponitur *in cit. Bulla Innocentii* XII. quia in his, ac ſimilibus caſibus Ordinans non cavet in Ordinando impedimentum Canonicum.

Qui ordinat ſibi Subditum, qui alibi moratus eſt adultus ſine litteris teſtimonialibus Ordinarii loci, in quo moratus eſt, incurrit ſuſpenſionem per annum ab adminiſtratione Ordinum, ut diſponitur *in cit. Bulla Innocentii* XII. Item qui ordinat in Italia Ultramontanum cum litteris dimiſſoriis, ſed non approbatis, & ſubſcriptis a Nuncio, ſeu Collectore Apoſtolico illius Regionis, ac recognitis in Urbe a Vicario Summi Pontificis, incurrit ſuſpenſionem per annum a Pontificalibus, ut diſponitur *in Bulla* 33. *Urbani* VIII.

quæ

quæ incipit - *Secretis* - ; quia cum ad vitandas fraudes præſcribantur a Summo Pontifice tales diligentiæ ; ex earum omiſſione Ordinans non cavet in Ordinando Canonici impedimenti periculum. *Vide Bonac. de ſuſpenſ. diſp.* 3 *punct.* 5. §. 2.

C A P U T IV.

De Ordinis ſubjecto.

ORdinis ſubjectum eſt Homo maſculus baptizatus, qui ideo (ſi requiſita eſſentialia non deſint) omnes Odines ſuſcipit valide, excepto Epiſcopatu, in quo utpote indiſtincto a Presbyteratu requiritur eſſentialiter, ut ſit etiam Sacerdos. Ad Ordines ſuſcipiendos licite requiritur, ut Ordinandus ſit in ætate legitima, quæ pro prima tonſura eſt annus ſeptimus completus, pro ordinibus minoribus duodecimus completus ; pro Subdiaconatu viceſimus ſecundus incœptus ; pro Diaconatu viceſimus tertius incœptus ; pro Presbyteratu viceſimus quintus incœptus ; & pro Epiſcopatu triceſimus completus. Item ut ordinandus ſit confirmatus, ut careat impedimento canonico cenſuræ, & irregularitatis, ut ſervatis Temporibus, Interſtitiis, gradatim, & ad aliquem titulum vel beneficii, vel Patrimonii, vel paupertatis Religioſæ in Sacris ordinetur. Alias enim ſemper peccat graviter, ſi abſque his requiſitis Ordinem mala fide ſuſcipiat. Sed quia Clericus (ſecluſa Ordinatione Simoniaca, de qua ſuo loco tractatur) ordinatus illicite aliquando incurrit irregularitatem Papæ reſervatam, quoties delictum eſt publicum, alias reſervatam Epiſcopo, & aliquando incurrit ſuſpenſionem reſervatam Papæ, quoties ſine ipſius diſpenſatione ordinari non poterat, alias reſervatam Epiſcopo ; ad cognoſcendum quandonam alterutram incurrat, hæc traditur diſtinctio:

Si Clericus ordinatur furtive, incurrit irregularitatem, quoties fit, non approbante Epiſcopo.

Si ordinatur non ſervatis Eccleſiæ ſtatutis, incurrit ſuſpenſionem, quoties ſtatuta ſunt præcipua.

Ratio eſt, quia ita deducitur ex Juribus infra citandis.

Unde reſolvitur.

Qui ordinatur quando non fuit examinatus, vel quando alterum pro ſe examini ſubſtituit, vel quando

do ficto nomine cum aliis Ordinandis ſe immiſcet, incurrit irregularitatem; quia tunc ordinatur furtive, non approbante Epiſcopo: *Ex cap veniens de eo qui Ordin. furtive ſuſcept* ubi *Gloſſa*. E contra ſolam ſuſpenſionem, non vero irregularitatem incurrit, ſi ordinetur ficto Patrimonio, vel ſine dimiſſoriis, vel per ſaltum (dummodo ſit in mala fide); quia licet tunc etiam ordinetur furtive; fit tamen approbante Epiſcopo. *Ex cap. tuæ litteræ, de Cler. per ſaltum prom. Ex cap. innotuit, de eo qui Ordin. furtive ſuſcep. & ex Bulla* 75. *Pii V.* quæ incipit - *Romanus Pontifex*.

Qui ordinatur in Sacris ante ætatem legitimam, aut extra Tempora; aut eodem die, ſeu duobus continuis plures Sacros Ordines ſuſcipit, vel etiam ordinatur in minoribus per ſaltum, vel dum eſt ligatus cenſura, aut irregularitate, vel ordinatur ab Epiſcopo excommunicato, aut interdicto vitando, aut ab eo, qui renunciavit uſui Ordinis, incurrit ſuſpenſionem; quia in his, ac ſimilibus caſibus non ſervat ſtatuta Eccleſiæ præcipua, *ex cap. cum illorum, de ſentent. excom. ex cap. requiſivit de Ordin. ab Epiſcopo qui Epiſc. & ex Bulla* 7. *Pii* II. quæ incipit - *cum ex Sacror*. E contra ſuſpenſionem non incurrit, ſi ante ætatem, aut extra tempora, aut eodem die ordinetur in minoribus, vel non ſervet Interſtitia etiam in Sacris, vel ordinetur nondum Confirmatus; quia licet non ſervet Eccleſiæ ſtatuta; hæc tamen utpote non requirentia diſpenſationem Summi Pontificis, non ſunt præcipua. Ex Textibus ſupra citatis. *Vide Bonac. de ſuſpenſ. diſput.* 3. *punct.* 3. §. 1. & *de irregular. diſp.* 7. *quæſt.* 3. *punct.* 4. *num* 6.

CAPUT V.

De Ordinis effectu.

ORdinis effectus de jure divino eſt duplex, ſcilicet gratia habitualis cum auxilio ad Sacras functiones rite peragendas, & character cum poteſtate ad miniſterium Eccleſiaſticum valide exercendum: de jure autem Canonico eſt etiam duplex, ſcilicet privilegium Clericatus, & obligatio ſtatui adnexa. Cum igitur de obligatione, ac privilegio Clericatus dictum ſit ſupra ubi de Eccleſiæ præceptis pro Clericis, & de gratia, ac cha-

charactere dictum ſit ubi de Sacramentis in genere; ſolum reſtat hic agendum de poteſtate, quæ cum ſit multiplex juxta diverſos Ordines, difficultas eſt, an in caſu, quo ex invaliditate, vel ex Ordinatione per ſaltum aliqua poteſtas non ſit recepta, poſſit haberi alia. Pro quo hæc traditur diſtinctio:

Si poteſtas eſt Epiſcopalis, non poteſt haberi ſine Sacerdotali.

Si poteſtas eſt abſolvendi, non poteſt haberi ſine poteſtate conſecrandi.

Omnis alia ſine alia poteſt.

Ratio quoad poteſtatem Epiſcopalem eſt; quia Epiſcopatus eſt unus ordo cum Presbyteratu, quem complet, & perficit. Quoad poteſtatem abſolvendi; quia cum ex inſtitutione Chriſti hæc detur Sacerdoti; Sacerdos non eſt qui caret poteſtate conſecrandi. Quo vero ad omnem aliam; quia cum ordines ſint diſtincti, poteſtas unius non eſt poteſtas alterius.

Unde reſolvitur.

Qui ex Diacono ordinatur Epiſcopus, non recipit poteſtatem Epiſcopalem; quia non habet Sacerdotalem. Secus vero ſi ex Sacerdote ordinato per ſaltum ordinetur Epiſcopus; quia cum vere ſit Sacerdos, recipit poteſtatem Epiſcopalem utpote habens Sacerdotalem. *Gloſſ. in cap. tuæ litteræ, de Clerico per ſaltum promoto, verb. de miſericordia miniſtrare.*

Qui dum ordinatur Sacerdos in traditione materiæ non habet intentionem, ſed eam habet in impoſitione manuum, non recipit poteſtatem abſolvendi; quia ex defectu intentionis in traditione materiæ non recipit poteſtatem conſecrandi. E contra qui in traditione materiæ habet intentionem, ſed eam non habet in impoſitione manuum, recipit poteſtatem conſecrandi, non vero abſolvendi; quia licet poteſtas abſolvendi non poſſit haberi ſine poteſtate conſecrandi utpote ipſam ſupponens, ratio non militat e converſo. *Bonac. de Ordin. diſp. 8. punct. 3. n. 2.*

Qui ex Acolytho ordinatur Diaconus, quamvis non recipiat poteſtatem Subdiaconi; recipit tamen poteſtatem Diaconi; quia in omni alia poteſtate præter ſupradictas, una poteſt haberi ſine

alia. Idem dicendum eſt, ſi ex ſi ex Laico ordinetur Sacerdos ex eadem ratione. *Averſa de Ordin q. 1. ſect. 9. verſ. ſatis. De his agit D. Thom. in 4. diſt. 24. q. 1. art. 2. quæſtiunc. 5.*

CAPUT VI.

De Ordinis Officio.

ORdinis cujuſque Officium eſt exercere munia, pro quibus ipſe ordo confertur, ideoque Officium Oſtiariatus eſt oſtium Templi aperire, & claudere, campanaſque pulſare: Lectoratus legere in Eccleſia Prophetarum lectiones, Catechumenoſque docere: Exorciſtatus Dæmones exorciſmis ejicere: Acolyhtatus præparare in Sacrificio vinum, & aquam, lumenque deferre: Subdiaconatus miniſtrare Diacono Calicem, & patenam, epiſtolamque cantare: Diaconatus miniſtrare Sacerdoti ſollemniter offerenti, Evangeliumque cantare: Presbyteratus celebrare Miſſam, ac Sacramenta Baptiſmi, Pœnitentiæ, ac extremæ Unctionis miniſtrare: Epiſcopatus Confirmare, Ordinare, Conſecrare, ac Benedicere. Cum igitur hæc, & alia munia ſint ab Ordinatis præſtanda juxta Eccleſiæ Ritum, ex cujus tranſgreſſione peccatur graviter, vel leviter juxta gravitatem, vel levitatem materiæ; ſolum difficultas hìc eſt, an Ordinatus, quia ea exercet dum in peccato gravi exiſtit, peccet graviter, vel leviter. Pro quo hæc traditur diſtinctio:

Si exiſtens in peccato exercet Ordinem Sacrum, peccat graviter ſemper.

Si exercet Ordinem Minorem, peccat graviter, quoties exorcizat.

Alias peccat leviter.

Ratio eſt; quia cum tam in Ordine Sacro, quam in exorcizando utpote a ſolis Ordinatis exercendo Clericus ſe exhibeat ut Eccleſiæ Miniſtrum, a quo Sancta ſunt ſancte tractanda; per exercitium in peccato irreverentia cenſetur gravis: in ceteris vero utpote exercitis etiam a Laicis, cum Clericus non ſe exhibeat, ut Miniſtrum Eccleſiæ; irreverentia cenſetur levis.

Unde reſolvitur:

Epiſcopus, vel Sacerdos ſi in peccato conficit Sacramenta, vel Sacramentalia, peccat graviter; quia exercet Ordinem Sacrum. Idem dicendum

eſt

eſt de Diacono, ac Subdiacono ſi in peccato miniſtrat celebranti ſollemniter; quia exercet Ordinem Sacrum. *D. Anton. part.* 3. *tit.* 14. *c.* 16 §. 14.

Sacerdos, vel Diaconus ſi in peccato diſpenſat Euchariſtiam communicantibus, peccat graviter, quia exercet Ordinem Sacrum. Idem dicendum eſt, ſi Euchariſtiam proceſſionaliter deferat, vel cum ea Populo benedicat dum exiſtit in peccato; quia tunc etiam exercet Ordinem Sacrum. *Caſtrop. de Sacram. tract.* 18. *punct.* 5. *n.* 12.

Oſtiarius, Lector, & Acolythus ſi in peccato exercet Ordinem etiam in Miſſa ſollemni, peccat leviter; quia exercet Ordinem Minorem. E contra Exorciſta peccat graviter, ſi exiſtens in peccato recitat ſuper Energumenum Exorciſmos ab Eccleſia præſcriptos; quia licet exerceat Ordinem Minorem; ſe tamen exhibet, ut Miniſtrum Eccleſiæ, dum exorcizat. *Sylveſter verb. Clericus* 2 *nu.* 2. *in fine*. *De his agit. D. Thom. in ſuppl. art.* 5. *q.* 36. *in corp.*

TRACTATUS VIII.

De Matrimonio.

EX ſeptima proportione unde Homo propagatur; ſeptimum Sacramentum eſt Matrimonium, quod cum olim haberet ſolam rationem contractus (ut etiamſ nunc habet apud infideles) fuit a Chriſto elevatum ad ſtatum Sacramenti, cum dixit, *Matth.* 15. - *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet* - ideoque *ab Apoſtolo ad Ephes.* 5. vocatum fuit *Sacramentum hoc magnum*. Cum igitur ea, quæ ad Matrimonium ſpectant, alia ſint præcedentia, ut Sponſalia, ac denunciationes: alia ſint concomitantia, ut conſtitutiva, & impedimenta, eiſque adnexa: alia vero ſint ſubſequentia, ut debitum, & uſus; de ſingulis in hoc Tractatu agetur.

CAPUT I.

De Sponſalibus.

SPonſalia, quæ *ſunt promiſſio mutua futuri Matrimonii*, ſi ſunt legitima, ſcilicet celebrata inter habiles, ac ſeptennio majores, nec diſſoluta; vel per mutuum conſenſum, vel per impedimentum ſubſequens, vel per aliam rationabilem cauſſam; inducunt ratione contractus in re gravi obligationem ſub mortali ad contrahendum Matri-

monium. Sed quia adhuc ſtantibus Sponſalibus legitimis, nec diſſolutis, aliquando hæc obligatio non oritur; ad dignoſcendum quandonam oriatur, vel non; hæc traditur diſtinctio:

Si promiſſio fuit vera, ex Sponſalibus oritur obligatio contrahendi Matrimonii, quoties reſiliendi non adeſt cauſſa juſta.

Si promiſſio fuit ficta, oritur obligatio, quoties ex deceptione imminet ſcandalum grave.

Alias non oritur.

Ratio eſt; quia quando promiſſio fuit vera, quamvis obliget ex vi intentionis, utpote tamen rationabili, cenſetur facta ſub hac tacita conditione, niſi reſiliendi adſit cauſſa juſta. Quando vero promiſſio fuit ficta, quamvis non obliget ex defectu intentionis, ſi tamen ex deceptione imminet ſcandalum, hoc utpote decipienti imputabile præponderat ejuſdem incommodo.

Unde reſolvitur.

Qui ex animo promiſit alteri etiam inferioris conditionis, Matrimonium, vel ſit vir, vel mulier; tenetur illud contrahere; quia promiſſio fuit vera. Secus vero ſi alteruter notabiliter deterioretur, aut deterioratus inveniatur in bonis corporis, aut fortunæ, vel ex Matrimonio timeatur aliquod grave malum; quia licet promiſſio fuerit vera; reſiliendi tamen adeſt cauſſa juſta. *Bonac. de Sponſal. q. 1. punct. 2. n. 2. & punct. 8. per totum.*

Qui ficte promiſit alteri Matrimonium (dummodo non extorſerit copulam, in quo caſu ſervanda eſt regula ſuperius tradita de ſtupro,) non tenetur illud contrahere, etiamſi non habeat reſiliendi cauſſam juſtam; quia promiſſio fuit ficta Secus vero, ſi inde timeantur rixæ, odia, ac diſſidia; quia tunc licet promiſſio fuerit ficta; ex deceptione tamen imminet ſcandalum grave. *Bonac. loc. cit. punct. 2. n. 4. De his agit D. Th. in 4. diſt. 27. q. 2. art. 1. ad 2. Et D. Anton. in Sum. q. 3. tit. 1. cap. 18. §. 1.*

CAPUT II.

De Denunciationibus.

DEnunciationes, quæ ſunt monitiones ad Populum de impedimentis revelandis, ex Decreto Concilii Tridentini ſunt ante Matrimonii celebrationem præmittendæ a Parocho utriuſque con-

contrahentis tribus diebus feſtivis de præcepto mediate, vel immediate continuis, ac inter Miſſarum ſollemnia, & ſi infra duos menſes ab earum publicatione Matrimonium non contrahitur, ſunt denuo repetendæ: alias tam Parochus aſſiſtens, quam contrahentes peccant graviter, niſi quoad earumdem continuationem excuſentur a gravi ex parvitate materiæ, ut ſi unus, aut alter dies feſtus intermediet. Impedimenta vero a quocumque, & quomodocumque (dummodo non per Confeſſionem Sacramentalem ſciantur) revelanda ſunt ſub culpa gravi, ac pœnis ab Ordinario ſtatutis. Sed quia hoc denunciationum præceptum utpote Eccleſiaſticum aliquando relaxatur, & conſequenter ob Matrimonium ſine ipſis contractum, vel conſummatum non ſemper peccatur; ad dignoſcendum quandonam peccetur, vel non; hæc traditur diſtinctio:

Si abſque denunciationibus præſcriptis Matrimonium contrahitur, peccatur; quoties non adeſt Ordinarii diſpenſatio, vel neceſſitas urgens.

Si abſque iis licite contractum conſummatur, peccatur, quoties ab eiſdem ſupplendis non adeſt Ordinarii diſpenſatio. Alias non peccatur.

Ratio quoad contractum eſt; quia ſicuti Concilium denunciationes præcipit; ita Ordinario diſpenſandi facultatem concedit; & cum præceptum ſit poſitivum, ceſſat in concurſu juris naturalis. Quo vero ad conſummationem; quia cum per denunciationes ſupplendas poſſit revelari impedimentum dirimens; ſine Ordinarii diſpenſatione temere ſubitur fornicandi periculum:

Unde reſolvitur.

Qui omiſſis in totum, vel ex parte denunciationibus, vel iis factis, ſed non diebus feſtivis, vel non intra Miſſarum ſollemnia, ex diſpenſatione Parochi vel Vicarii foranei, Matrimonium contrahit, peccat graviter; quia illud contrahit abſque denunciationibus præſcriptis, quando non adeſt Ordinarii diſpenſatio. E contra non peccat, ſi a denunciationibus diſpenſet Vicarius Generalis; quia cum hic faciat unum Tribunal cum Epiſcopo; tunc adeſt Ordinarii diſpenſatio. *Thom. de S. Matr. collect. part. 7. de Matrim. ſelect. 1. dub. 3. diffcult. 1. q. 1.*

Qui morti proximus Matrimonium ſine denunciationibus contrahit cum Concubina, quando non poteſt adiri Epiſcopus, non peccat; quia tunc adeſt neceſſitas urgens. Idem dicendum eſt de contrahente ad vitandum grave malum ſibi comminatum quando periculum eſt in mora; quia ttunc etiam adeſt neceſſitas urgens. *Ant. a Spir. Sanct. de Matrim. diſp.* 4 *n.* 185.

Qui Matrimonium ex diſpenſatione, vel urgenti neceſſitate ſine denunciationibus licite contractum conſummat, etiamſi certo ſciat nullum adeſſe impedimentum dirimens, peccat toties, quoties conſummat, uſquequo denunciationes ſuppleantur; quia ab iis ſupplendis non adeſt Ordinarii diſpenſatio. Secus vero ſi denunciationes poſtea faciendæ remittantur ab Epiſcopo, aut ejus Vicario Generali, vel ab alio Epiſcopalem juriſdictionem habente; quia tunc adeſt Ordinarii diſpenſatio. *Ant. a Spir. ſanct. loc. cit. n.* 187. & 190. *Ex Conc. Trident. ſeſſ.* 24. *de Matrim. reform. cap.* 1.

CAPUT III.

De Matrimonii eſſentia.

MAtrimonium, quod *eſt viri, mulieriſque conjunctio individuam vitæ conſuetudinem retinens*, habet pro materia remota contrahentium corpora, pro materia proxima mutuum ipſorum conſenſum quatenus exprimitur; pro forma vero eumdem conſenſum quatenus acceptatur: Miniſter autem, ac ſubjectum eſt uterque ex contrahentibus, qui ut contrahant licite, ſervare debent ea omnia, quæ Eccleſia præſcribit, & ut contrahant valide, ſervare debent ea omnia, quæ ſunt eſſentialia contractui, in quo fundatur Sacramentum. Cum igitur contractus conſiſtat in mutuo conſenſu, & quatenus hic præſtatur juxta conditiones de jure requiſitas, eatenus Matrimonium ſit validum; ad dignoſcendum, quandonam ſit validum, vel non; hæc traditur diſtinctio:

Si *mutuus conſenſus exprimitur abſolute coram Parocho proprio, aut Sacerdote ab eo deputato, ac teſtibus, matrimonium eſt validum, quoties non adeſt impedimentum dirimens.*

Si *exprimitur conditionate, eſt validum, quoties non eſt ſub conditione ipſi repugnante.*

Alias

Alias eſt invalidum.

Ratio quoad conſenſum mutuum eſt; quia pertinet ad Matrimonii materiam, ac formam: quoad ejus expreſſionem; quia ut ſit ſenſibile ſignum debet manifeſtari externe; quoad præſentiam Parochi proprii, aut Sacerdotis ab eo deputati, ac Teſtium; quia ita præſcribitur *in Conc. Trident. ſeſſ.* 24. *de reform. Matr. cap.* 1. Quo vero ad carentiam impedimenti dirimentis, ac conditionis matrimonio repugnantis: quia cum alias deſtruatur contractus, ruit etiam Sacramentum.

Unde reſolvitur.

Matrimonium contractum ab altero ex contrahentibus invito, vel ſui non compote, eſt invalidum; quia non adeſt conſenſus mutuus. E contra eſt validum, ſi is, qui fuit invitus, vel ſui non compos, poſt aliquod tempus etiam notabile conſentiat, dummodo conſenſus alterius perſeveret; quia tunc adeſt conſenſus mutuus. *D. Th. in* 4. *diſt.* 19. *quæſt.* 1. *art.* 3. *quæſtiunc.* 2. *ad.* 2.

Matrimonium contractum a conſentientibus, ſed tacentibus eſt invalidum; quia licet adſit conſenſus mutuus, hic tamen non exprimitur. E contra eſt validum, ſi contrahentes taceant ore, ſed conſentiant per nutus, aut ſcriptum, vel in abſentia adhibeant Procuratorem (qui tamen habeat ſpeciale mandatum, nec alterum pro ſe ſubſtituat); quia tunc conſenſus mutuus ſufficienter exprimitur. *Ex cap. Procurator de procuratorib. in* 6.

Matrimonium contractum præſente Parocho alterius ex contrahentibus, ſed exiſtente extra Parochiam, vel non Sacerdote, vel excommunicato vitando, vel ſpecialiter interdicto, ut aſſiſtat, eſt validum; quia cum per hoc non tollatur, quin ſit ejus Parochus, verificatur, quod ſit coram Parocho proprio. E contra eſt invalidum, ſi Parochus ſit intruſus, vel privatus per ſententiam (dummodo non adſit error communis cum titulo colorato), vel fuerit tranſlatus ad aliam Parochiam, in qua ſaltem alter ex contrahentibus non habitet; quia cum per hoc tollatur, quod ſit Parochus, vel quod ſit propius, non verificatur quod ſit coram Parocho proprio. *Ex declar. Congr.*

Conc. cil. apud Fagnan. in cap. littera de matr. 16. *Febr.* 1595.

Matrimonium contractum coram Diacono, cui Parochus ſuas vices commiſit, eſt invalidum; quia licet Parochus pro valida aſſiſtentia poſſit eſſe non Sacerdos; alter autem, qui eſt ab eo deputatus, neceſſario debet eſſe Sacerdos. Idem dicendum eſt, ſi Diaconus ab eo deputatus ſit Parochus alterius Parochiæ; quia adhuc verificatur, quod matrimonium non ſit contractum coram Parocho proprio, aut coram Sacerdote ab eo deputato. *Ex Concil. Trid. ſeſſ.* 24. *de reform. matr. cap.* 1.

Matrimonium contractum præſentibus Teſtibus, qui, vel eorum alter, non ſint ſui compotes, vel ad alia diſtracti exterius, vel non ſint conteſtes, eſt invalidum; quia cum eorum præſentia utpote non advertentium, vel non ſimul, non ſit moralis, non verificatur, quod ſit coram Teſtibus. E contra eſt validum, ſi ſit videntibus, ſed diſſentientibus, vel violenter detentis, vel ſolum interius ad alia diſtractis, vel impuberibus, vel excommunicatis vitandis, vel quomodolibet a jure prohibitis; quia cum eorum præſentia utpote potentium advertere, ac teſtificari ſit moralis; verificatur, quod ſit coram Teſtibus. *Ex S. Congreg. Con.* 29. *Auguſti* 1591.

Matrimonium etiam bona fide contractum inter eos, qui juxta dicenda *cap. ſequenti* laborant defectu irritante, eſt invalidum; quia adeſt impedimentum dirimens. E contra etiam mala fide contractum eſt validum inter eos, qui laborant ſolo defectu impediente, ſed non irritante; quia tunc non adeſt impedimentum dirimens.

Matrimonium contractum ſub conditione de debito petito non reddendo, vel de generatione impedienda, vel de prole occidenda, vel de adulterando, vel de ſimilibus faciendis, quæ matrimonium, aut ejus finem deſtruunt, eſt invalidum; quia eſt ſub conditione ipſi repugnante. E contra eſt validum, ſi ſit contractum ſub conditione honeſta, ut de caſtitate ab utroque ſervanda, aut de ſtatu religioſo aſſumendo, vel etiam ſub conditione turpi, ut de furando, de

per-

perjurando, vel de aliis inique faciendis, quæ tamen matrimonium, aut ejus finem non deſtruant; quia non eſt ſub conditione ipſi repugnante. *Ex cap. ſi conditiones, de condit. appoſit Vide Sanchez de matr. lib.* 3. *diſp.* 40. *&* 41. *& lib.* 2. *diſp.* 31. *& ſeqq.*

CAPUT IV.

De Matrimonii impedimentis impedientibus.

MAtrimonii impedimenta alia ſunt dirimentia, quæ ipſum reddunt illicitum, & invalidum, & de iis dicetur *cap. ſequenti:* alia ſunt ſolum impedientia, quæ ipſum reddunt illicitum, ſed non invalidum: & hæc licet olim eſſent plura; nunc tamen ſunt tria, ſcilicet prohibitio Eccleſiæ, ſponſalia cum altera contracta, & votum ſimplex vel caſtitatis, vel ſuſcipiendi ordines ſacros, vel ingrediendi religionem, vel non nubendi, cum etiam tunc caſtitas voveatur implicite. Quoad primum impedimentum proveniens ex prohibitione Eccleſiæ patet, *ex cap* 1. *&* 2. *tit. de Matr. contra interdict. Eccl.* ubi diſponitur non poſſe matrimonium contrahi, ſi Judex Eccleſiaſticus ex aliqua ſuperveniente difficultate ipſum inhibeat, *& ex Conc. Trid. ſeſſ.* 24. *de reform. matr. cap.* 10. ubi diſponitur non poſſe celebrari ſollemniter, ideſt cum benedictione, cum nuptiis, & cum ſollemni traductione Sponſæ feriis ſtatutis, ſcilicet a prima Dominica Adventus uſque ad Epiphaniam, & a Die Cinerum uſque ad octavam Paſchæ incluſive, licet poſſit ſine iſtis ſollemnitatibus contrahi. Quoad ſecundum impedimentum proveniens ex ſponſalibus cum altera contractis, patet *ex cap. ex litteris, & ex cap. requiſivit, de ſponſalib.* Quo vero ad tertium impedimentum proveniens ex voto ſimplici, patet *ex cap. conſuluit, & ex cap. rurſus tit qui Cleric. vel. vovent.* Cum igitur contrahens matrimonium cum aliquo ex his impedimentis ſemper peccet gravi er utpote faciens contra prohibitionem Eccleſiæ in re gravi; difficultas eſt, an etiam ſemper peccet, ſi matrimonium illicite contractum poſtea conſummet. Pro quo hæc traditur diſtinctio:

Si impedimentum eſt ex feriis, vel ex ſponſalibus, conſumans matrimonium non peccat unquam.

Si eſt ex prohibitione Judicis Eccleſiaſtici, peccat ſemper.

Si eſt ex voto ſimplici, peccat, quoties petit, vel prima vice reddit.

Alias non peccat.

Ratio quoad ferias eſt; quia Concilium de ſolis ſollemnitatibus, non vero de conſummatione loquitur, quoad ſponſalia; quia jura de ſolo contractu utpote alteri injurioſo, non vero de conſummatione loquuntur. Quoad prohibitionem Judicis Eccleſiaſtici; quia tam contractus, quam conſummatio cedit in ejuſdem contemptum. Quo vero ad votum ſimplex; quia hoc obligat ex religione citra alterius præjudicium, quod eatenus cenſetur adeſſe, quatenus debitum non redditur poſt matrimonium conſummatum utpote tunc indiſſolubile.

Unde reſolvitur.

Qui matrimonium contrahit tempore Adventus, vel Quadrageſimæ non peccat, ſi intra idem tempus illud conſummat; quia quoad ſolas ſollemnitates impedimentum eſt ex feriis. *Ex D. Th. in* 4. *diſt.* 32. *q. unic. art.* 5. *quæſtiunc.* 4. *ad* 2. Idem dicendum eſt de eo, qui poſtquam promiſerat uni matrimonium, cum altera contractum conſumat; quia impedimentum eſt ex ſponſalibus. *Ex cap. adoleſcens, de ſponſal. & ex cap. duobus modis, de ſponſa duor.*

Qui matrimonium inhibente Epiſcopo, vel ejus Vicario Generali, aut foraneo, vel etiam Parocho illicite contractum conſumat, peccat ſemper; quia impedimentum eſt ex prohibitione Judicis Eccleſiaſtici. Idem dicendum eſt, ſi matrimonium ſit furtive contractum abſque denunciationibus, ac licentia; quia eo ipſo quod contrahitur contra præſcriptum Eccleſiæ; cenſetur adeſſe impedimentum ex prohibitione Judicis Eccleſiaſtici. *Ex cap. literæ, de matrim. contract. contra interdict. Eccl.*

Qui non ſollemniter vovit ſervare caſtitatem, vel ingredi religionem, vel ſuſcipere ordines ſacros, vel non nubere, & matrimonium illicite con-

contractum conſummat, peccat ſemper, ſi debitum petit, & ſi illud reddit, peccat prima vice, ut bene notat *Abulenſis in cap. 27. Levitici quæſt. 6. pag. mihi 558 col. 2. litt. H, in fine*, cum adhuc poſſit religionem ingredi; quia impedimentum eſt ex voto ſimplici. E contra non peccat, ſi poſt conſummationem illicitam ſemper debitum reddit; quia licet impedimentum ſit ex voto ſimplici; ipſe tamen non petit, neque tunc prima vice reddit. *De his agit D. Th. in 4. diſt. 38. q. 1. art. 3. quæſtiunc. 1. ad 3.*

CAPUT V.

De Matrimonii impedimentis dirimentibus.

Matrimonii impedimenta dirimentia, quæ ſcilicet ipſum reddunt non ſolum illicitum, ſed etiam invalidum, ſunt quindecim, & comprehenduntur his verſibus.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus diſparitas, vis, ordo, ligamen, honeſtas,
Ætas, affinis, ſi clandeſtinus, & impos,
Raptaque ſit mulier, nec parti reddita tutæ,
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

Cum igitur de ſingulis ſit ob peculiares difficultates diſtinctim agendum, ideo ſit

§. I. *De Errore.*

Primum impedimentum dirimens eſt error, qui vel poteſt eſſe antecedens, quando ſcilicet dat cauſſam contractui, itaut ſine tali errore matrimonium non contraheretur, vel poteſt eſſe concomitans, quando ſcilicet non dat cauſſam contractui, itaut ſine tali errore matrimonium adhuc contraheretur, & uterque hic error poteſt eſſe vel circa ipſam perſonam, quando ſcilicet intenditur matrimonium cum una, & contrahitur cum altera, vel circa qualitatem perſonæ, quando ſcilicet intenditur matrimonium cum pulcra, nobili, aut divite, & contrahitur cum deformi, ignobili, aut inope. Cum igitur non quilibet error matrimonium dirimat: ad dignoſcendum quinam illud dirimat, vel non; hæc traditur diſtinctio:

Si error eſt circa perſonam, Matrimonium dirimit ſemper.

Si eſt circa qualitatem, dirimit, quoties error qualitatis redundat in errorem perſonæ.

Alias non dirimit.

Ratio eſt, quia cum error matrimonium eatenus dirimat, quantenus tollit conſenſum, & objectum primarium conſenſus ſit perſona, quoties error eſt circa perſonam, vel qualitatem redundantem in errorem perſonæ utpote tollens objectum primarium conſenſus, tollit etiam conſenſum.

Unde reſolvitur.

Qui per errorem contrahit matrimonium cum Berta quam putabat eſſe Tulliam, contracturus etiamſi ſciviſſet eſſe Bertam, coutrahit invalide; quia error ille concomitans, quamvis non det cauſſam contractui, eſt tamen circa perſonam. E contra valide contrahit cum Berta, quam putabat eſſe virginem, vel divitem, non contracturus, ſi ſciviſſet eſſe corruptam, vel inopem; quia error ille antecedens, quamvis det cauſſam contractui, non eſt tamen circa perſonam, ſed circa qualitatem. *Sanchez de matr. lib. 7. diſp.* 18. *n.* 12. & 17.

Qui intendens matrimonium contrahere cum primogenita Titii, & cupiens videre an eſſet pulcra, fuit ipſi per fraudem oſtenſa ſecundogenita pulcra, & poſtea per Procuratorem contrahit cum primogenita deformi, non contracturus niſi fuiſſet deceptus, contrahit valide; quia cum contrahat cum qua intendebat contrahere, ſcilicet cum primogenita; error non eſt circa perſonam, ſed circa qualitatem. Secus vero ſi intendens contrahere cum aliqua ex filiabus Titii fuit illi oſtenſa ſecundogenita pulcra, & poſtea per Procuratorem contrahit cum primogenita deformi; quia cum tunc non contrahat cum qua intendebat contrahere, ſcilicet cum ea, quæ ſibi fuit oſtenſa; error non eſt circa qualitatem, ſed circa perſonam. *Sanchez loc. cit. n.* 35.

Qui per errorem contrahit matrimonium cum Berta, quæ ſe finxit filiam Nobilis in genere, non contracturus, ſi ſciviſſet eſſe filiam artificiis, contrahit valide; quia cum qualitas ficta non deſignet determinatam perſonam, cujus ſcilicet nobilis ſit filia; error qualitatis non redundat in errorem perſonæ. Secus vero ſi Berta ſe finxerit filiam talis nobilis in individuo; quia cum qualitas

ſitas ficta tunc deſignet determinatam perſonam ; error qualitatis redundat in errorem perſonæ. *Sanchez loc. cit. nu 26. Ex can. quod autem 29. q. 1. De his agit D. Thom. in 4. diſt. 30. q. 1. art. 2. ad 4. & 5.*

§. II. *De Conditione.*

Secundum impedimentum dirimens eſt conditio, per quam intelligitur ſtatus ſervilis non quicumque, ſed ſolum ille, in quo ſervus, vel ſerva poteſt a Domino vendi: cum enim matrimonium utpote individuam vitæ conſuetudinem retinens non poſſit ratione inæqualitatis compati cum alterius conditione ſervili; ideo ne perſona libera gravetur, hoc impedimentum fuit ab Eccleſia inductum, ut habetur *in can. ſi quis ingenuus 29. q. 2. & tit. de Conjugio ſervor.* Sed quia non ſemper conditio ſervilis matrimonium dirimit ; ad dignoſcendum quando dirimat, vel non ; hæc traditur diſtinctio:

Si conditio ſervilis eſt ex parte utriuſque, Matrimonium non dirimit unquam.

Si eſt ex parte alterius, dirimit, quoties adeſt error, & injuria.

Alias non dirimit.

Ratio quoad conditionem ſervilem ex parte utriuſque eſt ; quia ita deciditur *in cap. dignum eſt de conjug. ſervorum*. Quo vero ad conditionem ſervilem ex parte alterius ; quia cum hoc impedimentum fuerit ab Eccleſia inductum in favorem perſonæ liberæ, eatenus conditio ſervilis in altera cenſetur ipſi odioſa, quatenus adeſt error, & injuria, ut patet *ex cap propoſuit, & ex cap. ad noſtram, de conjug. ſervor.*

Unde reſolvitur.

Si perſona ſerva matrimonium contrahit cum alia ſerva, etiamſi altera alterius ſervitutem ignoret, contrahit valide ; quia conditio ſervilis eſt ex parte utriuſque. Idem dicendum eſt ſi alterutra fuerit decepta ab altera aſſerente ſe eſſe liberam, alias non contractura ; quia per hoc non tollitur, quin conditio ſervilis ſit ex parte utriuſque. *Averſ. de matr. q. 12. ſect. 2. verſ. primo.*

Si perſona libera neſciens ex ignorantia etiam craſſa ſervitutem alterius, cum ea matrimonium contrahit adhuc contractura ſi ſciviſſet, contrahit inva-

invalide; quia cum conditio ſervilis ſit ex parte alterius, adeſt error. E contra valide contrahit, ſi alterius ſervitutem ſciat, vel ſaltem de ea dubitet; quia cum tunc cenſeatur contrahere ſcienter, non adeſt error. *Averſa loco cit. verſ. ſecundo, quinto, & ſexto*.

Si perſona libera ignoranter contrahit cum ſerva, & poſtquam cognovit eſſe ſervam cum ea copulam habet affectu maritali, error conditionis ſervilis matrimonium non dirimit; quia cum per hoc perſona libera ceſſerit juri ſuo, non adeſt injuria. Idem dicendum eſt, ſi perſona libera contrahit cum altera, quam putabat eſſe ſervam, ſed eſt libera; quia licet adſit error, cum tamen ejus conditio efficiatur melior; non adeſt injuria. *Averſa loco cit. verſ. octavo, & decimo. Ex can. ſecundo, & ſeq. 29. q. 2. De his agit D. Th. in 4. diſt. 36. q. 1. art. 1.*

§. III. *De Voto*.

Tertium impedimentum dirimens eſt votum ſollemne caſtitatis emiſſum, ſcilicet, vel in ſuſceptione Ordinis ſacri, de quo dicetur infra §. 8. vel in Religione approbata, ut diſponitur *in Can. Presbyteris, diſt. 27.* Votum autem caſtitatis ſimplex juxta dicta *cap. praecedenti*, ſolum impedit, excepto eo, quod emittitur in Soc. Jeſu (hoc enim dirimit matrimonium ſubſequens, non vero praecedens *ex conſtit.* 89. *Greg. XIII.* quae incipit - *Aſcendente Domino* -) Sed quia poteſt contingere, ut votum ſollemne ſit in Religione emiſſum, vel ante, vel poſt matrimonium; difficultas eſt in utroque caſu, an ſemper dirimat, vel non. Pro quo haec traditur diſtinctio:

Si votum ſollemne eſt in Religione emiſſum ante Matrimonium, dirimit ſemper.

Si eſt emiſſum poſt Matrimonium, dirimit quoties non eſt conſummatum.

Alias non dirimit.

Ratio quoad votum emiſſum ante Matrimonium eſt; quia ita ſtatuitur in *Conc. Trid. ſeſſ. 24. can.* 9. Quoad votum emiſſum poſt Matrimonium non conſummatum; quia ita ſtatuitur in eodem *Conc. Trid. ſeſſ.* 24. *can.* 6. quo vero ad votum emiſſum poſt Matrimonium conſummatum; quia cum conjuges tunc facti ſint una

caro;

caro; ex præcepto Chriſti *Matth.* 19. vinculum non poteſt ullo jure diſſolvi.

Unde reſolvitur.

Qui in Religione approbata emiſit votum ſollemne caſtitatis, & poſtea contrahit Matrimonium, contrahit invalide; quia votum eſt emiſſum ante Matrimonium. Idem dicendum eſt, ſi votum ſit emiſſum in Religione militari, vel Matrimonium ſit non ſolum contractum, ſed inſuper conſummatum etiam ab ejecto; quia adhuc votum eſt emiſſum ante Matrimonium. *Ex D. Th. in 4. diſt. 48. q. 1. art. 3. quæſtiunc. 3. in corp.*

Qui contraxit Matrimonium, & ante copulam ſecutam ingreſſus eſt Religionem, ibique emiſit votum ſollemne caſtitatis, remanet ſolutus vinculo, & alter conjux poteſt alteri nubere; quia votum eſt emiſſum poſt Matrimonium nondum conſummatum. Secus vero ſi fuit habita copula etiam per vim, & metum, vel infra bimeſtre, vel poſt Religionis ingreſſum, nondum peracta profeſſione ſollemni; quia tunc votum eſt emiſſum poſt Matrimonium conſummatum. *Ex cap. verum, de converſ. Conjugat. Vide Bonac. de Matr. q. 3. punct. 4.*

§. IV. *De Cognatione.*

Quartum impedimento dirimens eſt cognatio, quæ eſt propinquitas inter perſonas orta, vel ex carnali propagatione, & dicitur naturalis, vel ex Baptiſmate, aut Confirmatione, & dicitur Spiritualis, vel ex adoptione legitima juxta formam juris, & dicitur legalis. Cognatio naturalis, ſeu conſanguinitatis in linea recta oritur inter perſonas procedentes ab eodem ſtipite, & a ſe invicem, quæ ſi progreditur a genitoribus ad genitos, ut a Patre ad filium, nepotem, pronepotem, &c. dicitur deſcendentium; ſi autem progreditur a genitis ad genitores, ut a Filio ad Patrem, Avum, Proavum, &c. dicitur aſcendentium: in linea vero tranſverſali oritur inter perſonas procedentes ab eodem ſtipite, ſed non a ſe invicem, ut inter fratres, eorumque filios, nepotes, pronepotes, &c. Gradus conſanguinitatis in linea recta menſurantur hoc modo, ut quot ſunt perſonæ, tot ſint gradus dempto ſtipite; in linea vero tranſverſali, ſi hæc eſt æ-

qualis,

qualis, ſi tot gradibus perſonæ diſtent inter ſe, quot diſtant a ſtipite; ſi autem eſt inæqualis, tot gradibus perſonæ diſtant inter ſe, quot remotior diſtat a ſtipite, ut diſponitur *in cap. Vir, qui de conſang.* & clarius patebit in ſubjecta figura.

Stipes.

A--

B-- H--

C-- I--

D-- L--

E-- M--

Si igitur in hac figura conſideretur linea recta, vel ab A ad E, aut ab A ad M, quæ dicitur deſcendentium, vel ab E ad A, aut ab M ad A, quæ dicitur aſcendentium; E diſtat quatuor gradibus ab A; quia cum ab E ad A ſint quinque perſonæ, dempto ſtipite A, remanent quatuor. Similiter L diſtat tribus gradibus ab A; quia cum ab L ad A ſint quatuor perſonæ; dempto ſtipite A, remanent tres. Si vero in hac figura conſideretur linea tranſverſalis, vel æqualis, ut ab E ad M, vel inæqualis, ut ab E ad H; tunc E diſtat quatuor gradibus ab M; quia cum ambo æqualiter diſtent quatuor gradibus a ſtipite A; etiam quatuor gradibus diſtant inter ſe. Similiter E diſtat quatuor gradibus ab H, quia licet H diſtet uno gradu a ſtipite A; cum tamen ab eodem ſtipite A, diſtet quatuor gradibus remotior E; etiam quatuor gradibus diſtant inter ſe, & ſic de ceteris. Hæc autem cognatio naturalis in linea recta dirimit in quocumque gradu; in tranſverſali autem uſque ad quartum gradum, juxta *Cap. non debet, de conſanguin.*

Cognatio Spiritualis oritur ex Baptiſmo, & ex Confirmatione, & hæc dirimit Matrimonium inter baptizantem, & baptizatum, ejuſque Patrem ac Matrem, inter Patrinos ac baptizatum, ejuſque Patrem ac Matrem (quod idem dicendum eſt ſi oriatur ex Confirmatione) ut diſponitur *in Conc. Trid. ſeſſ. 24. de reform. Matr. cap.* 2. Cognatio vero legalis oritur ex adoptione, in qua jus Canonicum regulatur cum jure civili, ut declaratur *in Can. Ita diligere* 30. *q.* 2. & cum de hac ſolum ſit difficultas; ad dignoſcendum quænam Cognatio legalis dirimat, & inter quas perſonas

ſonas Matrimonium contrahatur invalide, vel non; hæc traditur diſtinctio:

Si Matrimonium contrahitur inter adoptantem, ac adoptatum, aut alterius uxorem, vel inter adoptantem, adoptatique deſcendentes uſque ad quartum gradum, eſt invalidum ſemper.

Si contrahitur inter adoptatum, ac adoptantis filios, eſt invalidum, quoties permanet adoptio, & filii ſub patria ſunt poteſtate.

Alias eſt validum.

Ratio quoad adoptantem, ac adoptatum eſt; quia ita diſponitur *in Can. Ita diligere* 30. *q.* 3. quoad alterius uxorem; quia ita habetur in *l. adoptivus, ff. de ritu nuptiarum:* quoad adoptantem, ac deſcendentes adoptati; quia ita habetur *in Inſtitut, de nuptiis, §. ergo non omnes.* Quo vero ad adoptatum, ac adoptantis filios; quia ita diſponitur *in cap. ſi. qua de cognat. legal. & in Can. per adoptionem* 30. *q.* 3.

Unde reſolvitur.

Si vir contrahit Matrimonum cum Muliere, quam ſibi adoptaverat in filiam, aut neptem, vel mulier contrahit Matrimonium cum viro, quem ſibi adoptaverat in filium, aut nepotem, etiamſi præceſſerit emancipatio, vel adoptio aliquo modo ceſſaverit, contrahit invalide; quia eſt inter adoptantem, ac adoptatum. Similiter, ſi adoptans contrahit Matrimonium cum uxore adoptati demortui, vel adoptatus contrahit Matrimonium cum uxore adoptantis demortui; adhuc contrahit invalide; quia tunc eſt inter adoptantem, ſeu adoptatum, ac alterius uxorem. *Bonac. de Matr. q.* 3. *punct.* 5. §. 3. *n.* 5.

Si adoptans contrahit Matrimonium cum adoptati filia, vel nepte, pronepte, aut abnepte in linea recta, etiamſi adoptio fuerit ſublata, contrahit invalide; quia eſt inter adoptantem adoptatique deſcendentes uſque ad quartum gradum. Secus autem ſi contrahat Matrimonium cum adoptati Sorore etiam in primo gradu, aut cum ejuſdem Matre, quamvis adoptio non fuerit ſublata; quia tunc eſt inter adoptantem, adoptatique conſanguineam, non vero deſcendentem. *Bonac. loc. cit.*

Si perſona adoptata contrahit Matrimonium cum ado-

adoptantis filiis nondum emancipatis, contrahit invalide; quia eſt inter perſonam adoptatam, ac adoptantis filios, qui ſub patria ſunt poteſtate. Secus autem ſi contrahat cum adoptantis parentibus, aut nepotibus etiam in linea recta; quia hi non ſunt filii; vel cum filiis non tamen legitimis, ac naturalibus; quia hi non veniunt nomine filiorum; vel adoptio per obitum, aut alio modo fuerit ſublata; quia tunc adoptio non permanet; vel præceſſerit emancipatio filiorum; quia tunc hi ſub patria non ſunt poteſtate. *Bonacina loc. cit. n. 6. & 8. De his agit D. Th. in 4. diſt. 42. q. 2. art. 3. in corp.*

§. V. *De Crimine.*

Quintum impedimentum dirimens eſt crimen, ſcilicet adulterium & homicidium, cui ne daretur occaſio ex Matrimonii fine, ad id præcavendum, Eccleſia hoc impedimentum conſtituit. Per adulterium intelligitur copula conſummata cum perſona, quæ ſcitur eſſe conjugata: alias enim adulterium non eſt formale ex parte utriuſque. Per homicidium vero intelligitur occiſio Conjugis facta ab altero Conjuge, vel phyſice per ſe, vel moraliter per alium, quam tamen non cenſetur feciſſe, ſi ſolum ratam habuit, vel ante occiſionem revocavit mandatum, vel mors non fuit ex ea, ſed ex alia cauſſa ſecuta. Cum igitur tam adulterium, quam homicidium, quod præceſſit Matrimonium, reddat ipſum invalidum, non tamen ſemper, ſed ſolum quando concurrunt aliquæ circumſtantiæ, quæ requiruntur diverſæ, ſi ſolum adulterium, vel ſolum homicidium, utrumque ſimul præceſſit; ad dignoſcendum quandonam dirimat, vel non; hæc traditur diſtinctio:

Si præceſſit ſolum adulterium, dirimit Matrimonium, quoties de hoc adſuit attentatio, vel acceptata promiſſio.

Si præceſſit ſolum homicidium, dirimit, quoties ex parte utriuſque adſuit conſpiratio cum fine Matrimonii.

Si preceſſit utrumque, dirimit, quoties ex parte homicidæ adſuit finis Matrimonii.

Alias non dirimit.

Ratio eſt; quia quando præceſſit ſolum adulterium, ita diſponitur *in cap. cum haberet, & in cap.*

cap. propoſitum, & *in cap. ſignificaſti*, & *de eo qui duxit in Matr.* & *in relatum* 31. *q.* 1. Quando præceſſit ſolum homicidium, ita diſponitur *in cap. laudabilem*, *de converſat infidel.* & ita declarat *Gloſſa in Can. ſi quis vivente* 31. *q.* 1. *verb. occidiſſe*. Quando vero præceſſit adulterium, & homicidium ſimul, ita colligitur *ex cap. ſuper hoc*, *de eo qui duxit in Matr.* & *ex Can. ſi quis vivent.* 31. *q.* 1. ubi *Gloſſa*.

Unde reſolvitur.

Si duo attentant contrahere Matrimonium vivente alterius Conjuge, & ante, vel poſt contractum, habent copulam; adhuc ſecuta Conjugis morte invalide contrahunt; quia præceſſit adulterium cum attentatione Matrimonii *ex cap. cum haberet*, & *ex cap. finali*, *de eo qui duxit in Matr.* Secus vero ſi quando fuit habita copula Conjux obierat, quamvis crederetur ſuperſtes; quia licet tunc adfuerit adulterium, quoad malitiam, non tamen adfuit quoad rem. *Bonac. de Matrim. q.* 3. *punct.* 6. *n.* 8.

Si inter duos, quorum alter ſciat alterum eſſe conjugatum, habetur copula conſummata, & ante, vel poſt ipſam alteri conſentienti promittit vere, vel ficte, abſolute, vel conditionate ſe ipſi nupturum poſt conjugis mortem, eaque ſecuta ipſi nubat, invalide nubit; quia præceſſit adulterium: & adfuit Matrimonii promiſſio acceptata. E contra valide nubit, ſi non promiſit, quamvis propoſuerit, vel ſi promiſit, alter tamen non acceptavit ſaltem tacite, ut in contractu promiſſorio requiritur; quia tunc licet præceſſerit adulterium, de Matrimonio tamen, vel non adfuit promiſſio, vel ſi adfuit, non fuit acceptata. *Sanch. de Matr. lib.* 7. *diſp.* 79. *n.* 9.

Si alter ex conſenſu ſaltem tacito alterius occidit proprium, vel alterius Conjugem, ut Matrimonium inter ſe contrahant, ſecuta occiſione, invalide contrahunt, etiamſi nulla fuerit habita copula; quia præceſſit homicidium, & ex parte utriuſque adfuit conſpiratio cum fine Matrimonii. E contra valide contrahunt, ſi homicidium fuit ab uno commiſſum altero inſcio, vel diſſentiente; quia tunc non adfuit ex parte utriuſque conſpiratio; vel ſi fuit commiſſum altero conſentiente;

fuit tamen ex vindicta, vel ex alia cauſſa non pertinente ad Matrimonium contrahendem; quia licet tunc adfuerit ex parte utriuſque conſpiratio; non tamen fuit cum fine Matrimonii. *Tambur. lib. 7. de Matr. tract. 1. cap. 6. §. 1.*

Si inter duos fuit habita copula, & alter proprium, vel alterius Conjugem occidit, ut cum perſona, cum qua adulterium commiſit, Matrimonium contrahat, invalide contrahit, etiamſi in copula, nulla fuerit facta Matrimonii promiſſio, & in occiſione non adfuerit utriuſque conſpiratio; quia præceſſit utrumque crimen, ſcilicet adulterium, & homicidium, atque ex parte homicidæ adfuit finis Matrimonii. E contra valide contrahit, ſi occidat Conjugem ex vindicta, vel ex alia cauſſa non pertinente ad contrahendum Matrimonium; quia licet tunc præceſſerit utrumque crimen; ex parte tamen homicidæ non adfuit finis Matrimonii. *Tambur. loco cit. §. 2. De his agit D Antonin. in Sum. part. 3. titul. 1. cap. 5. Vide Sanchez de Matr. lib. 7. diſp. 79.*

§. VI. *De Cultus diſparitate*.

Sextum impedimentum eſt Cultus diſparitas, per quam non intelligitur alia, niſi perſonæ baptizatæ, & non baptizatæ, ut habetur ex praxi Eccleſiæ, quamvis non exprimatur in jure; unde deducitur Matrimonium inter perſonas, quarum una ſit baptizata, & altera Catechumena, eſſe invalidum; quia licet utraque ſit fidelis; altera tamen non eſt baptizata, & e contra Matrimonium inter perſonas, quarum una ſit Catholica, & altera Hæretica, vel Apoſtata, eſſe validum; quia licet altera ſit infidelis, utraque tamen eſt baptizata, quamvis prohibeatur a jure *in Can. cave*, & *in Can. ſi quis 28. q. 1.* Sed quia hæc diſparitas perſonæ baptizatæ, & non baptizatæ poteſt evenire poſt Matrimonium in infidelitate contractum, quando ſcilicet alter ex Conjugibus convertitur ad fidem Chriſti; difficultas eſt in tali caſu, an, & quando Matrimonium dirimatur, vel non. Pro quo hæc traditur diſtinctio:

Si infidelis baptizari non renuit, Matrimonium cum fideli non dirimitur.

Si baptizari renuit, dirimitur, quoties fidelis mutat ſtatum.

Alias

Alias non dirimitur.

Racio eſt; quia ita colligitur *ex cap. quanto,* & *ex cap. gaude de divortio.*

Unde reſolvitur.

Si unus ex Conjugibus Judæis, Turcis, vel Gentilibus ſuſcipit Baptiſmum, quem etiam alter ſuſcipere promittit, quamvis pro tunc non ſuſcipiat, Matrimonium etiam ratum inter ipſos non dirimitur; quia infidelis baptizari non renuit. E contra fidelis in tali caſu (niſi adſit neceſſitas urgens) prohibetur cohabitare cum infideli etiam ſecluſa contumelia Creatoris, ac perverſionis periculo (licet olim eſſet permiſſum) uſquequo infidelis baptiſmum non ſuſcipiat; quia Matrimonium quoad ſolum vinculum non dirimitur quando infidelis baptizari non renuit. *Sanch. de Matr. lib. 7. diſp.* 74.

Si unus ex Conjugibus infidelibus ſuſcipit Baptiſmum, quem alter ſuſcipere recuſat, & interim fidelis alteri nubit, vel votum caſtitatis emittit, Matrimonium inter ipſos etiam conſummatum utpote habens ſolam rationem contractus dirimitur; quia fideli altero baptizari renuente mutat ſtatum. Idem dicendum eſt ſi mutatione ſtatus ſecuta, infidelis amplius baptizari non renuat; quia renuit pro illo tunc quo fidelis mutavit ſtatum. *Sanchez loc. cit. diſp.* 75.

Si unus ex Conjugibus infidelibus ſuſcipit Baptiſmum, quem alter ſuſcipere recuſat, & interim fidelis nec alteri nubit, nec votum caſtitatis emittit; Matrimonium inter ipſos etiam ratum non dirimitur; quia licet infidelis baptizari renuat; fidelis tamen non mutat ſtatum. Idem dicendum eſt, ſi interim infidelis alteri nubat, etiamſi copulam conſumet: hic enim, ſi poſtea ſuſcipit Baptiſmum, tenetur ſtare priori Matrimonio utpote non diſſoluto; quia tunc non fidelis, in cujus favorem conceſſum eſt privilegium, ſed infidelis mutavit ſtatum. *Sanchez loc. cit. diſp.* 75. *n.* 4. & 6. *De his agit D Th in* 4. *diſt.* 39. *q.* 1. *art.* 5.

§. VII. *De Vi.*

Septimum impedimentum dirimens eſt vis, ſeu metus, qui reſpective juxta qualitatem perſonæ animoſæ, vel puſillanimis dicitur cadere in conſtantem virum, dirimitque Matrimonium de jure

re naturali ſi conſenſum tollit, & ſi conſenſum non tollit, Matrimonium dirimit de jure Eccleſiaſtico, ut habetur *in cap. cum locum*, & *in cap. veniens ad nos, de Sponſalib.* Sed quia Eccleſia hoc impedimentum conſtituit, ut Martimonium contraheretur libere, ideoque eatenus ſit dirimens, quatenus libertati contrahentium opponitur; ad dignoſcendum quandonam eidem opponatur, ac Matrimonium dirimat, vel non; hæc traditur diſtinctio.

Si vis & metus incutitur juſte, Matrimonium non dirimit unquam.

Si incutitur injuſte, dirimit, quoties eſt gravis, & incutitur ad extorquendum conſenſum.

Alias non dirimit.

Ratio eſt; quia quando vis, & metus incutitur juſte, cum non fiat injuria; neque cenſetur ædi libertas contrahentis utpote qui ſuæ coactionis eſt cauſſa. Quando vero incutitur injuſte, ſi non eſt gravis; non cenſetur cadere in conſtantem virum; & ſi non incutitur ad extorquendum conſenſum; hic utpote pro remedio vitandi mali electus non cenſetur coactus.

Unde reſolvitur.

Si quis cogitur ad ducendam puellam, quam defloravit, vel cum qua Sponſalia contraxit, per metum accuſationis ſibi incuſſum a Conſanguineis, vel per metum punitionis ſibi incuſſum a Judice, etiamſi habeat juſtam cauſſam reſiliendi ob puellæ fornicationem cum alio, quam tamen in judicio probare non poſſit; vis & metus Matrimonium non dirimit; quia cum Conſanguinei habeant jus ad accuſandum, & Judex ad puniendum juxta allegata & probata; tunc vis, & metus incutitur juſte. Secus autem ſi defloratio, aut Sponſalia, in judicio non probentur legitime, quamvis a parte rei ſint vera; quia cum non detur jus ad cogendum, niſi juxta allegata & probata; tunc vis & metus incutitur injuſte. *Bonac. de Matr. q. 3. punct. 8. n. 11. & ſeqq.*

Si quis ex infirmitate periclitans cogitur ad ducendam filiam Medici, qui alias ipſum curare recuſat; talis metus Matrimonium non dirimit; quia cum periculum non proveniat a Medico, ſed a morbo; metus non incutitur. Secus autem, ſi

ſi Medicus ob curam vitioſam fuit in cauſſa talis periculi; quia cum hoc provenerit cauſſative a Medico; tunc metus incutitur. *Bonac. loc. cit. n. 23.*

Si quis cogitur ad ducendam aliquam ob metum mali notabilis ſibi, vel ſuis in bonis corporis, animæ, vel fortunæ a perſona privata incuſſum ad extorquendum conſenſum; tunc vis, & metus Matrimonium dirimit; quia incutitur injuſte, & eſt gravis. Secus vero ſi non timeatur malum notabile, etiamſi de notabili adſint minæ; quia licet tunc vis, & metus incutiatur injuſte, non eſt tamen gravis. *Averſa de Matrim. q. 4. ſect. 3. & 4.*

Si quis deprehenſus in ſtupro a Conſanguineis ſtricto gladio impetitur, niſi ſtupratam ducat; vis & metus Matrimonium dirimit; quia eſt gravis, & incutitur ad extorquendum conſenſum. Secus vero ſi ſtuprator ſit occidendus, & ipſe ad evadendam mortem offerat Matrimonium; quia cum tunc ab occiſuris ſolum intendatur vindicta; metus non incutitur ad extorquendum conſenſum. *Bonac. loc. cit. nu. 22. De his agit D. Thom. in 4. diſt. 29. quæſt. 1. art. 3. Et D. Bonav. in 4. diſt. 29 art. 1. quæſt. 1.*

§. VIII. *De Ordine.*

Octavum impedimentum dirimens eſt ordo Sacer, ut habetur *in Can. Presbyteris diſt. 27. & in Conc. Trid. ſeſſ. 24. de Matr. Can. 9.* qui ordo ſi eſt ſuſceptus valide, dirimit Matrimonium etiamſi ordinatus non intenderit emittere caſtitatis votum Ordini adnexum; ſi autem eſt ſuſceptus invalide non dirimit, etiamſi ordinatus intenderit tale votum emittere, cum hoc utpote acceſſorum ſequatur naturam principalis. Sed quia poteſt contingere, ut ordo Sacer ſit ab aliquo ſuſceptus valide, ſed non rite, ideſt vel poſt Matrimonium, vel ante ipſum, ſed involuntarie, aut coacte; difficultas eſt in his caſibus, an, & quando dirimat, vel non. Pro quo hæc traditur diſtinctio:

Si Ordo Sacer eſt ſuſceptus poſt Matrimonium, non dirimit unquam.

Si eſt ſuſceptus ante Matrimonium, dirimit, quoties ſuſceptio fuit voluntaria, nec coacta injuſte.

Aliis

Alias non dirimit.

Ratio quoad Ordinem ſuſceptum poſt Matrimonium eſt; quia ita habetur in *Extravag. Joannis* XXII. quæ incipit -- *antiquæ concert. de voto, ac voti redempt. cap. unico*. Quo vero ad Ordinem ſuſceptum ante Matrimonium; quia licet tunc dirimat ex *Can. Presbyteris, diſt.* 27. ſi tamen ſuſceptio fuit involuntaria, vel coacta injuſta, tunc impedimentum relaxatur ab Eccleſia, ut colligitur ex *Can. integritas* 32 *qu.* 2. ex *Can. ante triennium* 31. & ex *Can. præſens* 20. *q.* 3.

Unde reſolvitur.

Si quis vivente uxore ordinatus eſt in Subdiaconum, tunc Ordo Sacer non dirimit matrimonium, etiamſi hoc ſit tantummodo ratum (ad differentiam profeſſionis religioſæ, quæ ipſum dirimit, quoties non eſt conſumatum, juxta ſuperius dicta §. 3.); quia Ordo Sacer eſt ſuſceptus poſt matrimonium. Idem dicendum eſt, ſi ordinatus eſt in Subdiaconum poſt religionis ingreſſum, in qua tamen profeſſionem non emiſit; quia hac ceſſante, quoad ordinem militat eadem ratio. *Averſa de matrim. quæſt.* 2. *ſect.* 6. *verſ. dico*.

Si quis ordinatus eſt in Subdiaconum ante pubertatem, ſed poſt uſum rationis, & adveniente pubertate matrimonium contrahit, tunc Ordo Sacer ipſum dirimit etiamſi fuerit conſummatum; quia ſuſceptio ordinis ante matrimonium utpote facta a rationis compote fuit voluntaria. E contra ipſum non dirimit, etiamſi ſit tantummodo ratum, ſi ordinatus eſt in Subdiaconum ante uſum rationis, quamvis in eo caſu ſit recurrendum ad Eccleſiam; quia licet ordinis ſuſceptio fuerit valida; ex defectu tamen rationis fuit involuntaria. *Sanchez de matr. lib.* 7. *diſp.* 30.

Si quis ordinatus fuit in Subdiaconum per vim, & metum gravem, & incuſſum auctoritate privata, & poſtea matrimonium contrahit; tunc Ordo Sacer ipſum etiam ratum non dirimit; quia licet Ordinis ſuſceptio fuerit voluntaria; fuit tamen coacta injuſte. E contra ipſum etiam conſummatum dirimit, ſi vis & metus fuit levis;

vis; quia tunc ſuſceptio Ordinis non cenſetur coacta, vel metus gravis fuit incuſſus auctoritate publica; quia licet Ordinis ſuſceptio tunc fuerit coacta, non tamen fuit injuſte. *Sanchez loc. cit. diſp.* 29. *de his agit D. Antonin. in Sum. par.* 3. *tit.* 14. *cap.* 16. § 18. *in fine*.

§. IX. *De Ligamine*.

Nonum impedimentum eſt ligamen, ideſt vinculum matrimonii cum altero Conjuge vivente, quod dirimit non ſolum de jure Eccleſiaſtico, ut habetur *in cap. in præſentia, de ſponſalib. & matr. & in Conc. Trident. ſeſſ.* 24. *de matr. Can.* 2. ſed etiam de jure divino, ut patet ex *Geneſ.* 2. *Erunt duo in carne una*, ideſt non plures; *& adhærebit uxori ſuæ*: ideſt non pluribus, & quamvis in lege veteri adeſſet quoad pluralitatem uxorum diſpenſatio divina; hæc tamen in lege evangelica fuit a Chriſto ſublata, ut colligitur ex *Matth.* 19. *& Marc.* 10. Cum igitur ligamen permaneat, ideoque ſecundum matrimonium dirimat uſquequo uterque ex conjugibus vivit, poſſitque contingere, ut uterque Conjux vel ſolum alteruter ſit baptizatus; difficultas eſt, an ligamen tam inter utrumque Conjugem baptizatum quam inter unum conjugem baptizatum & alterum non bapizatum dirimat ſemper, vel non. Pro quo hæc traditur diſtinctio:

Si ligamen eſt inter utrumque Conjugem baptizatum, dirimit ſemper

Si eſt inter unum baptizatum, & alterum non baptizatum, dirimit, quoties alter renuit baptizari. Alias non dirimit.

Ratio quoad ligamen inter utrumque baptizatum, eſt; quia habetur ex *Apoſt. ad Roman.* 7. *&* 1. *ad Corinth.* 7. Quo vero ad ligamen inter baptizatum, & non baptizatum; quia ita colligitur ex *cap. gaudemus, de divort. verb. compelletur*.

Unde reſolvitur.

Si poſt matrimonium contractum inter utrumque Conjugem baptizatum, alter altero vivente nubit cum alio; ligamen cum primo dirimit matrimonium cum ſecundo, etiam ſi cum primo fuerit tantummodo ratum, & cum ſecundo fuerit inſuper conſummatum; quia prius ligamen erat inter utrumque Conjugem baptizatum. Idem

dicendum eſt ſi ſecundum matrimonium fuerit contractum bona fide ob exiſtimatam primi Conjugis mortem; quia licet hæc tollat peccatum; non tamen tollit ligamen utpote indiſſolubile inter utrumque Conjugem baptizatum. *Bonac. de matr. q.* 3. *punct.* 10. *n.* 5. & 17.

Si poſt matrimonium contractum inter utrumque Conjugem infidelem, alter baptizatur, & altero non requiſito, an velit baptizari, nubit cum alio fideli, ligamen cum primo dirimit matrimonium cum ſecundo, etiamſi cum primo fuerit tantummodo ratum, & cum ſecundo fuerit inſuper conſummatum; quia cum ligamen ſit inter unum baptizatum, & alterum non baptizatum; hic utpote irrequiſitus non conſtat, an renuat baptizari. Secus autem, ſi infidelis etiam non requiſitus ſponte diſcedat a fideli, vel nubat alteri infideli, ex ejus factis conſtat, quod renuat baptizari. *Sanchez de matr. lib.* 7. *diſp.* 74. *n* 12. & 13.

Si vir infidelis dat repudium uxori pariter infideli, quæ ideo alteri infideli nubit, & poſtea vir baptizatur, & alteri fideli nubit, ligamen cum prima dirimit matrimonium cum ſecunda; quia ex facto uxoris utpote alteri nuptæ ob repudium ſibi datum, quod juxta legem Chriſti ligamen non tollit, non conſtat, an hæc renuat baptizari. Idem dicendum eſt, ſi ipſa poſtea baptizata nupſerit cum altero pariter baptizato; quia pro illo tunc, quo prior Maritus contraxit cum alia, non conſtabat quod ipſa renueret baptizari. *Sanchez loc. cit. num.* 15. *Ex gloſſa in cap. gaudemus, de divort.*

§. X. *De Honeſtate*.

Decimum impedimentum dirimens eſt publica honeſtas, quæ eſt propinquitas orta ex ſponſalibus, & ex matrimonio rato. Ex ſponſalibus oritur inter ſponſum, ac Conſanguineas Sponſæ, ſicut e converſo inter Sponſam, & non ulterius. Ex matrimonio rato oritur inter Maritum, & Conſanguineas uxoris, ſicuti e converſo inter uxorem & conſanguineos Mariti uſque ad quartum gradum, etiamſi conſanguinei ſint ſpurii, vel contrahentes celebraverint ſponſalia, aut matrimonium dum erant in infidelitate, cum per baptiſmum ſubjiciantur legibus Eccleſiæ in omnibus.

bus. Sed quia poteſt contingere, ut matrimonium, vel ſponſalia fuerint contracta invalide; difficultas eſt in hoc caſu, an, & quando publica honeſtas dirimat, vel non. Pro quo hæc traditur diſtinctio:

Si publica honeſtas oritur ex ſponſalibus, dirimit in primo gradu, dummodo ſponſalia fuerint valida.

Si oritur ex matrimonio rato, dirimit uſque ad quartum gradum etiamſi matrimonium fuerit invalidum, dummodo non ex defectu conſenſus. Alias non dirimit.

Ratio quoad honeſtatem ortam ex ſponſalibus eſt; quia ita diſponitur *in Concil. Trident. ſeſſ.* 24. *de reform matr. cap* 3. Quo vero ad honeſtatem ortam ex matrimonio rato; quia cum *Conc. Trid.* nihil novi diſpoſuerit; ſervandum eſt jus antiquum *in cap. ex ſponſalib. de ſponſalib. in* 6. ut declaravit *Pius V. in Bulla* 62. quæ incipit -- *Ad Romanum ſpectat.*

Unde reſolvitur.

Qui ſine ullo defectu eſſentiali celebravit ſponſalia cum aliqua, non poteſt matrimonium contrahere cum ejuſdem Matre, filia, vel ſorore in primo gradu (licet poſſit in aliis gradibus etiam lineæ rectæ); ob impedimentum publicæ honeſtatis, etiamſi ſponſalia cum prima fuerint per mortem, vel mutuum conſenſum diſſoluta; quia per hoc non tollitur, quin fuerint valida. Secus autem ſi ſponſalia celebrata ſint ſub conditione non verificata, vel cum defectu conſenſus, aut habilitatis in contrahentibus, quamvis non fuerint diſſoluta; quia tunc fuerunt invalida, *Averſa de matr. quæſt.* 17. *ſect.* 5. *verſ. addit*, & *ſect.* 4. *verſ. ſi vero.*

Qui contraxit, ſed non conſummavit matrimonium cum aliqua, non poteſt aliud contrahere cum ejuſdem conſanguineis uſque ad quartum gradum ob impedimentum publicæ honeſtatis, etiamſi prius matrimonium fuerit ob aliquod impedimentum, vel defectum (præter conſenſum) a Judice Eccleſiaſtico declaratum invalidum; quia quamvis nullum de jure, de facto tamen fuit matrimonium ratum. Secus vero ſi prius matrimonium fuit contractum involuntarie, vel coacte,

vel ſub conditione non verificata; quia licet tunc fuerit ratum; fuit tamen invalidum ex defectu conſenſus. *Averſ. loc. cit. ſect.* 5.

§. XI. *De Ætate*.

Undecimum impedimentum dirimens eſt defectus ætatis, ideſt quando uterque, vel alter ex contrahentibus eſt impuber, qualis eſt maſculus non expleto decimo quarto, & femina non expleto duodecimo ætatis anno. Sed quia ab hoc impedimento excipitur caſus, in quo malitia ſupplet ætatem, ut habetur *in cap. puberes de deſponſat. impub.* difficultas eſt quandonam ætatis defectus matrimonium dirimat, vel non. Pro quo hæc traditur diſtinctio:

Si pubertas non eſt proxima, defectus ætatis dirimit matrimonium ſemper.

Si pubertas eſt proxima, defectus ætatis dirimit matrimonium, quoties, non conſtat de potentia generandi.

Alias non dirimit.

Ratio eſt; quia quando pubertas non eſt proxima; non poteſt ex imbecillitate naturæ malitia ſupplere ætatem. Quando vero pubertas eſt proxima, eatenus poteſt malitia ſupplere ætatem, quatenus conſtat de potentia generandi, ut declaratur *in cap. de illis., qui min. ætat. de deſponſat. impub.*

Unde reſolvitur.

Si maſculus, & femina non excedant annum nonum, etiamſi ſtatura excreverint, ac robore valeant, defectus ætatis matrimonium dirimit; quia pubertas non eſt proxima. Idem dicendum eſt, etiamſi ad coeundum non ſint impotentes; quia adhuc pubertas non eſt proxima. *Sanchez de matrim. lib.* 7. *diſp.* 104. *n.* 29. & 30.

Si maſculus attingit annum decimum tertium, & femina undecimum, quamvis ſtatura excreverint, ac ſint conſperſi lanugine; adhuc defectus ætatis matrimonium dirimit; quia licet pubertas ſit proxima; ex his tamen ſignis non conſtat de potentia generandi. Secus vero ſi maſculus ſemen, & femina menſtruum effundat, etiamſi ſint in minori ætate; quia tunc ex his ſignis conſtat de potentia generandi, *Sanchez loco cit. num.* 34. & *ſeqq. Ex Gloſſa in*

cap.

cap. puberes, & in cap. atteſtationes de deſponſat. impub.

§. XII. *De Affinitate.*

Duodecimum impedimentum dirimens eſt affinitas, quæ eſt propinquitas ex carnali copula proveniens inter virum, ac conſanguineas mulieris: ſicuti e converſo inter mulierem, ac conſanguineos viri in eo gradu, in quo conſanguinei ſunt, cum gradus affinitatis ex conſanguinitate menſurentur, unde deducitur non oriri inter utriuſque conſanguineos, ſicuti nec inter virum, & affines mulieris, ut e converſo, cum affinitas affinitatem non pariat, ut diſponitur *in cap. quod ſuper his de conſang. & affinit.* Ad contrahendam autem affinitatem requiritur, ut copula tam licita quam illicita fiat in mulieris vaſe naturali, in quod inſuper immittatur ſemen, quamvis non prolificum, ut colligitur *ex can. lex divina* 27. *q.* 2. Sed quia affinitas poteſt eſſe vel antecedens, quando ſcilicet copula eſt habita cum conſanguinea Conjugis ante matrimonium, vel poteſt eſſe ſubſequens, quando ſcilicet copula eſt habita cum conſanguinea Conjugis poſt matrimonium; difficultas eſt in utroque caſu, an, & quando, & in quo gradu dirimat, vel petitionem, aut redditionem debiti impediat, vel non. Pro quo hæc traditur diſtinctio:

Si affinitas eſt antecedens, ex copula licita dirimit matrimonium uſque ad quartum gradum, ex illicita uſque ad ſecundum gradum.

Si eſt ſubſequens, impedit ex parte delinquentis ſolam petitionem debiti, quoties matrimonium eſt conſummatum.

Alias impedit etiam redditionem.

Ratio quoad affinitatem antecedentem eſt; quia ita diſponitur *in Conc. Trid. ſeſſ.* 24. *de ref. matr. cap.* 4. & *in Bulla* 26. *Pii V.* quæ incipit -- *ad Romanum ſpectat* -- Quo vero ad affinitatem ſubſequentem; quia quando matrimonium eſt conſummatum, cum non poſſit utpote indiſſolubile dirimi; qui deliquit, debet ſibi, & non alteri præjudicare, ut diſponitur *in cap. Tuæ fraternitati, de eo, qui cognov. ubi Gloſſa, verb. ſolvere*: quando vero matrimonium non eſt conſummatum, cum adhuc delinquens poſſit ingredi religionem; non reddendo, non lædit jus innocentis.

Unde reſolvitur.

Qui cognovit uxorem, non poteſt poſt ejus mortem contrahere cum ejuſdem conſanguinea uſque ad quartum gradum ob impedimentum dirimens affinitatis; quia hæc eſt antecedens, & ex copula licita. Similiter qui cognovit non uxorem, non poteſt contrahere cum ejuſdem conſanguinea uſque ad ſecundum gradum (licet poſſit in gradu ulteriori); quia tunc affinitas eſt antecedens, & ex copula illicita. *Tambur. lib.* 8. *de matr. tr.* 2. *cap.* 12. §. 1.

Qui poſt copulam habitam cum uxore cognovit culpabiliter ejuſdem conſanguineam in primo, vel in ſecundo gradu, non poteſt petere debitum, licet poſſit reddere; quia affinitas eſt ſubſequens, & matrimonium eſt conſummatum. E contra ſi ante copulam habitam cum uxore cognovit ejuſdem conſanguineam in primo, vel in ſecundo gradu, non poteſt debitum petere unquam, nec reddere prima vice uſquequo diſpenſationem obtineat; quia affinitas eſt ſubſequens, & matrimonium non eſt conſummatum. *De his agit D. Anton. in Sum. p.* 3. *tit.* 1. *c.* 11. *Vide Sanchez de matr. lib.* 7. *diſp.* 64.

§. XIII. *De Clandeſtino.*

Decimum tertium impedimentum dirimens eſt contractus clandeſtinus, ideſt matrimonium celebratum ſine proprio Parocho ac teſtibus, juxta ſuperius dicta *cap.* 3. *hujus Tractatus*: quod impedimentum cum fuerit inductum *a Concilio Trident. ſeſſ.* 24. *de reform. matr. c.* 1. non dirimit ubique, ſed ſolum in iis locis, in quibus Concilium eſt publicatum poſt triginta dies a publicatione numerandos, ut diſponitur *in dicta ſeſſ.* 24. *de reform. matr. cap.* 1. *in fine*. Sed quia poteſt contingere, ut vir, aut mulier vel uterque ſe transferat a loco ubi Concilium eſt publicatum, ad locum ubi non eſt publicatum, & ibi matrimonium clandeſtine contrahat; difficultas eſt in tali caſu, an, & quando hoc impedimentum dirimat, vel non. Pro quo hæc traditur diſtinctio:

Si in locum, ubi Concilium non eſt publicatum, migratur animo permanendi, contractus clandeſtinus matrimonium non dirimit unquam.

Si illuc migratur animo non permanendi, contra-

ctus

ctus clandeſtinus matrimonium dirimit, quoties ſit in fraudem Concilii.

Alias non dirimit.

Ratio eſt; quia ita declaravit *Urbanus VIII. in Brevi ad Archiepiſcopum Colonien.* quod incipit -- *Ad futuram rei memoriam. Exponi nobis fecit* -- ac per extenſum refertur *a Cardinali de Lugo lib.* 1. *reſponſ. moral. dub.* 36.

Unde reſolvitur.

Si uterque, vel alter ex contrahentibus ſe transfert a loco ubi Concilium eſt publicatum, ad locum ubi non eſt publicatum, vel non receptum, ut ibi domicilium figat, & ſtatim ibidem matrimonium contrahit ſine Parocho, ac teſtibus; contractus clandeſtinus matrimonium non dirimit, quamvis paullo poſt ab eo loco recedat; quia per hoc non tollitur, quin illuc migret animo permanendi. Idem dicendum eſt, ſi in eum locum ſe transferat tam ut ibi domicilium figat, quam etiam ut ibidem matrimonium clandeſtine contrahat; quia per hoc quod id faciat in fraudem Concilii, non tollitur, quin illuc migret animo permanendi. *Lugo lib.* 1. *reſponſ. moral. dub.* 36. *n.* 4.

Si uterque, vel alter ex contrahentibus ſe transfert a loco ubi Concilum eſt publicatum, ad locum ubi non eſt publicatum eo ſolo fine, ut ibidem matrimonium contrahat ſine Parocho, ac Teſtibus; contractus clandeſtinus matrimonium dirimit, quamvis poſtea ibidem domicilium figat; quia per factum ſubſequens non tollitur, quin illuc migret animo non permanendi, & in fraudem Concilii. Secus vero, ſi ad eum locum ſe transferat ad exercendam mercaturam, vel ad aliud negotium peragendum, & poſtea ibidem matrimonium clandeſtine contrahat; quia licet tunc illuc migret animo non permanendi; non tamen migrat in fraudem Concilii. *Lugo loco cit. num.* 3. *&* 5. *Ex Brevi ſupr. cit. reſponſ. ad* 3. *&* 4. *dub.*

§. XIV. *De Impotentia.*

Decimum quartum impedimentum dirimens eſt impotentia, per quam intelligitur omnis inhabilitas ad habendam copulam generationi per ſe aptam quovis modo proveneri vel ex natura, vel ex morbo, vel ex mutilatione, vel ex maleficio, ſive ſit ex parte utriuſque, ſive alterius ex con-

trahentibus, tam ſcita, quam ignorata, & hæc utpote oppoſita fini a contrahentibus intento matrimonium dirimit jure Eccleſiaſtico, ac naturali. Sed quia impotentia non quælibet, nec ſemper dirimit; ad dignoſcendum quæ, & quando dirimat, vel non; hæc traditur diſtinctio:

Si impotentia accidit poſt matrimonium contractum, non dirimit unquam.

Si aderat ante matrimonium contractum, dirimit, quoties tolli non poteſt.

Alias non dirimit.

Ratio eſt; quia quando impotentia ſubſequitur, ne matrimonium ab initio valide contractum ſit indiſſolubile, ita declaratur *in can. his qui matrim.* 32. *q.* 7. Quando vero impotentia antecedit, cum eatenus non poſſit haberi matrimonii finis, quatenus hæc tolli non poteſt; ita declaratur *in cap. ex litteris tuis*, & *in c. fraternitatis*, *de frigid. ac malefic. ac in can. ſi per ſortiarias* 33. *q.* 1.

Unde reſolvitur.

Si quis contraxit per verba de præſenti, & poſtea etiam copula nondum habita evaſit ex aliquo caſu impotens ad eam habendam; talis impotentia non dirimit; quia accidit poſt matrimonium contractum. Si vero dubitatur, an antea, vel poſtea evaſerit impotens, tunc ſi impotentia eſt ex natura, cenſetur eſſe ante; ſi autem eſt ex morbo, mutilatione, vel maleficio, uſquequo non probetur contrarium, cenſetur eſſe poſt matrimonium contractum. *Sanchez de matr. lib.* 7. *diſp.* 102. *num.* 3. & *diſp.* 103. *n.* 4. & 5.

Si quis contraxit dum carebat utroque teſticulo, talis carentia matrimonium dirimit etiamſi fuerit habita copula; quia cum hæc utpote generationi per ſe non apta cenſeatur eſſe impotentia; ut declaravit *Sixtus V. in Bulla* 59. quæ incipit -- *cum frequenter* -- talis impotentia aderat ante matrimonium contractum, ac tolli non poteſt. E contra ſi quis contraxit dum carebat virtute generativa ob ſenectutem, vel ſterilitatem, talis carentia matrimonium non dirimit; quia cum copula ſolum per accidens non ſit apta generationi, non cenſetur impotentia etiamſi ſit ante matrimonium contractum, ac tolli non poſſit. *Filliuc. tract.* 10. *num.* 75. & 76.

Si

Si quis contraxit dum carebat coeundi potentia vel ex maleficio, quod tolli poteſt, ſed non ſine peccato, vel ex defectu naturali, qui pariter tolli poteſt, ſed non ſine vitæ periculo, talis impotentia dirimit; quia aderat ante matrimonium contractum, & utpote ſolum illicite tollenda cenſetur tolli non poſſe. Idem dicendum eſt quando ex inevidentia impotentiæ conceditur triennium ad experiendum juxta *c. laudabilem*, & *cap. litteræ veſtræ*, *de frigid.* & *malefic.* & triennio elapſo copula haberi non potuit; quia tunc etiam impotentia, quæ eſt ante matrimonium contractum, cenſetur tolli non poſſe. *Sanchez loco cit. diſp. 93. num. 9.* & *20. De his agit D. Th. in 4. diſt. 34. q. 1. art. 2.* & *3. Et D. Bonav. in 4. diſt. 34. artic. 2. quæſt. 1.* & *2.*

§. XV. *De Raptu.*

Decimum quintum impedimentum dirimens inductum a Concilio Trident. eſt Raptus, per quem intelligitur violenta abductio feminæ de uno loco ad alium moraliter diverſum, ob matrimonii, vel fornicationis finem, ipſa invita, quamvis conſentientibus ſuis, vel ſuis invitis quamvis ipſa conſentiente, ut dictum eſt *in 6. Præc. Decal. p. 1. tr. 8. c. 4. de Raptu*. Cum igitur ex ibi dictis conſtet, quæ feminæ abductio ſit raptus, & quando pœnæ contra raptores ſtatutæ incurrantur; ſolum difficultas hic eſt, quinam raptus, & quando matrimonium dirimat, vel non. Pro quo hæc traditur diſtinctio:

Si raptus feminæ ſit ad contrahendum, vel fornicandum cum ipſa, matrimonium dirimit, quoties rapta manet in poteſtate raptoris.

Si ſit ad alium finem, non dirimit unquam.

Ratio eſt; quia ita expreſſe habetur *in Concil. Trid. ſeſſ. 24. de reform. matr. cap. 6.* ubi licet non exprimatur fornicationis cauſſa, cum tamen hæc etiam conſtituat raptum, ut patet *ex can. raptus*, & *ex can. lex illa 27. q. 9.* in ipſa quoque habet locum diſpoſitio Concilii utpote abſolute dicentis inter raptorem, & raptam, quamdiu ipſa in poteſtate raptoris manſerit, nullum poſſe conſiſtere matrimonium.

Unde reſolvitur.

Si quis rapuit feminam, ut ſibi præſtaret famu-

mulatum, & poſtea eidem nupſit, talis raptus matrimonium non dirimit; quia non fuit factus ad contrahendum, vel fornicandum. Idem dicendum eſt, ſi cum ea ſit fornicatus; quia adhuc talis raptus non fuit factus ad fornicandum. *Bonac. de matrim. q. 4. punct.* 18. *n.* 6.

Si quis rapuit feminam, ut contraheret, vel fornicaretur cum alia, ad quam inducendam rapta cenſebatur idonea, & poſtea eidem raptæ nupſit, talis raptus matrimonium non dirimit; quia licet fuerit factus ad contrahendum, vel fornicandum; non tamen fuit factus ad contrahendum, vel fornicandum cum ipſa. Idem dicendum eſt, ſi poſtea etiam cum ipſa ſit fornicatus; quia adhuc raptus non fuit factus ad fornicandum cum ipſa, *Sanchez de matr. lib.* 7. *diſp.* 13. *n.* 6.

Si quis rapuit feminam etiam ſponſam, ut contraheret, vel fornicaretur cum ipſa, & poſtea eamdem reportavit in domum ſuam, in qua tamen raptor poterat eam cogere, quamvis non coacta cum raptore contraxerit; talis raptus matrimonium dirimit; quia fuit factus ad contrahendum, vel fornicandum cum ipſa, & cum locus non fuerit tutus, adhuc cenſetur rapta manſiſſe in poteſtate raptoris. Secus autem, ſi eam reportavit in domum etiam non ſuam, in qua tamen raptor non poterat eam cogere; quia cum locus fuerit tutus; non cenſetur amplius rapta manſiſſe in poteſtate raptoris. *Averſa de matr. q.* 12. *ſect.* 3.

CAPUT VI.

De Matrimonii ordinatione.

MAtrimonium poteſt eſſe invalidum, vel ex defectu conſenſus, vel ex impedimento dirimente: ſi eſt invalidum ex defectu conſenſus; ad ipſum revalidandum ſufficit, ut conſenſus ſuppleatur vel interne, quando defectus eſt alteri Conjugi occultus, vel etiam externe quando defectus eſt alteri Conjugi notus, non tamen coram Parocho, ac teſtibus, cum iſtæ ſollemnitates jam præceſſerint, quamvis *P. D. Jo. Chryſoſt. Scarfò in ſtromat. moral. ſtromat.* 28. aliter ſentiat. Si vero Matrimonium eſt invalidum ex impedimento dirimente, & hoc eſt publicum; tunc ad ipſum revalidandum neceſſario requiritur, ut impedimento ſublato (vel per diſpenſationem, ut in cognatione,

tione, affinitate, honeſtate, ac crimine, vel per ipſius impedimenti ceſſationem, ut in errore, conditione, vi, ac ætate), mutuus conſenſus iterum præſtetur coram proprio Parocho, ac Teſtibus. Quod cum certum ſit, tota difficultas eſt quando impedimentum eſt occultum, an eo ſublato poſſit Matrimonium revalidari clandeſtine per novum conſenſum expreſſe, vel tacite præſtitum. Pro quo hæc traditur diſtinctio:

Si impedimentum occultum poteſt juridice probari, Matrimonium non poteſt clandeſtine revalidari unquam.

Si impedimentum occultum non poteſt juridice probari, Matrimonium poteſt clandeſtine revalidari per conſenſum expreſſum conſcii, ac per tacitum inſcii, quoties timetur ſcandalum grave.

Alias non poteſt.

Ratio eſt; quia quando impedimentum poteſt juridice probari, non cenſetur amplius occultum. Quando vero non poteſt juridice probari; cum tunc ſit occultum, & jam fuerit ſervata forma a Concilio Trid. præſcripta; ſi ex propalatione timetur ſcandalum grave; ex praxi S. Pœnitentiariæ, quæ dicitur innixa declarationi Pii V. caſus cenſetur per epichejam exceptus.

Unde reſolvitur.

Si matrimonium eſt contractum cum impedimento dirimente, & hoc ſciat, vel Parochus, vel Teſtes, vel duo alii; adhuc impedimento ſublato non poteſt clandeſtine revalidari per mutuum utriuſque Conjugis conſenſum etiamſi ex propalatione timeatur ſcandalum grave: quia tunc, impedimentum licet communiter occultum, ex illorum tamen ſcientia poteſt juridice probari. Secus autem, ſi Parochus hoc ſciat ex ſola Confeſſione Sacramentali, vel teſtes non ſint omni exceptione majores,: vel ſciant ex relatione alterius ex Conjugibus; quia tunc impedimentum occultum non poteſt juridice probari. *Caſtropal. de Sponſal. diſp.* 3. *punct.* 7. §. 3. *n.* 3.

Si Matrimonium eſt contractum cum impedimento dirimente, & hoc ſolum ſciant ipſi Conjuges; eo ſublato poteſt clandeſtine revalidari per conſenſum expreſſum utriuſque Conjugis utpote conſcii, ſi ex propalatione immineat periculum

diſſidii, rixæ, vel infamiæ; quia tunc impedimentum occultum poteſt juridice probari, & alias timetur ſcandalum grave. Secus autem, ſi periculum, quod imminet, ſit parvi momenti, ut admirationis, deriſionis, vel ſimilium; quia tunc non timetur ſcandalum grave. *Sanch. de Matr. lib. 2. dip. 37.*

Si Matrimonium eſt contractum cum impedimento dirimente, & hoc ſolum ſciat unus ex Conjugibus; eo ſublato poteſt clandeſtine revalidari per conſenſum expreſſum conſcii, dum hic blanditiis, vel alio modo extrahit in inſcio conſenſum tacitum inducendo ipſum ad declarandum ſe eum amare tamquam Conjugem, vel gaudere de ſecum contracto Matrimonio, ipſique nupturum, etiamſi non nupſiſſet, vel ſe petere copulam affectu maritali (cum ſine hac expreſſione ſimplex petitio non ſufficiat) ſi dubitetur, an inſcius factus certior de invaliditate ſit diſſenſurus; quia tunc timetur ſcandalum grave. E contra non ſufficit conſenſus tacitus inſcii, ſi certior factus non dubitetur quin ſit aſſenſurus, quamvis ægre laturus; quia tunc non timetur ſcandalum grave. *Sanchez loco cit. diſp. 36. n. 7.*

CAPUT VII.

De Matrimonii debito.

POſt Matrimonium contractum elapſo bimeſtri, quod ad deliberandum de Religionis ingreſſu contrahentibus datur *in cap. ex publico, de Converſat. Conjugat.* oritur in utroque Conjuge jus petendi debitum, & obligatio ſub mortali illud reddendi ex præcepto naturali, ac divino, ut habetur 1. *Corinth. 7.* quæ obligatio utpote rationabilis cum includat hanc tacitam conditionem, ſi ſcilicet non obſtet cauſſa juſta, ceſſat in caſu, quo alterutri immineat periculum valetudinis, vel alter non habeat jus petendi ob votum, vel ſit eo privatus ob adulterium, (dummodo hoc non ſit commiſſum ab utroque, cum tunc detur compenſatio) vel petitio ſit inordinata quoad modum, tempus, aut locum, juxta dicenda *cap. ſequenti*. Cum igitur tam jus petendi, quam obligatio reddendi eatenus vigeat, quatenus non adeſt impedimentum, poſſitque contingere, ut hoc detegatur ab utroque, vel ab altero ante,

vel

vel poſt conſummatum Matrimonium; difficultas eſt in hoc caſu, an & quando Conjux poſſit debitum petere, aut reddere, vel non. Pro quo hæc traditur diſtinctio:

Si impedimentum eſt dirimens, non poteſt Conjux debitum petere, nec reddere unquam.

Si impedimentum non eſt dirimens, poteſt Conjux poſt primam vicem debitum reddere ſemper, petere autem, quoties cauſſam impedimento non dedit.

Alias non poteſt.

Ratio eſt, quia quando impedimentum eſt dirimens, cum ratione nullitatis Matrimonium non ſubſiſtat; extra ipſum copula eſt ſemper illicita. Quando vero impedimentum non eſt dirimens, cum tunc Matrimonium ſubſiſtat; culpa unius non debet cedere in præjudicium alterius, ſed proprium.

Unde reſolvitur.

Si poſt Matrimonium etiam conſummatum Conjux deprehendat alterum ſecum contraxiſſe dum erat ſibi affinis, vel cognatione ſpirituali, aut legali conjunctus, non poteſt amplius debitum petere, nec reddere; quia affinitas, vel cognatio utpote quæ anteceſſit Matrimonium, eſt impedimentum dirimens. Idem dicendum eſt etiamſi alter Conjux omni culpa vacet, ac ſit in bona fide; quia per hanc non tollitur, quin impedimentum ſit dirimens.

Si poſt Matrimonium etiam ratum Conjux deprehendat alterum, dum erat ſibi ligatus, contraxiſſe ſecum affinitatem ex copula illicita, vel cognationem Spiritualem ex Baptiſmo, aut legalem ex adoptione, poteſt debitum non ſolum reddere, ſed etiam petere, etiamſi ſciat illum eſſe in mala fide; quia cum tunc affinitas, & cognatio utpote quæ ſubſecuta eſt Matrimonium, non ſit impedimentum dirimens; ipſe cauſſam impedimento non dedit. E contra licet alter poſſit reddere, cum impedimentum non ſit dirimens (dummodo tamen Matrimonium ſit conſummatum, cum alias poſſit adhuc Religionem ingredi); non tamen poteſt petere; quia cauſſam impedimento dedit. *Ex cap. tranſmiſſæ, ex cap. tuæ fraternit. & ex cap. diſcretionem, de eo qui cogn.*

Si

Si poſt Matrimonium tam ratum, quam conſummatum contrahitur cognatio ex ignorantia inculpabili facti, poteſt uterque debitum petere, ac reddere; quia ratione talis ignorantiæ neuter cenſetur cauſſam impedimento dediſſe *ex cap. ſi vir, de cognat. ſpirit.* Idem dicendum eſt, ſi cognatio contrahatur ſcienter, ſed neceſſario, ut ſi alio deficiente Conjuges baptizent filium moriturum; quia adhuc ratione talis neceſſitatis neuter cenſetur cauſſam impedimento dediſſe. *Ex Canon. ad limina* 30. *q.* 1. *Vide Bonac. de Matrim. q.* 4. *punct.* 1. *& ſeqq.*

CAPUT VII.

De Matrimonii uſu.

MAtrimonii uſus utpote Conjugibus favorabilis poteſt de mutuo utriuſque conſenſu omitti ad tempus, vel ſemper, niſi ex carentia prolis grave damnum Reipublicæ immineat. Licite autem exercetur quoties in eo ſervatur modus, ideſt conſuetus; locus, ideſt decens; tempus, ideſt opportunum; & finis, ideſt intentio prolis habendæ, vel concupiſcentiæ in ſe, aut in altero ſedandæ. Cum igitur in uſu Matrimonii aliqua ex his circumſtantiis non ſervata peccetur ex inordinatione; difficultas eſt quandonam peccatum ſit grave, vel leve. Pro quo hæc traditur diſtinctio:

Si in uſu Matrimonii non ſervatur modus, eſt peccatum grave, quoties impeditur generatio.

Si non ſervatur locus, eſt grave, quoties fit in publico, vel Sacro.

Si non ſervatur tempus, eſt grave, quoties ſubitur periculum notabile.

Si non ſervatur finis, eſt grave, quoties intentio fertur in non Conjugem.

Alias eſt leve.

Ratio quoad modum eſt; quia ſi impeditur generatio, fit contra inſtitutum naturæ. Quoad locum; quia ſi hic eſt publicus, vel Sacer, fit notabiliter contra honeſtatem, ac decentiam. Quoad tempus; quia ſi ſubitur periculum notabile, fit graviter contra caritatem, vel juſtitiam. Quo vero ad finem; quia ſi intentio fertur in non Conjugem, deſumit ex objecto fornicationis malitiam.

Un-

Unde reſolvitur.

Si uſus Matrimonii exercetur modo inordinato, ſcilicet a viro ſuccubo, ac femina incuba, vel a ſtantibus, aut ſedentibus, vel more pecudum præpoſtere, ita ut ſemen viri non immittatur in vas naturale Mulieris, vel in eo non poſſit retineri; eſt peccatum grave; quia tunc impeditur generatio. E contra eſt peccatum leve, ſi ea inordinatione non obſtante adhuc ſemen immittatur, ac poſſit retineri (quamvis aliquando præter intentionem ſequatur effuſio per accidens) quia tunc per ſe non impeditur generatio. *D.* i*Anton. p.* 3. *tit.* 1. *cap.* 20. §. 3.

S uſus Matrimonii exercetur ubi concubitus ab aliis conſpici poteſt, quamvis non conſpiciatur, eſt peccatum grave; quia tunc cenſetur fieri in loco publico. Idem dicendum eſt, ſi etiam ex neceſſitate, ac nullo vidente exerceatur in Templo, aut in Oratorio ſaltem benedicto; quia tunc fit in loco Sacro. *D. Antonin. in Sum. p.* 3. *tit.* 1. *cap.* 20. §. 2.

Si uſus Matrimonii exercetur dum alter ex Conjugibus laborat morbo, unde unus poſſit gravari, & alter infici, vel dum Mulier eſt gravida; unde fetus poſſit lædi; eſt peccatum grave; quia tunc ſubitur periculum notabile. E contra eſt peccatum leve, ſi exerceatur dum Mulier eſt menſtruata, vel ex partu nondum purificata (etiamſi tempus ſit Sacrum, vel ſumenda, aut ſumpta ſit Euchariſtia, cum quoad hoc non adſit abſtinendi præceptum, ſed conſilium) quia tunc non ſubitur periculum notabile. *Gloſſ. in Can.* §. *ſi cauſſa* 33. *quæſt.* 4.

Si uſus Matrimonii exercetur ob voluptatem in cogitatione venerea erga aliud objectum quam Conjugis, eſt peccatum grave; quia tunc intentio fertur in non Conjugem. E contra eſt peccatum leve, ſi exerceatur ob ſolam voluptatem, præſcindendo a quocumque objecto; quia tunc licet finis ſit inordinatus, intentio tamen non fertur in non Conjugem. *Ex propſ. damn. ab Innocen.* XI. *propoſ.* 9. *Vide Averſam de Matrim. q.* 21. *ſect* 5. 6. & 7.

CA-

CAPUT IX.

De actibus extra Matrimonii uſum.

EXtra Matrimonii uſum fiunt aliquando inter Conjuges actus inhoneſti, per quos intelliguntur tactus, amplexus, oſcula, & verba amatoria, quæ ex ſalacitate, ac libidine, non quæ ex benevolentia, urbanitate, vel patrio more exercentur; & quamvis tales actus extra Matrimonium ſint ſponſis illiciti ſub gravi, ſi turpiter, & cum delectatione venerea; ſub levi autem, ſi ex joco, vel levitate habeantur; Conjugibus tamen non ſemper ſunt illiciti, cum Matrimonium eos cohoneſtet. Sed quia hoc non omnes, nec ſemper cohoneſtat; ad dignoſcendum quinam actus inhoneſti, & quandonam ſint Conjugibus ſub gravi, aut levi illiciti, vel non; hæc traditur diſtinctio:

Si actus inhoneſte fiunt contra ordinem naturæ, ſunt Conjugibus illiciti ſub gravi ſemper.

Si fiunt juxta ordinem naturæ, ſunt Conjugibus illiciti ſub gravi, quoties adeſt pollutionis periculum, ſub levi, quoties non ordinantur ad copulam.

Alias ſunt liciti.

Ratio quoad actus contra ordinem naturæ eſt; quia cum hi utpote oppoſiti ejus inſtituto ſint intrinſece mali; non poſſunt unquam cohoneſtari. Quo vero ad actus juxta ordinem naturæ; quia licet ſint media ab ea inſtituta; quando tamen adeſt pollutionis periculum, cum tunc adhibeantur contra finem Matrimonii, inde deſumunt malitiam gravem. Quando vero non ordinantur ad copulam, cum tunc adhibeantur non contra, ſed præter finem Matrimonii; inde deſumunt malitiam levem.

Unde reſolvitur.

Si vir penetrat digito uxoris vas etiam naturale, vel ejus vas innaturale perfricat, vel pudendum inter ejuſdem crura immittit, actuſque conſimiles per ſe ad copulam non ordinatos exercet, tam vir, quam uxor eos permittens peccat graviter; quia tales actus inhoneſte fiunt contra ordinem naturæ. Idem dicendum eſt, ſi præmittantur ad excitandam copulam; quia per hoc non tollitur, qui fiant contra ordinem natu-

ræ. *Caſtropal. de Sponſal. diſp.* 3. *punct.* 4. §. 2. *num* 6.

Si vir, & uxor ſe invicem amplectuntur, oſculantur, tangunt, vel ſermones amatorios habent, unde alias experti ſint utrumque, vel alterum pollutum, peccant graviter; quia licet tales actus inhoneſti fiant juxta ordinem naturæ; ratione tamen experientiæ cenſentur fieri cum pollutionis periculo. Idem dicendum eſt, ſi neuter ſit, vel timeatur pollutioni conſenſurus; quia per hoc non tollitur, quin adſit pollutionis periculum. *Caſtropal. de Sponſal. diſp.* 3. *punct.* 4. §. 2. *n.* 1.

Si conjuges ſe amplectentes, oſculantes, tangentes experti ſunt ſe alias non fuiſſe pollutos, & tales actus exercent quando coire non intendunt, vel non valent ex impotentia phyſica, aut morali, vel ex ſuperveniente affinitatis, vel compaternitatis impedimento (cum hoc ſolum Matrimonii uſum, non vero ceteros actus impediat) peccant leviter; quia licet tales actus fiant ſine pollutionis periculo; non tamen ordinantur ad copulam. Idem dicendum eſt, ſi alter in alterius abſentia ſine tali periculo, Conjugis imaginem deoſculetur, ac moroſe delectetur de copula præterita, vel futura (dummodo ſit Conjux, ac vivat, cum hoc Sponſis, ac Viduis ſit illicitum ſub gravi, juxta dicta *part.* 1. *tract.* 11. *cap.* 1.); quia tales actus licet referantur, non tamen ordinantur ad copulam. *Sanch. de Matrim. lib.* 9. *diſp.* 44. *De his agit D. Antoninus in Sum. part.* 3. *tit.* 1. *cap.* 20. §. 7. & *part.* 2. *tit.* 5. *cap.* 1. §. 9.

CAPUT X.

De Matrimonii effectu.

MAtrimonium poteſt dupliciter conſiderari, ſcilicet ut Sacramentum, & ut contractus: ſi conſideratur ut Sacramentum, ejus effectus eſt augmentum gratiæ cum auxilio ad Matrimonii onera ferenda juxta ſuperius dicta de Sacramentis in genere. Si vero conſideratur ut contractus, ejus effectus eſt obligatio mutui obſequii ex parte Conjugum, & legitimatio ex parte prolis. Obligatio mutui obſequii conſiſtit in redditione debiti, & de hac dictum eſt *cap.* 7. *hujus Tractu.*

ſtatus, & in cohabitatione, ac obedientia uxoris erga virum, virique alimentis, ac regimine erga uxorem, & de hac dictum eſt *part. 1. tract. 6. cap. 2.* Unde ſolum hìc reſtat agendum de ultimo effectu, ſcilicet de legitimatione prolis quantum ſpectat ad Moraliſtas pro foro interno, ut filii poſſint in conſcientia poſſidere bona parentum, ac munia Eccleſiæ ſubire. Cum igitur filii aliquando ſint nati ante Matrimonium contractum, & aliquando ſint nati poſt Matrimonium, ſed invalide contractum; difficultas eſt in utroque caſu, an, & quando per Matrimonium legitimentur, vel non. Pro quo hæc traditur diſtinctio:

Si filii ſunt nati ante Matrimonium, per ipſum legitimantur, quoties ſunt naturales.

Si filii ſunt nati poſt matrimonium invalidum, per ipſum legitimantur omnes, quoties fuit rite contractum, & ſaltem ex parte unius bona fide conſummatum.

Alias non legitimantur niſi revalidatione ſecuta.

Ratio quoad filios natos ante Matrimonium eſt; quia ita diſponitur *in cap. tanta eſt vis*, *in cap. cum inter*, *in cap. perlatum*, & *in cap. quod nobis*, *tit. qui filii ſint legit.* Quo vero ad filios natos poſt Matrimonium; quia de conditione, ut fuerit contractum rite, ita diſponitur *in cap. cum inhibitio*, *§. ſi quis*, *titul. de clandeſt. deſponſat.* de conditione autem, ut ſaltem ex parte unius fuerit bona fide conſummatum, ita diſponitur *in cap. ex tenore*, *tit. qui filii ſint legit.*

Unde reſolvitur.

Si filii nati ſunt ex concubitu ſoluti cum ſoluta, inter quos poſtea contrahitur Matrimonium, per ipſum legitimantur; quia ſunt naturales. Secus vero ſi dum fuit habitus concubitus, uterque, aut alter erat conjugatus, vel cognatione, affinitate, aut ſimplici voto ligatus (dummodo non etiam quoad legitimationem fuerit obtenta diſpenſatio): quia tunc filii utpote ſpurii non ſunt naturales. *Averſa de Matrim. q. 22. ſect. 2. verſ. rurſus.*

Si filii nati ſunt ex Conjugibus, quorum Matrimonium celebratum in facie Eccleſiæ fuit inva-

validum ob aliquod impedimentum dirimens ab utroque contrahente, vel ſaltem ab altero ignoratum, legitimantur etiamſi ſint ſpurii, nec Matrimonium poſtea revalidetur; quia hoc quamvis invalidum, fuit tamen rite contractum, ac ſaltem ex parte unius bona fide conſummatum. Secus vero ſi Matrimonium non fuit celebratum in facie Eccleſiæ, vel ſine denunciationibus, vel impedimentum fuerit ante conſummationem utrique Conjugi notum (dummodo non fuerit revalidatio ſecuta; quia tunc Matrimonium, vel non fuit rite contractum, vel non bona fide ex parte utriuſque conſummatum. *Averſa loco cit. verſ. at vero. Ex Juribus ſupracitatis.*

CAPUT XI.

De Divortio.

DIvortium, quod *eſt legitima ſeparatio Conjugum*, aliud eſt quoad vinculum, aliud vero quoad cohabitationem, ac thorum. Divortium quoad vinculum, quando Matrimonium eſt tantummodo ratum, poteſt fieri dupliciter, vel per profeſſionem, quam alter ex Conjugibus emittit in Religione approbata, ut diſponitur *in cap. ex publico, de converſ. Conjugat.* vel per ſententiam ſolius Summi Pontificis, ut patet ex facto pluries ſecuto: quando vero Matrimonium eſt inſuper conſummatum, ſi eſt inter baptizatos, non poteſt fieri ab ullo, nec unquam, ex præcepto Chriſti, *Matth.* 19. ſi autem eſt inter non baptizatos, poteſt fieri, quoties unus baptizatur, & alter baptizari renuit juxta ſuperius dicta *de cultus diſparitate*. Divortium quoad cohabitationem, ac thorum tam in Matrimonio rato, quam conſummato, poteſt ex communi conſenſu fieri ſemper auctoritate privata, altero autem invito non poteſt fieri niſi auctoritate publica, & ex quatuor cauſſis, quarum prima eſt adulterium unius, ut habetur *Matth.* 19. per quod intelligitur omnis copula cum non conjuge tam naturalis, quam innaturalis, *ex D. Thom. in* 4. *diſtinct.* 35. *quæſt.* 1. *art.* 1. *ad* 4. tam reſpectu uxoris, quam viri ex *Canon. Chriſtiana* 32. *quæſt.* 5. non autem alter actus impudicus ſine copula, cum

cum tunc caro non dividatur: ſecunda eſt hæreſis, per quam intelligitur omnis apoſtaſia a fide facta ab altero Conjuge, ut diſponitur *in cap. Mulier, de converſ. Conjugat. in cap. quæſivit, & in cap. quanto, de divort.* tertia eſt ſcandalum alteri ab altero illatum ad peccandum lethaliter, ut declaratur *a Gloſſ. in Can. Idolatria 28. quæſt. 1. verb. Sacrificare*: quarta eſt periculum grave, quod alteri ab altero imminet, ut diſponitur *in cap. litteras, de reſtitut. ſpoliat. in fine*. Sed quia etiam ſtantibus dictis cauſſis, adhuc tamen hoc Divortium quoad cohabitationem, ac thorum non ſemper eſt licitum; ad dignoſcendum quaudonam ſit licitum, vel non; hæc traditur diſtinctio:

Si Divortium fit ob adulterium, eſt licitum, quoties alter eſt innocens, vel non condonavit delictum.

Si fit ob hæreſim, vel ſcandalum, eſt licitum, quoties non adeſt emendatio.

Si ſit periculum, eſt licitum, quoties non præſtatur cautio.

Alias eſt illicitum.

Ratio eſt; quia quando divortium fit ob adulterium quoad alterius innocentiam declaratur *in cap. ſignificaſti, de divort. in cap. intelleximus, & in cap. tua fraternitas, de adul.* quo vero ad delictum condonatum diſponitur *in l. ſi Maritus 15. §. ſi negaverint, ff ad legem Juliam, de adulter.* Quando ſit ob hæreſim, vel ſcandalum, quamdiu non adeſt emndatio, ita conſtat *ex Can. non ſolum 28. qu. 1. & ex Gloſſ. in cap. Mulier, de converſ. Conjugat verb. Judicio*. Quando vero fit ob periculum quandiu non præſtatur cautio, ita declaratur *a Gloſſa in Can. de benedicto 32. q. 1. verb. ſub cautela*.

Unde reſolvitur.

Si uterque ex Conjugibus commiſit adulterium voluntarium, (ideſt ſecluſa violentia abſoluta, & ignorantia inculpabili) quamvis alter commiſerit minus grave, aut paucioribus vicibus, aut occulte, aut per metum, ac vim non abſolutam, vel ſi ipſe non commiſit, in alterius tamen adulterium conſenſit, non poteſt licite petere, nec facere Divortium; quia non eſt

eſt innocens. *Sanch. de Matrimon. lib.* 10. *diſp.* 6. *n.* 5. Idem dicendum eſt, ſi innocens poſt ſcitum adulterium Conjugis cum eo ſponte copulam habuit; vel ipſi familiarem, ac jucundum ſe exhibuit; quia tunc ſaltem tacite ipſi condonavit delictum. *Sanchez. loco cit. diſp.* 14. *n.* 6

Si unus ex Conjugibus lapſus eſt in errorem circa fidem pertinaciter, vel alterum tentavit inducere in aliquod peccatum grave, poteſt innocens licite petere, ac facere divortium; quia habet juſtam cauſſam ob alterius hæreſim, vel ſcandalum. Secus vero, ſi delinquens agat pœnitentiam, & in ipſa perſeveret; quia tunc adeſt emendatio. *Sanchez. loco cit. diſp.* 13. *num.* 19. & *diſp.* 17. *num.* 5.

Si alter ex Conjugibus timet ab altero ob ejuſdem ſævitiam, vel aliud vitium, malum grave in bonis corporis, vel fortunæ, poteſt licite petere, ac facere divortium; quia habet juſtam cauſſam ob imminens ſibi periculum. Secus vero, ſi alter det ipſi ſecuritatem per fidejuſſores, per pignora, vel per alia media a Judice Eccleſiaſtico probanda; quia tunc præſtatur cautio. *Sanchez loc cit. diſp.* 18. *n.* 2. *Ex juribus ſupracitatis.*

APPENDIX.

De Sacramentalibus.

TRactatui de Sacramentis adnectuntur Sacramentalia, quæ ſunt media impetrationis inſtituta ab Eccleſia ad mala avertenda, & ad bona obtinenda, ut aqua benedicta, Agnus Dei, Cereus Paſchalis, & ea omnia, quibus ex ſpeciali Eccleſiæ ritu adhibetur benedictio pro aliquo effectu, ut dicitur *in Can. de quotidianis, de pœnitent. diſtinct.* 3. *canon. aquam, de conſecrat. diſtinct.* 3. & *can. dictum eſt a Deo* 1. *quæſt.* 1. & quamvis eorum effectus non ſit infallibilis, cum ſacramentalium virtus (ad differentiam Sacramentorum) non fundetur in promiſſione Chriſti, ſed tantummodo in oratione, & interceſſione Eccleſiæ; hæc tamen utpote

Chri-

Chriſti Sponſa, ac Deo ſemper grata, cum exaudiri mereatur ab ipſo, per Sacramentalia impetrat varios effectus gratiarum, ad quas juxta petitiones in orationibus expreſſas ipſa Sacramentalia in eorum benedictione ordinantur. Sed quia hæc impetrandi virtus quamvis ex Eccleſiæ meritis efficax poteſt aliquando ex miniſtri, vel ſubjecti demeritis reddi inefficax; ad dignoſcendum quandonam Sacramentalia, vel prout conficiuntur, vel prout recipiuntur, ſint impetratoria, vel non; hæc traditur diſtinctio:

Si Sacramentalia conficiuntur, ſunt impetratoria, quoties conficiens eſt in communione Eccleſiæ.

Si recipiuntur, ſunt impetratoria, quoties recipiens eſt inſuper diſpoſitus per gratiam, ac pium motum voluntatis.

Alias ſecus.

Ratio eſt; quia quando Sacramentalia conficiuntur, cum tunc miniſter operetur in perſona Eccleſiæ, hæc eatenus intendit per ipſum orare, quatenus eumdem a ſui communione non excludit. Quando vero Sacramentalia recipiuntur, cum ſemper in ſubjecto requiratur capacitas, ac diſpoſitio, ſi recipiens eſt in cenſura, redditur incapax beneficii quatenus provenit ab interceſſione Eccleſiæ, & ſi eſt in peccato, redditur ejuſdem incapax quatenus provenit a conceſſione Dei; ſi vero non habet pium motum voluntatis, ad beneficium utpote non appetitum non cenſetur diſpoſitus.

Unde reſolvitur.

Si Sacerdos, dum eſt excommunicatus, vel ſuſpenſus, aut interdictus vitandus quamvis exiſtens in gratia, adhibet benedictiones ab Eccleſia præſcriptas vel ad ſananda pecora, vel ad occidenda animalia nociva, vel ad alios effectus a Deo obtinendos; talia Sacramentalia non ſunt impetratoria; quia dum conficiuntur, ea conficiens vel non eſt in Communione Eccleſiæ, vel quando eſt ligatus alia cenſura, cum Eccleſia non intendat per ipſum orare; quoad hoc miniſter non cenſetur eſſe in ejus communione. Secus vero ſi in ea cenſura ſit toleratus, quamvis exiſtat in peccato; quia cum tunc non operetur ſibi, ſed

ſed aliis; quoad hoc cenſetur eſſe in Communione Eccleſiæ. *Filliuc. tract.* 12. *num.* 101.

Si quis, dum eſt excommunicatus etiam toleratus, applicat ſibi Agnos cereos, vel comedit rem benedictam; talia Sacramentalia non ſunt impetratoria; quia ea recipiens non eſt in Communione Eccleſiæ. Idem dicendum eſt, ſi ſit in peccato lethali; quia tunc ea recipiens non eſt diſpoſitus per gratiam. *Filliuc. loco cit. num.* 104. & *tract.* 6. *num.* 130.

Si quis exiſtens in gratia aſpergit ſe aqua benedicta, nec ullum diſplicentiæ, vel retractationis actum de venialibus elicit, eorum remiſſionem non obtinet; quia non ſe diſponit per pium motum voluntatis juxta *D. Thom. part.* 3. *quæſt.* 87. *art.* 3. Similiter qui ex oblivione, vel inadvertentia nullum devotionis actum elicit, dum ſibi applicantur Sacramentalia ab Eccleſiæ Miniſtro, licet preces audiat, & ad ad petitiones attendat, non obtinet effectus, ad quos ordinantur; quia tunc utpote operans per ſolum intellectum, non ſe diſponit per pium motum voluntatis. *Filliuc. tract.* 6. *num.* 130. *Vide Suarez. in* 3. *part. D. Thom. tom.* 3. *diſp.* 15. *ſect.* 4.

Finis Secundæ Partis.

THEO-

THEOLOGIÆ MORALIS

SUMMÆ

PARS TERTIA.

De Cenſuris.

REmedia, quæ homini contumaciter peccanti ad reſipiſcendum applicantur, ſunt cenſuræ, quibus cum ſint affines Irregularitates, aliæque pœnæ ab Eccleſia ſtatutæ, omneſque tam medicinales, quam vindicativæ utpote ad morum formationem ordinatæ ad Moralem Theologiam pertineant; de ſingulis in hac tertia Parte tractabitur.

TRACTATUS I.

De Cenſura in genere.

CEnſura in genere quatenus præſcindit a ſuis ſpeciebus, quæ ſunt excommunicatio, ſuſpenſio, & interdictum, *eſt pœna ſpiritualis baptizato ad reſipiſcentiam inflicta*, quæ pœna cum ſit actus juriſdictionis, & a poteſtate Eccleſiaſtica quoad ligandum, & ſolvendum exerceatur in ſubditum pro ejuſdem ſalute; de ipſius ſententia, latore, ſubjecto, cauſſa, & effectu, ceteriſque, quæ ad ejus abſolutionem pertinent, in hoc Tractatu agetur.

CAPUT I.

De Cenſuræ Sententia.

CEnſura, quæ *eſt pœna Eccleſiaſtica medicinalis privans hominem uſu ſpiritualium bonorum*, alia eſt a jure, alia ab homine: quæ eſt a jure fertur per modum legis, ac durat uſquequo lex abrogetur: quæ vero eſt ab homine, fertur per modum præcepti, & hæc ſi eſt incurrenda, durat uſquequo juriſdictio in ejus latore ceſſet; ſi autem eſt incurſa, durat uſquequo per abſolutionem relaxetur. Vel eſt a jure, vel ab homine: ſi eſt ſententiæ latæ, incurritur abſque alia declaratione ſta-

ſtatim ac culpa cui eſt adnexa, committitur; ſi vero eſt ſententiæ ferendæ, etiamſi culpa ſit commiſſa, non incurritur, niſi poſt declarationem Judicis. Cum igitur hæc ſoleat diverſis verbis, ac formulis imponi; difficultas eſt in dignoſcendo quandonam ſit ſententiæ latæ, vel ferendæ. Pro quo hæc traditur diſtinctio:

Si Cenſura imponitur per verba temporis præteriti vel præſentis, eſt ſententiæ latæ ſemper.

Si imponitur per verba temporis futuri, eſt ſententiæ latæ, quoties futurum ſignificatur inſtantaneum.

Alias eſt ſententiæ ferendæ.

Ratio eſt; quia quando verba, quibus Cenſura imponitur, ſunt temporis præteriti, aut præſentis, vel ſi ſunt temporis futuri, hoc tamen ſignificatur inſtantaneum, cum pro tunc ſupponant cenſuræ executionem, indicant ad ejus incurſum non requiri ulteriorem hominis actionem, ſicuti eam requiri indicant, quando futurum non eſt inſtantaneum.

Unde reſolvitur.

Si ferens cenſuram utitur hac formula aſſertoria -- Qui hoc fecerit, noverit ſe excommunicatum, vel excommunicationem incurriſſe, vel gerat ſe pro excommunicato -- aut alia æquivalenti, tunc cenſura eſt ſententiæ latæ; quia hæc ex parte ipſius imponitur per verba temporis præteriti. Idem dicendum eſt ſi ferens cenſuram utitur hac formula -- Qui hoc fecerit eſt excommunicatus, vel anathema ſit, vel declaro eum excommunicatum, vel ſubjaceat excommunicationi -- aut alia æquivalenti; quia tunc cenſura fertur per verba temporis præſentis. *Suarez de cenſur. diſp.* 3. *ſect.* 3. *n.* 2.

Si ferens cenſuram utitur hac formula comminatoria --Hoc præcipio ſub pœna excommunicationis, ſub interminatione anathematis, vel: Qui hoc fecerit excommunicabitur vel noverit ſe excommunicandum -- aut alia æquivalenti; tunc cenſura eſt ſententiæ ferendæ; quia imponitur per verba temporis futuri. E contra eſt ſententiæ latæ ſi verbis temporis futuri addantur adverbia -- Confeſtim, ſtatim, mox, illico, continuo, in continenti, ex tunc, protinus, ipſo facto, ſine alia

declaratione -- ac ſimilia; quia tunc futurum ſignificatur inſtantaneum. *Suarez loco cit. n. 5.*

Si ferens cenſuram utitur formula, ex qua non dignoſcitur, an verba reſpectu cenſuræ ſint temporis præteriti, præſentis, aut futuri, ut ſi dicat -- Excommunicetur, vel excommunicationem noverit ſe incurſurum -- tunc cenſura cenſenda eſt ſententiæ ferendæ; quia juxta regulam juris in pœnalibus facienda eſt interpretatio mitior. Idem dicendum eſt ſi ex ambiguitate alicujus adverbii ſuperadditi de intentione ferentis non conſtat, ob eamdem rationem. *Bonac. de cenſur. diſp. 1. q. 1. punct. 1. n. 6. Ex Gloſſ. in cap. artem, de ſagittar. verb. ſub anathemate. Ex. Gloſſ. in can. Salonitanæ 63. verb. ſub excommunicationis.*

CAPUT II.

De Cenſuræ latore.

CEnſuræ lator eſt Prælatus habens juriſdictionem Eccleſiaſticam in foro externo ordinariam, vel delegatam: ordinariam habet Summus Pontifex in toto orbe, Epiſcopus in ſua Diœceſi, & Superior regularis ubique in ſuos Subditos: delegatam habet Commiſſarius, Viſitator, & quilibet alius, cui ſit conceſſa ab habente ordinariam. Sed quia Prælatus etiam ordinarius (excepto Summo Pontifice) non ſemper, nec ubique poteſt in ſuum Subditum ferre cenſuram; ad dignoſcendum ubi, & quando poſſit eam ferre, vel non; hæc traditur diſtinctio:

Si Prælatus eſt in ſuo Territorio, poteſt cenſuram ferre, quoties habet juriſdictionis uſum.

Si eſt extra Territorium, poteſt cenſuram ferre ſine ſtrepitu judiciali ubique, cum ſtrepitu judiciali poteſt in loco vicino, quoties a ſuo Territorio eſt expulſus injuſte.

Alias non poteſt.

Ratio eſt; quia quando Prælatus eſt in ſuo Territorio, ſi uſum Juriſdictionis non habet, potentia utpote impedita non poteſt reduci ad actum. Quando vero eſt extra Territorium, eatenus caret juriſdictione, quatenus hæc eſt in foro contentioſo, ut declarat *Gloſſa in can. Epiſcopum 9. q. 2. verb. Epiſcop. ordinandum*, quæ tamen etiam

in foro contentioſo ipſi conceditur a Papa, quando eſt expulſus injuſte, ut habetur in *Clementina unica de foro competenti*.

Unde reſolvitur.

Si Epiſcopus exiſtens in ſuo Territorio eſt excommunicatus, aut ſuſpenſus vitandus, vel ab eo eſt appellatum legitime, ejus Vicarius Generalis non poteſt ferre cenſuram etiam re non integra; quia cum hic faciat unum Tribunal cum Epiſcopo; eo ipſo quod per cenſuram, vel per appellationem non habet Epiſcopus; neque ejus Vicarius Generalis habet juriſdictionis uſum. E contra in caſu poſito delegatus Epiſcopi, quamvis non poſſit fere cenſuram re integra, cum tunc juriſdictio ceſſans in delegante ceſſet etiam in delegato, poteſt tamen cenſuram ferre re non integra; quia cum delegatus faciat diverſum Tribunal ab Epiſcopo, & per cauſſam incœptam ſit in poſſeſſione juris; non obſtante quod non habeat delegans; adhuc ipſe delegatus habet juriſdictionis uſum. *Ex cap. relatum, ex cap. gratum, & ex cap. licet, de offic. deleg.*

Si Prælatus habens juriſdictionis uſum exiſtit extra ſuum Territorium, poteſt in Subditum cenſuram ferre privatim, ideſt ſolum ſubſcribendo ſententiam; quia tunc eam fert ſine ſtrepitu judiciali. Secus vero ſi Subditum citet, vel proceſſum conficiat, vel ferat pro Tribunali ſententiam (dummodo non adſit Ordinarii licentia); quia tunc eam fert cum ſtrepitu judiciali. *Ex Gloſſ. in can. Epiſcopum* 9. *q*. 2.

Si Prælatus a ſuo Territorio ejicitur per poteſtatem laicam, poteſt in loco vicino ferre contra expulſores, alioſque ſibi Subditos cenſuram etiam cum ſtrepitu judiciali (petita tamen, quamvis non obtenta Ordinarii licentia); quia tunc a ſuo Territorio eſt expulſus injuſte. Similiter poteſt cenſuras hoc modo ferre etiam in loco remotiori, ſi vicinus non ſit tutus; quia tunc etiam ab eo cenſetur expulſus injuſte. *Ex Clement. unica, de foro compet. Vide Anton. a Spir. ſanct. in direct. Confeſſ. de cenſur. tract.* 12. *diſp*. 1.

TRACTATUS III.

De Cenſuræ ſubjecto.

CEnſuræ ſubjectum eſt homo baptizatus, ſubditus, ac delinquens, nam cum cenſura feratur ad reſipiſcentiam, ejuſdem non poteſt eſſe capax niſi homo; unde ſequitur non poſſe ferri in Dæmones, nec in animalia nociva, & quando ab Eccleſia eis infertur maledictio, hæc non pertinet ad cenſuram, ſed ad vim execrativam. Inſuper cum cenſura feratur a poteſtate Eccleſiaſtica; ejuſdem non poteſt eſſe capax niſi baptizatus; unde ſequitur non poſſe ferri in Catechumenos quamvis fideles, & e contra poſſe ferri in hæreticos quamvis infideles. Deinde cum cenſura ſit actus juriſdictionis, ejuſdem non poteſt eſſe capax niſi Subditus; unde ſequitur non poſſe ferri in mortuos utpote ex non manſione ſuper terram nemini ſubjectos, neque in vivos exiſtentes extra poteſtatem ferentis: demum cum ſit pœna, ejuſdem non poteſt eſſe capax niſi delinquens; unde ſequitur non poſſe ferri in ſeptennio minores, neque in perpetuo amentes: & quamvis impuberes poſſint incurrere cenſuram latam a jure; illicite tamen eis infertur ab homine, ut colligitur *ex c.* 1. *&* 2. *de delictis puerorum*. Univerſitas autem licet non poſſit ſubjici excommunicationi, cum ad hanc requiratur delictum perſonale, *ex c. Romana. de ſent. excom. in* 6. poteſt tamen ſubjici ceteris cenſuris, cum ad has ſufficiat delictum Capitis, *ex c. ſi ſententia, de ſent. excomm. in* 6. Cum igitur homo ut ſit capax cenſuræ debeat eſſe baptizatus, ſubditus, ac delinquens, & adhuc ſtantibus his requiſitis non tamen ſemper ſubjiciatur cenſuræ: ad dignoſcendum quandonam eidem ſubjiciatur, vel non; hæc traditur diſtinctio:

Si Subditus delinquit extra Territorium Prælati, cenſuræ non ſubjicitur unquam.

Si delinquit in Territorio Prælati, cenſuræ ſubiicitur, quoties externe, graviter, complete, & contumaciter delinquit.

Alias non ſubjicitur.

Ratio eſt; quia quando Subditus deliquit extra Territorium Prælati, hic non habet in ipſum juriſdictionem utpote loco affixam. Quando vero delin-

delinquit in Territorio Prælati, ſi non delinquit externe, Eccleſia de internis non judicat: ſi non delinquit gaviter, cenſura, quæ eſt pœna gravis, non proportionatur culpæ: ſi non delinquit complete, materia utpote odioſa, eſt ſtricte intelligenda: ſi vero non delinquit contumaciter, non adeſt contemptus requiſitus ad cenſuram utpote latam contra nolentem audire Eccleſiam, ut habetur *ex cap. Matth.* 18.

Unde reſolvitur.

Qui extra Diœceſim, vel etiam intra ipſam, ſed in loco exempto committit delictum, cui ab Ordinario fuit adnexa cenſura, eidem non ſubjicitur; quia delinquit extra Territorium Prælati. E contra ipſi ſubjicitur Clericus non reſidens, etiamſi maneat extra Diœceſim, ſi reſidentia præcipitur ſub cenſura; quia cum non reſidentia perficiatur in Diœceſi, tunc Clericus cenſetur delinquere in Territorio Prælati. *Ex cap. ut animarum, de conſtit. in* 6. *& cap. a nobis* 1. *de ſent. excom.*

Qui intra Diœceſim peccatum ſub cenſura prohibitum committit ſola cognitione non patefacta per verbum, ſcriptum, aut aliud ſignum ſenſibile, cenſuræ non ſubjicitur; quia non delinquit externe *ex cap. tua nos de Simon.* Idem dicendum eſt, ſi peccat dicto, vel facto, ſed ex parvitate materiæ, vel ex alia circumſtantia peccatum cenſeatur leve; quia licet delinquat externe, non tamen delinquit graviter. *Ex cap. cum voluntate, §. Si quis de ſent. excom.*

Qui committit delictum ſub cenſura prohibitum, ſed effectu non ſecuto, ut ſi telum immittat in Clericum, quem tamen non attingat, vel etiam effectu ſecuto, ſed non ex ejus peccato, ut ſi quando cenſura eſt lata contra homicidas; quia alterum vulneret, qui tamen non ex vulnere, ſed ex intemperantia, vel mala cura moriatur; cenſuræ non ſubjicitur; quia licet delinquat externe, ac graviter, non tamen delinquit complete. Secus autem, ſi ſub cenſura ſit prohibita etiam vulneratio, vel attentata Clerici percuſſio; quia cum ly *complete* intelligatur relative ad præceptum Superioris; tunc etiam vulnerando, vel telum immittendo delinquit complete. Ex argumento

in cap. perpetuo, de elect. in 6. Vide Bonac. de cenſur. diſp. 1. q. 1 punct 3.

Qui committit delictum completum, ſed cum invincibili ignorantia vel facti, ut ſi percutiat Clericum, quem neſciat eſſe Clericum, vel juris, ut ſi ſciat eſſe Clericum, ſed neſciat ejus percuſſioni eſſe adnexam cenſuram, hanc non incurrit: quia licet delinquat complete, cum tamen ratione ignorantiæ non contemnat Eccleſiam, non delinquit contumaciter. *Ex cap. ut animarum, de conſtitut. in 6. & ex cap. ſi vero 2. de ſentent. excom.* Idem dicendum eſt, ſi delictum prohibitum ſub cenſura committat ex metu gravi ſibi incuſſo (dummodo non in odium Religionis), vel actionem præceptam ſub cenſura omittat ex impotentia phyſica, vel morali; quia cum etiam tunc non cenſeatur contemnere Eccleſiam; non delinquit contumaciter. *Suarez de cenſur. diſp. 6. ſect. 3. num 7.*

CAPUT IV.

De Cenſuræ cauſſa.

Cum Cenſura ſit pœna; cauſſa, ob quam fertur, & incurritur, non poteſt eſſe niſi culpa, & cum pœna debeat proportionari culpæ; cenſura utpote pœna gravis non poteſt ferri, & incurri niſi ob culpam gravem. Sed quia poteſt contingere, ut cenſura feratur quando cauſſa a parte rei eſt falſa, ſed eſt juridice probata, vel quando cauſſa a parte rei eſt vera, ſed non eſt juridice probata; difficultas eſt in his caſibus, an, & quando cenſura incurratur, vel non. Pro quo hæc traditur diſtinctio:

Si cauſſa eſt falſa, cenſura non incurritur unquam.
Si cauſſa eſt vera, cenſura ſententiæ latæ incurritur ſemper, cenſura ſententiæ ferendæ incurritur, quoties cauſſa juridice probatur.
Alias non incurritur.

Ratio eſt; quia quando cauſſa eſt falſa, cum tunc non adſit culpa, neque debet adeſſe pœna. Quando autem cauſſa eſt vera, ſi cenſura eſt ſententiæ latæ, cum tunc non requiratur actio Judicis; in ea attenditur ſolum delictum: ſi vero cenſura eſt ſententiæ ferendæ, cum tunc requiratur actio Judicis; in ea attenduntur etiam proba-

bationes juxta diſpoſitionem juris *in can. ſi tantum*, & *in can. placuit 6. q. 2. ubi Gloſſa*.

Unde reſolvitur.

Qui delictum non commiſit, vel non contumaciter commiſit, ſed ita commiſiſſe juridice probetur, ſi ob id a Judice punitur cenſura, hanc non incurrit; quia cauſſa eſt falſa. E contra tenetur eam ſervare in publico ad ſcandalum vitandum; quia alias cederet in contemptum Eccleſiæ, etiamſi cauſſa ſit falſa. *Suarez de cenſur. diſp.* 4. *ſect.* 7. *n.* 11.

Qui commiſit delictum ſub cenſura ipſo facto incurrenda prohibitum, etiamſi non probetur, ideoque a Judice non incurriſſe declaretur; adhuc eam incurrit; quia cum cenſura ſit ſententiæ latæ, cauſſa eſt vera. E contra ſi commiſit delictum prohibitum ſub cenſura tantummodo comminatoria, ſed ſufficienter non probetur, etiamſi incurriſſe declaretur, eam non incurrit; quia cum cenſura ſit ſententiæ ferendæ, quamvis cauſſa ſit vera, non tamen juridice probatur. *Caſtropal. de cenſur. diſp.* 1. *punct.* 8. *n.* 12.

CAPUT V.

De Cenſuræ effectu.

CEnſuræ effectus eſt duplex; ſcilicet privatio ſpiritualium Eccleſiæ bonorum, & obligatio ab eorum uſu abſtinendi; per bona autem ſpiritualia intelliguntur illa, quæ ſunt in communi uſu Eccleſiæ, ut Sacramenta, ſacrificia, & orationes publicæ, non autem bona fidelium interna, quæ in gratia, ac virtutibus conſiſtunt; his enim non privat cenſura, ſed culpa. Utrumque hunc effectum præſtat cenſura etiamſi ſit injuſta, dummodo valida, aut ſi feratur ex odio, aut alia prava intentione; vel in ea ferenda non ſervetur juris ordo quoad accidentalia, ut ſi feratur ſine ſcripto, ſine monitione canonica, aut ſine cauſſæ expreſſione (in quo caſu eam ſic ferens incurrit ſuſpenſionem ab ingreſſu Eccleſiæ, & a divinis officiis per menſem ex *cap. cum medicinali, de ſent. excom. in* 6.) & juxta hunc ſenſum eſt intelligendum dictum D. Gregorii, quod cenſura etiam injuſta eſt timenda; nam ſi

eſt ſimul invalida, vel ex defectu juriſdictionis, vel ex cauſſa injuſta, vel ex errore intolerabili, ut ſi ſub ea præcipiatur peccatum, aut prohibeatur virtus; vel ex juris ordine non ſervato quoad ſubſtantialia, ut ſi non præcedat citatio, aut cauſſa non probetur, aut ſi feratur in genere non exprimendo quænam ſit, aut exprimendo disjunctive, ut ſi dicatur, *Sub pœna excommunicationis, vel ſuſpenſionis*; tunc etiamſi ex defectu inculpabili poſſit eſſe non injuſta; utpote tamen invalida non eſt timenda, cum nullum præſtet effectum. Suppoſito igitur, quod cenſura ſit valida, & incurratur (hæc enim utpote odioſa cum ſtricte ſit intelligenda, lata contra facientes non comprehendit mandantes, & eodem modo diſcurrendum eſt de clauſulis) cum incurratur toties, quoties peccatum numero diſtinctum committitur; difficultas eſt, an ita ſpiritualibus bonis, ac eorum uſu privet, ut nulla actio per eam prohibita poſſit aliquando fieri, vel non. Pro quo hæc traditur diſtinctio:

Si actio per cenſuram prohibita eſt intrinſece mala, non poteſt fieri unquam.

Si eſt extrinſece mala, poteſt fieri, quoties ex omiſſione timetur malum grave.

Alias non poteſt.

Ratio eſt; quia quando actio per cenſuram prohibita eſt intrinſece mala; tunc intrat præceptum naturale negativum, quod obligat ad ſemper. Quando vero actio eſt extrinſece mala; tunc intrat ſolum Præceptum Eccleſiæ, quæ non obligat cum tanto incommodo.

Unde reſolvitur.

Si Sacerdos eſt excommunicatus, aut ſuſpenſus non toleratus non poteſt ob quodcumque malum etiam mortis vitandum abſolvere a peccatis quamvis venialibus; quia cum talis actio utpote faciens ex defectu juriſdictionis Sacramentum nullum, ſit prohibita quia mala; eſt intrinſece mala. Similiter non poteſt celebrare, aut alium ordinem exercere, ſi metus ei incutiatur in Religionis contemptum, vel ſi concurrat ſcandalum; quia licet actio ex ſe ſit de re extrinſece mala; cum tamen ex circumſtantia Religionis non contemnendæ, vel ſcandali vitandi prohibeatur quia mala;

mala; evadit intrinſece mala. *Suarez de cenſur. diſp. 6. ſect. 3. n. 3. & 4.*

Si quis fuit ligatus cenſura occulta, a qua non poteſt ſtatim abſolutionem obtinere, & niſi interveniat Sacrificio, aut orationibus publicis, vel niſi miniſtret in Ordine (dummodo hunc poſſit exercere valide) imminet ſibi infamia, aut ceteris ſcandalum, vel aliud detrimentum notabile, poteſt hæc, & ſimilia per cenſuram prohibita licite præſtare; quia cum talis actio utpote mala quia prohibita, ſit extrinſece mala; ex ejus omiſſione timetur malum grave. Secus autem ſi inde ſolum immineat aliqua admiratio, vel murmur in populo, ex quo ſibi, vel aliis non reſultet detrimentum notabile; quia tunc malum, quod ex omiſſione timetur, non eſt grave. *Suarez loco cit. n. 7. & 19.*

CAPUT VI.

De Cenſuræ abſolutione.

CEnſura, vel eſt incurrenda, vel eſt incurſa; ſi eſt incurrenda, poteſt tolli per reſipiſcentiam quando eſt ſtatuta in criminoſum, & per ſatiſfactionem, vel condonationem partis quando eſt ſtatuta in debitorem; ſi vero eſt incurſa, non poteſt tolli niſi per abſolutionem, excepta ſuſpenſione, vel interdicto, quando fertur ad tempus; nam eo elapſo; per ſe ceſſat, cum tunc non ſit proprie cenſura, ſed potius pœna vindicativa, quæ non excedit voluntatem imponentis; ad differentiam excommunicationis, quæ ſemper eſt proprie cenſura quomodocumque ſit lata. Cum igitur abſolutio importet formam, miniſtrum, ac ſubjectum; ut de ſingulis diſtinctim agatur, ſit.

§. I. *De Abſolutionis forma.*

Abſolutionis forma ut ſit valida in cenſura, ſufficit, ut fiat verbis, vel ſcriptis, quæ actionem abſolvendi, & perſonam abſolvendam exprimant; ut autem ſit licita, requiritur inſuper, ut fiat juxta ritum ab Eccleſia præſcriptum in foro tam externo quam interno. Ad differentiam abſolutionis Sacramentalis poteſt dari extra Confeſſionem ab una cenſura, & non ab alia, ſub quacumque conditione etiam de futuro, ac inſuper ad reincidentiam, cum ſit actus ſolius juriſdi-

ctionis: Si abſolutio datur ſimpliciter, ſtatim ſuum ſortitur effectum, etiamſi apponatur clauſula -- *Satisfacta parte* -- cum hæc non conditionem, ſed obligationem importet: ſi vero datur conditionate, cum tunc conditio poſſit eſſe, vel quoad ſolutionem cenſuræ, vel quoad reincidentiam in ipſam; difficultas eſt, an, & quando conditione non verificata, abſolutio, vel ejus effectus ceſſet, vel non. Pro quo hæc traditur diſtinctio:

Si abſolutio eſt conditionata quoad ſolutionem cenſuræ, ceſſat, quoties conditio non verificatur.

Si eſt conditionata quoad reincidentiam in ipſam, ceſſat, quoties conditio non verificatur culpabiliter.

Alias non ceſſat.

Ratio eſt; quia quando conditio eſt quoad ſolutionem cenſuræ, ea non verificata; abſolutio non cenſetur data. Quando vero conditio eſt quoad reincidentiam; cum tunc abſolutio jam ſit data, ideoque cenſura utpote ſublata debeat denuo incurri; ad eam incurrendam etiam nova culpa requiritur.

Unde reſolvitur.

Si abſolutio a cenſura datur ſub iſta conditione -- *Si ſit ſatisfactum, vel ſatisfiet parti*, etiamſi ſatisfactio non ſit præſtita, vel non præſtetur inculpabiliter, abſolutio ceſſat; quia cum hæc ſit conditionata quoad ſolutionem cenſuræ; conditio non verificatur. *Bonac. de cenſ. diſp.* 1. *q.* 3. *punct.* 7. *n.* 1. E contra abſolutio non ceſſat, ſi a parte ſit remiſſa ſatisfactio; vel prorogatus terminus; quia cum hæc ſit appoſita in favorem partis, & per ipſius conſenſum cenſeatur præſtita; tunc conditio verificatur. *Caſtropal. de cenſur. diſp.* 1. *punct.* 8. *n.* 5.

Si abſolutio a cenſura datur ſub iſta conditione -- *Si abſolutus non ſatiſfaciet parti, vel ſe non præſentabit, in eamdem cenſuram reincidat* -- & ſi hic conditionem appoſitam non adimplet contumaciter, dum poteſt, abſolutio ceſſat; quia cum hæc ſit conditionata quoad reincidentiam, conditio non verificatur culpabili-

ter.

ter. E contra abſolutio non ceſſat, ſi abſolutus conditionem non adimpleat ex impotentia phyſica, vel morali; quia licet conditio non verificetur; eſt tamen inculpabiliter. *Filliuc. tract.* 11. *n.* 316. Ita colligitur ex *cap. eos, qui, de ſent. excom. in* 6. *verb. contempſerit.*

§. II. *De Abſolutionis Miniſtro.*

Miniſter abſolutionis a quacumque cenſura in articulo mortis, quando alter non adeſt, eſt quilibet Sacerdos etiam excommunicatus vitandus, vel degradatus, non autem Clericus quamvis Diaconus, niſi habeat juriſdictionem ordinariam, vel delegatam: ſic autem abſolutus, ſi convaleſcat, tenetur ſub pœna reincidentiæ præſentare ſe Superiori ſtatim ac commode poteſt. Extra mortis articulum Miniſter abſolutionis eſt qui habet juriſdictionem ordinariam, vel delegatam, quæ ſi delegatur alicui a Summo Pontifice pro cenſuris ſibi reſervatis, non intelligitur de contentis in Bulla Cœnæ, niſi ſpecialiter in conceſſione exprimantur, neque de cenſura contracta ob hæreſim, etiamſi caſus Bullæ Cœnæ ſpecialiter exprimantur juxta ſuperius dicta, *part.* 2. *tract* 5. *cap.* 4. *§.* 2. Sed quia hæc abſolvendi facultas juxta cenſuræ diverſitatem non omni, nec ſemper competit, ad dignoſcendum quinam, quando, & a qua cenſura poſſit abſolvere, vel non; hæc traditur diſtinctio:

Si cenſura eſt lata per ſententiam particularem, vel eſt reſervata non Papæ, ab ipſa poteſt abſolvere ſolus lator, ejuſque ſucceſſor, delegatus, aut Superior, quoties facultas in eis non eſt impedita.

Si eſt lata per ſententiam generalem, a non reſervata poteſt abſolvere ſimplex Confeſſarius, a reſervata Papæ poteſt abſolvere ſolus Epiſcopus, quoties eſt occulta, & extra Bullam Cœnæ.

Alias non poteſt.

Ratio quoad cenſuram latam per ſententiam particularem eſt, quia ex *can. verbum, de pœnit. diſt.* 1. ejus eſt ſolvere, cujus eſt ligare: quoad reſervatam non Papæ; quia ita habetur *in cap. nuper, de ſent. excomm.* quoad exceptio-

nem facultatis impeditæ; quia tunc non poteſt exire in actum. Quo vero ad cenſuram latam per ſententiam generalem; quia cum tunc ſit tamquam lata a jure, quando non eſt reſervata, non læditur juriſdictio ferentis; & quando eſt reſervata Papæ, ſi eſt occulta, tunc abſolvendi facultas conceditur Epiſcopis a *Conc. Trident ſeſſ.* 24. *c.* 6. quæ tamen fuit ſublata pro cenſuris Bullæ Cœnæ, ut patet ex nova ejuſdem Bullæ impreſſione, ubi dicitur neminem poſſe abſolvere ex cujuſvis Concilii decreto.

Unde reſolvitur.

Si cenſura fuit lata ab Epiſcopo contra determinatam perſonam, quamvis non ſit reſervata, non poteſt ab ea abſolvere niſi ipſe Epiſcopus, aut ejus Vicarius Generalis utpote faciens unum Tribunal, vel ejus ſucceſſor in officio, qualis eſt etiam Vicarius Capitularis Sede vacante, *cap.* 1. *de majorit. & obedient. in* 6. vel delegatus ſpecialiter ab Epiſcopo, vel ejus Superior, qualis eſt Summus Pontifex ſemper, & Archiepiſcopus ſolum tempore viſitationis, ex *cap. cum ex officii, de præſcript.* aut in cauſſa appellationis, ex *cap. Venerabilibus, de ſent. excomm. in* 6. (quod idem dicendum eſt de Patriarcha reſpectu Archiepiſcopi, ac de Legato reſpectu inferiorum) etiamſi alter ex Jubilæo, vel alio privilegio Papali habeat facultatem ampliſſimam, quia talis cenſura eſt lata per ſententiam particularem. Idem dicendum eſt, ſi Epiſcopus cenſuram tulit per modum ſtatuti contra quoſcumque in genere, ſed eam ſibi reſervavit; quia licet tunc ſit lata per ſententiam generalem, eſt tamen reſervata. *Bonac. de cenſur. diſp.* 1. *q.* 3. *punct.* 1. *n.* 6. & 11.

Si Cenſura eſt lata ab Epiſcopo contra percuſſores Clerici, vel contra incendiarios a ſe denunciatos excommunicatos, ab ea non poteſt lator abſolvere, ut diſponitur *in cap. tua nos, de ſent. excom.* & ſi cenſura eſt lata a delegato Papæ per excommunicationis ſententiam definitivam, ab ipſa non poteſt lator abſolvere poſt annum, ut diſponitur *in cap. quærenti, de offic. deleg.* & ſi eſt a quocumque alio lata excommuni-

ni-

nicatio, quam Papa ſpecialiter, ex certa ſcientia confirmavit, ab ipſa non poteſt lator abſolvere; ut diſponitur *in cap. ex frequentibus, de inſtitut.* quia in his caſibus per reſervationem factam a Pontifice, latoris facultas eſt impedita. Idem dicendum eſt ſi cenſuræ lator, ejuſque ſucceſſor, delegatus, vel ſuperior evadit excommunicatus, vel ſuſpenſus vitandus; quia tunc ejus facultas per cenſuram contractam eſt impedita. *Caſtropal. de cenſur. diſput.* 1. *punct.* 11. §. 4. *n.* 4.

Si Cenſura eſt lata a jure ſine ulla reſervatione etiamſi incurratur ob delictum publicum, poteſt ab ea abſolvere in foro interno etiam ſimplex Confeſſarius; quia eſt lata per ſententiam generalem, nec eſt reſervata. Idem dicendum eſt, ſi abſque reſervatione ſit lata ab homine per modum ſtatuti contra quoſcumque; quia adhuc eſt lata per ſententiam generalem, nec eſt reſervata. *Caſtrop. loco cit.* §. 4. *n.* 10. & §. 5. *n.* 1.

Si Cenſura lata a jure eſt reſervata Papæ, & incurritur ob delictum occultum, non poteſt ab ea abſolvere Vicarius Generalis Epiſcopi quamvis faciat unum Tribunal cum ipſo; quia hanc facultatem, quæ utpote delegata non poteſt alteri ſubdelegari, habet ſolus Epiſcopus. E contra ab ea non poteſt abſolvere neque ipſe Epiſcopus, quando incurrit ob delictum publicum; quia tunc non eſt occulta (quod verum eſt etiamſi Pontifex non poſſit adiri cum tunc poſſit mitti epiſtola) neque quando incurritur ob delictum occultum, quod continetur in Bulla Cœnæ; quia facultas a Concilio Epiſcopis conceſſa in caſibus occultis, eſt a Summo Pontifice reſtricta ad caſus extra Bullam Cœnæ. *Bonac. loco cit. punct.* 2. *n.* 1. *Ex Juribus ſupracitatis.*

§. III. *De Abſolutionis ſubjecto.*

Subjectum abſolutiois a cenſura eſt Homo ſubditus, unde patet neminem poſſe abſolvere ſe ipſum utpote ſibi non ſubditum, licet poſſit concedere facultatem inferiori, a quo abſolvatur, cum tunc evadat ei ſubditus; defunctus autem, quamvis poteſtati Eccleſiaſticæ non ſit amplius ſubditus utpote non exiſtens ſuper terram, ſi

tamen non conſtet deceſſiſſe impœnitentem, adhuc poteſt a quacumque cenſura etiam Papæ reſervata (cum in morte omnis reſervatio ceſſet) abſolvi indirecte, ideſt concedendo vivis, ut pro ipſo offerant ſuffragia, non tamen ab alio, quam ab habente juriſdictionem in foro externo. Cum igitur abſolvendus debeat eſſe ſubditus, poſſitque contingere, ut abſolvatur a cenſura involuntarie, aut coacte; difficultas tunc eſt, an, & quando remaneat abſolutus, vel non. Pro quo hæc traditur diſtinctio:

Si ligatus cenſura abſolvitur involuntarie, aut coacte ex parte abſolventis, non remanet abſolutus unquam.

Si abſolvitur involuntarie, vel coacte ex parte ſui, coacte remanet abſolutus ſemper: involuntarie vero, quoties facultas eſt in favorem abſolventis.

Alias ſecus.

Ratio quoad abſolutionem ex parte abſolventis eſt; quia quando hæc eſt involuntaria non cenſetur data, ut declaratur *in cap. officii, de ſentent. excom.* quando vero eſt coacta, licet ſit voluntaria; irritatur tamen a jure, ut patet ex *cap. abſolutionis, tit. de his quæ vi, metuve in* 6. Quo vero ad abſolutionem ex parte abſoluti, quia quando hæc eſt in ipſo coacta, non tollit facultatem abſolventis: quando autem eſt involuntaria; eatenus facultatem tollit, quatenus eſt in favorem abſoluti, utpote habentis jus utendi privilegio quando vult.

Unde reſolvitur.

Si quis ligatus cenſura abſolvitur per dolum, vel errorem, quo cognito abſolvens non abſolveret, non remanet abſolutus; quia tunc ex parte abſolventis abſolvitur involuntarie. Idem dicendum eſt, ſi abſolvatur per vim, & metum gravem ab ipſo, vel ab alio ad extorquendam abſolutionem incuſſum; quia licet tunc ex parte abſolventis abſolvatur voluntarie; abſolvitur tamen coacte. *Bonac. de cenſur. diſ.* 1. *quæſt.* 3. *punct.* 8. *num.* 2. & 4.

Si quis ligatus cenſura cogitur per vim & metum ad petendam abſolutionem, ea obtenta remanet abſolutus: quia tunc non ex parte abſolven-

ventis; ſed ex parte ſui abſolvitur coacte. Idem dicendum eſt, etiamſi facultas ſit abſolventi conceſſa in favorem ſolius abſoluti; quia adhuc non ex parte abſolventis, ſed ſolum ex parte ſui abſolvitur coacte. *Filliuc. tract.* 11. *num.* 135.

Si quis ligatus cenſura non ſolum abſens, vel ignarus, ſed poſitive reluctans abſolvitur ab habente juriſdictionem ex officio, remanet abſolutus; quia licet ex parte ſui abſolvatur involuntarie; facultas tamen eſt in favorem abſolventis. E contra non remanet abſolutus, ſi ignarus, vel nolens abſolvitur ab habente juriſdictionem ex Jubilæo, vel ex Bulla Cruciatæ; quia tunc facultas eſt in favorem abſoluti, non vero abſolventis. *Suarez de cenſur. diſp* 7. *ſect.* 7. *& Diana part.* 5. *tract.* 9. *reſol.* 10.

TRACTATUS II.

De Excommunicatione.

PRima ſpecies cenſuræ eſt excommunicatio, qua Homo privatur communione fidelium, diciturque anathema quando fertur ſollemniter, & de hac loquitur Apoſtolus 1. *Cor.* 5. *&* 1. *Tim.* 1. quæ cum diverſimode communicationem tollat; de ejus differentiis, effectibus, violatione, cauſſiſque excuſantibus in hoc Tractatu agetur.

CAPUT PRIMUM.

De Excommunicationis differentiis.

EXcommunicatio, quæ *eſt Cenſura privans baptizatum communione fidelium*, alia eſt major, alia eſt minor: minor eſt quæ contrahitur ob communicationem cum excommunicato vitando, & hæc ſolum privat participatione paſſiva Sacramentorum, & electione paſſiva ad beneficia, a quibus ſic excommunicatus tenetur abſtinere ſub mortali, quamvis ob peccatum veniale hanc minorem excommunicationem contraxerit; omnis alia eſt major; quæ cum proprie dicatur excommunicatio, ipſa ſolum intelligitur quando abſolute nominatur. Excommunicatus hac excommunicatione majori alius eſt toleratus, alius vitandus: vitandus eſt qui nominatim eſt denunciatus per cedulones, vel eſt percuſſor Clerici notorius: omnis alius eſt toleratus, ut patet ex

Con-

Conſtitutione incipiente -- *Ad vitanda ſcandala* -- quæ licet reperiatur repetita in ſolo *Conciliabulo Baſileenſi ſeſſ.* 20. teſte tamen *D. Antonino in Sum. part.* 3. *tit.* 25. *cap.* 3. fuit lata *a Martino V. in Concilio Conſtantienſi*, juxta quod eſt in praxi communiter recepta. Cum igitur tam vitandus, quam toleratus ſit vere excommunicatus, ideoque reſpectu ſui nulla adſit differentia; difficultas eſt reſpectu aliorum, an, & quando debeat a ſe, & ab aliis haberi pro excommunicato, vel non. Pro quo hæc traditur diſtinctio:

Si excommunicatus eſt vitandus, debet pro excommunicato haberi a ſe, & ab aliis.

Si eſt toleratus, debet pro excommunicato haberi a ſe ſolum, quoties non eſt requiſitus.

Ratio eſt; quia quando excommunicatus eſt vitandus, ita diſponitur in *Can. nihil, & in Can. excommunicatus* 11. *q.* 3. Quando vero eſt toleratus, cum toleratio ſit inducta tantummodo in favorem aliorum, eatenus excommunicatus debet pro tali ſe gerere, quatenus non præjudicat aliis, qui volunt communicare cum ipſo.

Unde reſolvitur.

Si quis fuit nominatim denunciatus excommunicatus per cedulones in publico loco affixos; vel fuit percuſſor Clerici notorius notorietate facti, ideſt coram pluribus; nec ipſe poteſt communicare cum aliis, neque alii cum ipſo; quia cum ſit vitandus, debet pro excommunicato haberi a ſe, & ab aliis. Idem dicendum eſt etiamſi ipſe ſe non ingerat, ſed requiratur ab aliis, vel alii ſe non ingerant, ſed requirantur ab ipſo; quia cum adhuc ſit vitandus, per hoc non tollitur, quin pro excommunicato debeat haberi a ſe, & ab aliis. *Filliuc. tract.* 13. *n.* 52. & 53.

Si quis fuit excommunicatus etiam per ſententiam Judicis, ſed non fuit denuntiatus nominatim, aut non per cedulones in publico loco affixos, vel fuit percuſſor Clerici, ſed non notorius, aut notorius ſola notorietate juris, per ejus non poſſit communicare cum aliis, alii tamen poſſunt communicare cum ipſo; quia cum ſit toleratus, debet pro excommunicato haberi a ſe ſolum. E contra etiam ipſe poteſt communicare cum aliis. ſi

ſi hi cum eo communicare exigant ; quia tunc eſt requiſitus. *Leander de excommun. tract. 2. diſp. 2. quæſt.* 14. & 15. *De his agit D. Antonin. in Sum. part.* 3. *tit.* 25. *cap.* 2. §. 2. *Vide Bonac. de excom. diſp.* 2. *quæſt.* 2. *punct.* 1. §. 1. *num.* 2.

CAPUT II.

De Excommunicationis effectibus.

EXcommunicationis effectus eſt privatio eorum, in quibus fideles tamquam Eccleſiæ membra ſub uno capite Chriſto inter ſe communicant, & cum hæc ſint quinque, ſcilicet Suffragia, Sacramenta, Sacra, Forenſia, & Civilia; ut de ſingulorum privatione diſtinctim agatur, ſit.

§. I. *De Privatione ſuffragiorum.*

Prima Communicatio, quam habent inter ſe fideles, eſt in ſuffragiis, quæ proveniunt ex ſacrificiis, & orationibus communibus, & his privatur excommunicatus tamquam a corpore Eccleſiæ reciſus, ut patet *ex cap. Sacris, & ex cap. a nobis* 2. *de ſentent. excomm.* quod verum eſt etiamſi ſit toleratus; cum Conſtitutio Concilii Conſtantienſis ei tantummodo ſuffragetur quoad communicationem externam, ideoque ſicuti excommunicatus non poteſt talia ſuffragia recipere; ita alter ſub pœna gravis peccati & excommunicationis minoris, non poteſt, excepto Paraſceves die, ea ipſi applicare: immo in caſu, quo Sacerdos publice oret pro excommunicato a Papa, incurrit etiam excommunicationem majorem Papæ reſervatam, ut diſponitur *in cap. ſignificavit, de ſentent. excom.* Sed quia excommunicatus etiam vitandus non omnibus ſuffragiis privatur, nec ſemper; ad dignoſcendum quibuſnam, & quando privetur, vel non; hæc traditur diſtinctio:

Si ſuffragia fiunt a ſolis Laicis, excommunicatus eis non privatur unquam.

Si fiunt a Clericis, excommunicatus eis privatus, quoties fiunt nomine Eccleſiæ.

Alias

Alias non privatur.

Ratio eſt; quia cum hæc privatio proveniat ab Eccleſia, quæ non poteſt diſponere niſi de propriis; ſuffragia, quæ fiunt a ſolis Laicis utpote ipſam non repræſentantibus, non cenſentur propria. Quæ vero fiunt a Clericis, eatenus cenſentur propria, quatenus hi nomine ejus agentes repræſentant Eccleſiam.

Unde reſolvitur.

Si Laici ſine ullo Eccleſiæ Miniſtro proceſſiones faciunt, vel officium communiter recitant, vel alias preces ab Eccleſia præſcriptas publice decantant, excommunicatus etiam vitandus, dummodò exiſtat ingratia, eorum fructu non privatur; quia talia ſuffragia fiunt a ſolis Laicis. E contra ipſo privatur excommunicatus etiam toleratus, ſi Laicis ita orantibus præſit aliquis Clericus tamquam miniſter Eccleſiæ; quia tunc ſuffragia non fiunt a ſolis Laicis. *Leander de excom. tract.* 2. *diſp.* 3. *quæſt.* 1.

Si Clerici exercent functiones ſacras, excommunicatus etiam toleratus, & in gratia exiſtens earum fructu privatur; quia talia ſuffragia fiunt a Clericis nomine Eccleſiæ. E contra etiam vitandus ipſo non privatur, ſi Clerici orent tamquam perſonæ privatæ; quia licet tunc ſuffragia fiant a Clericis; non tamen fiunt nomine Eccleſiæ. *Leander loco cit. quæſt.* 3. & 4.

Si Celebrans applicat vocaliter excommunicato valorem ſacrificii provenientem ex parte Chriſti, aut ex parte operantis; vel etiam ipſi applicat mentaliter valorem provenientem ex parte Eccleſiæ, ſemper eo privatûr; quia in utroque caſu applicatio fit nomine Eccleſiæ. E contra eo non privatur, ſi applicet ſolum mentaliter valorem provenientem ex parte Chriſti, vel ex parte operantis; quia tunc applicatio non fit nomine Eccleſiæ. *Leander loco cit. q.* 15. & 16.

Si Pontifex concedit Indulgentias, excommunicatus etiam toleratus quamvis faciat opera præſcri-

ſcripta, adhuc eas non adquirit; quia Indulgentiæ utpote pertinentes ad theſaurum Eccleſiæ dantur nomine Eccleſiæ. E contra non privatur fructu bonorum operum, quæ adquirendis Indulgentiis adnectuntur; quia talia opera utpote privata non fiunt nomine Eccleſiæ. *Bonac. de excomm. diſp. 2. quæſt. 2. punct. 1. §. 3. num. 9.*

§. II. *De Privatione Sacramentorum.*

Secunda communicatio, quam habent inter ſe fideles, eſt in Sacramentis, quæ alter ab altero recipit, vel alteri miniſtrat, vel ab altero ſibi miniſtrantur, & his tam recipiendis, quam miniſtrandis privatur excommunicatus, ut de receptione patet ex *cap. cum illorum, de ſentent. excomm.* de miniſtratione activa ex *cap. latores, & ex cap. ſi celebr. de Cler. excom. miniſtr.* ac de miniſtratione paſſiva ex *cap. Epiſcoporum, de Privileg. in* 6. Si ſecus fiat, Sacramenta quamvis illicita ſub pœnis, de quibus agetur *cap ſequenti*; non ſunt tamen invalida (excepta pœnitentia adminiſtrata a vitando ob defectum juriſdictionis, vel recepta ſcienter etiam a tolerato ob defectum diſpoſitionis.) Sed quia non quilibet excommunicatus, nec ſemper Sacramentorum receptione, & miniſtratione privatur; ad dignoſcendum quinam, & quando privetur, vel non; hæc traditur diſtinctio:

Si excommunicatus eſt vitandus, privatur Sacramentorum receptione, & miniſtratione activa, ac paſſiva, quoties non urget neceſſitas gravis.

Si eſt toleratus, privatur receptione, quoties non urget neceſſitas gravis: miniſtratione activa, quoties non eſt requiſitus; miniſtratione paſſiva, quoties non conſtat petere indigne.

Alias non privatur.

Ratio eſt; quia quando excommunicatus eſt vitendus, prohibitio Eccleſiæ afficit tam ipſum, quam alios, & cum non obliget cum tanto incommodo, cenſetur in neceſſitate gravi relaxare præceptum. Quando vero eſt toleratus, cum prohibitio Eccleſiæ afficiat ipſum ſolum citra aliorum præjudicium; in receptione utpote favorabili ſibi debet ſe gerere tamquam vitandum; in miniſtratione activa utpote favorabili aliis debet ab ipſis requiri; in miniſtratione autem paſſiva utpote non reſ-

reſpiciente excommunicatum, ſed alios, quamvis ipſi non prohibeantur ab Eccleſia, ſi tamen cognoſcant indignitatem petentis, prohibentur ex præcepto divino.

Unde reſolvitur.

Si quis fuit denunciatus excommunicatus nominatim per cedulones, vel fuit publicus Clerici percuſſor, quamvis reſipuerit, ac parti ſatisfecerit, & inſtet obligatio præcepti adimplendi, non poteſt ullum Sacramentum recipere, aut alteri miniſtrare, nec alter poteſt ei miniſtrare, aut ab eo recipere; quia eſt vitandus. Secus autem ſi ſibi, vel alteri immineat periculum mortis, vel inde timeat infamiam, ſcandalum, vel aliud malum notabile (dummodo non cedat in contemptum Religionis, aut poteſtatis Eccleſiaſticæ, cum tunc concurrat præceptum divinum); quia licet ſit vitandus; urget tamen neceſſitas gravis. *Caſtrop. de cenſur. diſp.* 2. *punct.* 8. *num.* 4.

Si quis excommunicatus non fuit denunciatus, vel non fuit percuſſor Clerici publicus, quamvis exiſtat in gratia, non poteſt ullum Sacramentum recipere ob adimplendum præceptum, vel ob vitandum murmur, aut admirationem in Populo; quia licet ſit toleratus, cum tamen in receptione ſe debeat gerere tamquam vitandum, non urget neceſſitas gravis. Secus vero ſi alias ſibi immineat infamia, ſcandalum, vel aliud malum notabile; quia tunc urget neceſſitas gravis: *Suarez de excomm. diſp.* 10. *ſect.* 1. *num.* 3. & 4.

Si quis eſt excommunicatus toleratus, quamvis alter poſſit ab eo Sacramenta recipere (dummodo adſit cauſſa juſta, ne alias ejus peccato cooperetur) ipſe tamen non poteſt alteri miniſtrare, ſe ſponte ingerendo; quia tunc non eſt requiſitus. Secus vero ſi ſe non ingerat, ut ſi teneatur ex officio, & alter petat etiam extra neceſſitatem; quia tunc eſt requiſitus. *Suarez de excom. diſp* 11. *ſect.* 4. *n.* 7. & 10.

Si quis ſcit alterum eſſe excommunicatum toleratum, non poteſt extra neceſſitatem gravem ei Sacramenta miniſtrare, quamvis ſupponat ipſum eſſe in gratia; quia cum petat in excommunicatione, conſtat ipſum petere indigne. Secus

cus autem ſi inſtet gravis neceſſitas, & putet ipſum eſſe in gratia; quia tunc non conſtat ipſum petere indigne. *Suarez de excommun. diſp.* 20. *ſect.* 2. *num.* 12. & 13.

§. III. *De privatione Sacrorum.*

Tertia communicatio, quam habent inter ſe fideles, eſt in rebus ſacris, quarum nomine intelliguntur divina officia, beneficia, ſepultura Eccleſiaſtica, ac ſimilia, quæ fiunt in Eccleſia, & his omnibus privatur excommunicatus, ut de divinis officiis patet *ex cap. reſponſo de ſentent. excom.* & *ex cap. Epiſcoporum de privileg. in* 6. de beneficiis *ex cap. paſtoralis*, §. *Verum de appellat.* de ſepultura vero Eccleſiaſtica *ex cap. ſacris, de ſepult.* quoad ſolum vitandum. Si ſecus fiat, peccatur graviter ſub pœnis, de quibus agetur *cap. ſequenti*, niſi vitandus excuſetur a neceſſitate gravi, & toleratus ſe non ingerat, ſed ſit requiſitus juxta dicta §. *præcedenti*. Sed quia etiam extra caſus prædictos excommunicatus non ita afficitur hac prohibitione Eccleſiæ, ut ſemper tam ipſe, quam alii cum ipſo debeant a ſacris abſtinere; ad dignoſcendum quandonam ipſe, aut alii cum ipſo iis priventur, vel non; hæc traditur diſtinctio:

Si excommunicatus eſt vitandus, privatur ſacris ipſe, & alii cum ipſo.

Si eſt toleratus, privatur ipſe, ſed non alii cum ipſo, quoties actus communicationem important. Alias non privatur.

Ratio eſt; quia cum excommunicatio excludat ſolam communicationem, quæ excommunicato prohibetur ſemper, aliis vero, quoties ipſe eſt vitandus juxta *conſtitutionem Concil. Conſtant.* eatenus urget prohibitio Eccleſiæ, quatenus in ſacris actus, qui fiunt, communicationem important.

Unde reſolvitur.

Si quis eſt excommunicatus, non poteſt Miſſæ, vel aliis Officiis divinis aſſiſtere, & ſi eſt vitandus, neque alii poſſunt aſſiſtere cum ipſo, ideoque ſi ejici non poſſit, debent miniſtri Eccleſiæ deſiſtere (niſi in Miſſa ſit facta conſecratio ob integritatem ſacrificii tamquam de jure divino;) quia actus aſſiſtendi communicationem importat.

Secus

Secus autem, ſi excommunicatus ſolum tranſeat per Eccleſiam, vel etiam ibi oret privatim, dummodo in loco ſeparato ab aliis, qui divinis officiis aſſiſtunt; quia hi, & ſimiles actus utpote privati, nec conjuncti cum ceteris communicationem non important. *Ex Clem. Gravis, de ſent. excom. ubi Gloſſa.*

Si quis eſt excommunicatus, non poteſt publice recitare cum aliis horas canonicas; & ſi eſt vitandus, neque alii poſſunt cum ipſo; quia talis recitatio communicationem importat. Idem dicendum eſt ſi in recitatione privata, ad quam ſemper tenetur (etiamſi obligatio proveniat ex ſolo beneficio, cujus fructibus ſit privatus) adhibeat ſocium, vel dicat -- *Dominus vobiſcum* -- (quamvis parvitate materiæ excuſetur a mortali); quia concomitantia ſocii, vel ſalutatio communicationem importat. *Ex Can. excommunicatos 11. q. 3.*

Si quis eſt excommunicatus, non poteſt Concionem, vel ſcripturæ lectionem habere; & ſi eſt vitandus, neque alii poſſunt ex eo audire; quia cum locutio referatur ad audientes, & auditio ad loquentem, communicationem importat. E contra etiam vitandus poteſt concioni, ac lectioni intereſſe, & alii poſſunt cum ipſo; quia cum unuſquiſque ex audientibus ſeorſim audiat, talis auditio communicationem non importat. *Ex cap. reſponſo de ſent. excomm.*

Si quis eſt excommunicatus, non poteſt beneficium, aut officium Eccleſiaſticum tempore excommunicationis collatum recipere; & ſi eſt vitandus, neque alter poteſt illud ei conferre; quia tunc receptio, & collatio utpote relata ad tempus, quo erat ligatus cenſura, communicationem importat. E contra poteſt illud recipere, ſi excommunicetur poſt collationem; quia tunc receptio utpote relata ad tempus, quo non erat ligatus cenſura, communicationem non importat. *Ex cap. poſtulaſtis de Cler. excom. miniſtr.*

Si quis deceſſit excommunicatus vitandus, non poteſt ſepeliri in loco ſacro, & ſi vi ſepeliatur, debent miniſtri Eccleſiæ a divinis officiis deſiſtere; quia talis ſepultura utpote ordinata ad Eccleſiæ ſuffragia, communicationem importat.

Si-

Similiter ſi ſepelitur in loco profano, non poſſunt ſepelientes deferre crucem, non recitare pſalmos, neque alia præſtare juxta morem Eccleſiæ; quia tales utpote ordinati ad ſuffragium, ac obſequium publicum, communicationem important. *Ex cap. ſacris, & ex Clem. 1. de ſepult. Vide Anton. a Spir. Sanct. in direct. Confeſſ. tr. 12. diſp. 2. ſect. 6.*

§. IV. *De privatione forenſium.*

Quarta communicatio, quam habent inter ſe fideles, eſt in rebus forenſibus, quarum nomine intelliguntur actus judiciales, contractus, & ſimilia, quæ ad forum externum, vel internum pertinent, & his omnibus privatur excommunicatus, ut patet ex *cap. decernimus, de ſent. excomm. in* 6. & ex aliis Teſtibus infra citandis. Sed quia hæc privatio utpote diverſimode ſe habens reſpectu vitandi, ac tolerati aliquos actus forenſes ſolum prohibet, & aliquos etiam irritat, ſed non ſemper; ad dignoſcendum quoſnam actus forenſes excommunicatus exerceat invalide, & quos illicite, vel non; hæc traditur diſtinctio:

Si excommunicatus eſt vitandus, actus juriſdictionis exercet invalide, alios forenſes ſolum illicite.

Si eſt toleratus exercet valide omnes, licite autem, quoties ſe non ingerit.

Alias ſecus.

Ratio quoad vitandum eſt; quia in ipſo ſoli actus juriſdictionis irritantur a jure, ut patet ex *cap. ad probandum, de ſent. & re judic. & ex cap. Romana, de offic. Vicar. in* 6. Quo vero ad toleratum; quia in ipſo nulli actus irritantur, ſed eatenus prohibentur, quatenus in favorem aliorum non cedunt; ut diſponitur in *Conſtitut. Concil. Conſtant.* quæ incipit -- *Ad vitandum ſcandala.*

Unde reſolvitur.

Si excommunicatus vitandus fert ſententias, aut leges, vel abſolvit a peccatis, aut pœnis, vel concedit Indulgentias, vel confert beneficia, vel eligit ad Prælaturas (excepta electione Summi Pontificis *ex Clement. ne Romani, §. Ceterum, de elect.*) vel delegat alteri ſuam juriſdictionem; hæc & ſimilia non ſolum illicite, ſed etiam invalide exercet; quia ſunt actus juriſdictio-

ctionis. E contra ſi delegans evadit poſt delegationem excommunicatus vitandus, ejus delegatus licite, & valide exercet juriſdictionem in foro interno ſemper, & in foro externo, quoties res non eſt integra, *ex cap. relatum*, *ex cap. gratum*, *& ex cap licet*, *de offic. deleg.* quia tunc non deleganti excommunicato, ſed ſolum delegato tribuntur illi actus juriſdictionis. *Ant. a Spir. Sanct. de excomm. tract.* 12. *diſp.* 2. *ſect.* 8.

Si excommunicatus vitandus aſſiſtit matrimonio, vel conficit inſtrumenta, aliaſque ſcripturas, vel in judicio eſt actor, teſtis, aut procurator, vel præſentat ad beneficium uti patronus, vel heredem inſtituit (excepto teſtatore excommunicato propter hæreſim, vel percuſſionem Cardinalium *ex cap. felicis*, *de pœnis in* 6.) vel quoſcumque valide exercet; quia non ſunt actus juriſdictionis. Idem dicendum eſt ſi concedat alteri licentiam ad conferendam extremam unctionem, vel ad aſſiſtendum matrimonio (quod in caſu neceſſitatis etiam facit licite); quia talis conceſſio utpote de re non ſupponente juriſdictionem, quamvis forenſis, non eſt tamen juriſdictionis. *Bonac. de excom. diſp.* 2. *q.* 2. *punct.* 5. *n.* 1. *&* 2.

Si excommunicatus toleratus requiſitus ab aliis exercet quoſcumque actus forenſes etiam juriſdictionis in foro tam externo, quam interno, non ſolum valide, ſed etiam licite exercet; quia tunc ſe non ingerit. E contra valide, ſed illicite eos exercet, ſi ab aliis non ſit requiſitus; quia tunc ſe ingerit. *Ant. a Spir. Sanct. loc. cit. n.* 364. *Ex Juribus ſupra citatis*.

§. V. *De privatione Civilium*.

Quinta communicatio, quam habent inter ſe fideles, eſt in rebus civilibus, quarum nomine intelliguntur omnes actiones ad humanam converſationem ſpectantes, ut cohabitatio, menſa, allocutio, ſalutatio, ac ſimilia, & his omnibus privatur excommunicatus, ut patet *ex cap nuper*, *ex cap. ſi aliquando*, *de ſent. excom. & ex can. excommunicatos* 11. *q.* 3. Sed quia hæc communicatio in civilibus ad differentiam communicationis in ſacris non ſemper excommunicato etiam vitando eſt illicita ſub gravi; ad dignoſcendum quandonam tam ipſi cum aliis, quam aliis cum ipſo, ſit

ſit ſub gravi, aut levi illicita, vel non; hæc traditur diſtinctio:

Si excommunicatus eſt vitandus, communicatio in civilibus eſt ipſi, & aliis illicita ſub gravi, quoties eſt frequens.

Si eſt toleratus, eſt ipſi ſolum illicita ſub levi, quoties ſe ingerit.

Alias eſt licita.

Ratio quoad vitandum eſt; quia prohibitio Eccleſiæ afficit tam ipſum, quam alios, & niſi ex infrequentia adſit parvitas materiæ, obligatio eſt ſub gravi. Quo vero ad toleratum; quia tunc prohibitio Eccleſiæ afficit ſolum excommunicatum, & communicatio in civilibus cenſetur materia levis ſtante toleratione, quæ cum ſit inducta in favorem aliorum, ſi ipſi ſunt primi ad communicandum cum tolerato, ne favor rei torqueatur in odium; etiam toleratus poteſt communicare cum ipſis.

Unde reſolvitur.

Si excommunicatus vitandus ſæpe ſæpius in civilibus communicat cum aliis, & alii cum ipſo, peccant graviter; quia communicatio eſt frequens. E contra peccant leviter, ſi ſolum communicent aliquoties; quia tunc communicatio non eſt frequens. *Suarez de excommun. diſp.* 15. *ſect.* 2. *n.* 4. & 11.

Si excommunicatus toleratus non requiſitus nec ulla urgente neceſſitate cum aliis frequenter communicat in civilibus (quamvis alii etiam hoc ſciente nullo modo peccent) ipſe tamen peccat leviter; quia tunc ſe ingerit. E contra neque ipſe ullo modo peccat, ſi ſit requiſitus, vel aliqua urgeat neceſſitas; quia tunc ſe non ingerit. *Anton. a Spir. Sanct. de excom. diſp.* 2. *ſect.* 10. *n.* 400. *De his agit D. Thom. in* 4. *diſt.* 18. *q.* 2. *art.* 4. *quæſtiuncula* 3.

CAPUT III.

De excommunicationis violatione.

EXcommunicatio violatur, quoties exercetur aliqua ex illis actionibus, quæ juxta ſuperius dicta prohibentur excommunicato, ne communicet cum aliis, vel aliis, ne communicent cum ipſo, & per quamcumque peccatur graviter, niſi excuſet parvitas materiæ, quæ magis ſtricte ſumenda eſt quando communicatur in divinis, ac quando communicatur in humanis. Præter pecca-

tum, quod ſemper committitur, niſi excuſet cauſſa juſta, ut dicetur *cap. ſequenti*, aliquando incurruntur etiam pœnæ, quæ in jure ſtatutæ ſunt contra alios, quoties communicant cum excommunicato, & contra ipſum excommunicatum, quoties cum aliis communicat in Sacramentis, vel in aliquibus ſacris. Ut igitur de ſingulis diſtinctim agatur, ſit.

§. I. *De pœnis communicantium cum excommunicato.*

Communicatio cum excommunicato poteſt dupliciter contingere, vel exercendo erga ipſum actiones vetitas ratione excommunicationis, & tunc dicitur ſimplex communicatio, vel cooperando ipſius crimini, aut perſeverantiæ in illa, & tunc dicitur communicatio in crimine criminoſo. Contra communicantes ſimpliciter cum excommunicato ſtatuta eſt pœna excommunicationis minoris, & contra communicantes cum ipſo in crimine criminoſo ſtatuta eſt pœna excommunicationis majoris, non tamen reſervatæ. Sed quia utraque hæc pœna non ſemper incurritur; ad dignoſcendum quando incurratur, vel non; hæc traditur diſtinctio:

Si cum excommunicato communicatur ſimpliciter, incurritur excommunicatio minor, quoties eſt vitandus.

Si cum ipſo communicatur in crimine criminoſo, incurritur excommunicatio major, quoties eſt denunciatus.

Alias non incurritur.

Ratio quoad excommunicationem minorem ob ſimplicem communicationem cum vitando eſt; quia ita habetur *in cap. ſtatuimus, de ſent. excom. in* 6. Quo vero ad excommunicationem majorem ob communicationem in crimine criminoſo cum denunciato; quia ita diſponitur *in cap. nuper, de ſent. excom.*

Unde reſolvitur.

Qui in quacumque actione etiam leviter culpabili communicat cum publico Clerici percuſſore, vel cum nominatim denunciato, incurrit excommunicationem minorem; quia communicat ſimpliciter cum vitando. Secus vero ſi in actione etiam graviter culpabili communicet cum alio ex-

excommunicato; quia tunc non communicat cum vitando. *Ex Conſtit. Concil. Conſt. ad vitandum.*

Qui cooperatur crimini, ob quod alter fuit denunciatus excommunicatus, vel ejuſdem contumaciæ, ne obediat Eccleſiæ, incurrit excommunicationem majorem; quia communicat in crimine criminoſo cum denunciato. Secus vero ſi ante denunciationem communicet in crimine criminoſo cum publico percuſſore Clerici; quia licet tunc communicet cum vitando; non tamen communicat cum denunciato. *Ex cit. cap. nuper verb. nominatim excom. Vide Bonacin. de excom. diſp. 2. q. 2. punct. 6. §. 1.*

§. II. *De pœnis excommunicati, & aliorum communicantium in Sacramentis.*

Communicatio inter excommunicatum, & alios in Sacramentis poteſt tripliciter contingere; primo ſi excommunicatus Sacramenta miniſtrat, vel recipit: ſecundo ſi alter Sacramenta excommunicato miniſtrat: tertio ſi alter Sacramenta ab excommunicato recipit. Quando excommunicatus eſt vitandus; certum eſt tam ipſum, quam alios ſemper peccare graviter, niſi urgeat gravis neceſſitas: quando vero eſt toleratus eatenus tam ipſe, quam alii peccant graviter, quatenus non excuſantur a cauſſa juſta. Præter excommunicationem minorem juxta ſuperius dicta ſtatutæ ſunt in jure contra excommunicatum, alioſque cum ipſo communicantes in Sacramentis aliæ pœnæ, quæ cum ſint diverſæ, nec ſemper incurruntur; ad dignoſcendum quænam ſint, & quandonam tam excommunicatus, quam alii eas incurrant, vel non; hæc traditur diſtinctio:

Si excommunicatus Sacramenta miniſtrat, vel recipit in ſolo ordine incurrit irregularitatem, quoties ſollemniter miniſtrat in ſimoniace ſuſcepto, vel in ſacro, & ſuſpenſionem, quoties recipit quemcumque etiamſi ſit toleratus.

Si alter Sacramenta excommunicato miniſtrat, in omnibus incurrit interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ, quoties eſt vitandus, & excommunicationem Papæ reſervatam, quoties eſt denunciatus a Papa.

Si alter Sacramenta ab excommunicato recipit,

in ſolo ordine incurrit ſuſpenſionem, quoties eſt vitandus.

Alias ſecus.

Ratio quoad excommunicatum etiam toleratum Sacramenta miniſtrantem, vel recipientem eſt; quia in ſolo ordine ſtatutæ ſunt pœnæ in jure, ut de irregularitate contra miniſtrantem ſollemniter in ſimoniace ſuſcepto conſtat ex *Bulla* 91. *Sixti V.* quæ incipit -- Sanctum -- §. 3. & in ſacro conſtat ex *cap. cum æterni, de ſent. & re judic. in* 6. & de ſuſpenſione contra recipientem etiam non ſacrum conſtat ex *cap. cum illorum de ſentent. excomm.* Quoad alterum ſacramenta excommunicato miniſtrantem; quia in omnibus ſtatutæ ſunt pœnæ in jure, ut de interdicto ab ingreſſu Eccleſiæ contra miniſtrantem vitando conſtat ex *cap. Epiſcoporum, de privileg. in* 6. & de excommunicatione Papæ reſervata contra miniſtrantem denunciato a Papa, conſtat ex *cap. ſignificavit, de ſentent. excommunicicat.* Quo vero ad alterum Sacramenta a vitando recipientem; quia in ſolo ordine lata eſt irritatio a jure, ut conſtat ex *can. quod ordinatio, & ſequentibus* 9. *q.* 1. quæ cum non poſſit intelligi de invaliditate; communiter intelligitur de ſuſpenſione.

Unde reſolvitur.

Qui incidit in excommunicationem ob ſimoniacam receptionem ordinis etiam minoris, quamvis ſit toleratus, ſi eum exercet tamquam miniſter Eccleſiæ, incurrit irregularitatem; quia ſollemniter miniſtrat in ordine ſimoniace ſuſcepto: ſi vero incidit in excommunicationem ob aliam cauſſam, ſolum incurrit irregularitatem quando cum manipulo exercet Subdiaconatum, vel quomodolibet exercet Diaconatum, Presbyteratum, aut Epiſcopatum; quia tunc ſollemniter miniſtrat in ordine ſacro. Similiter qui incidit in excommunicationem ob quamcumque cauſſam, incurrit ſuſpenſionem, ſi ordinetur etiam in minoribus, non vero ſi ſolum initietur prima tonſura, vel ſuſcipiat cetera Sacramenta; quia eatenus ſuſpenſionem incurrit, quatenus in excommunicatione recipit ordinem. *Suarez de excommun.*

mun. diſp. 10. *ſect.* 1. *n.* 5. & *Bonac. de ſuſpenſ. diſp.* 3. *punct.* 5. §. 1. *n.* 10. & 11.

Qui miniſtrat Sacramenta excommunicato vitando, quæcumque ea ſint, incurrit interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ, & ſi ea miniſtrat excommunicato nominatim denunciato auctoritate Apoſtolica, incurrit inſuper excommunicationem Papæ reſervatam; quia hic cenſetur denunciatus a Papa. E contra ſi ea miniſtret illi, qui incidit in excommunicationem Bullæ Cœnæ, vel in aliam Papæ reſervatam, in qua ſit denunciatus, ſed non auctoritate Apoſtolica, quamvis incurrat interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ; quia Sacramenta miniſtrat vitando; non tamen incurrit excommunicationem Papæ reſervatam, quia tunc ille non cenſetur denunciatus a Papa. *Suarez de excom. diſp.* 10. *ſect.* 2. *n.* 8. & 9.

Qui ordinatur etiam in minoribus ab excommunicato vitando, incurrit ſuſpenſionem ab ordine ſic ſuſcepto, non autem ab aliis (cum pœna ſit adnexa ſuſceptioni culpabili); quia recipit ordinem a vitando. Secus autem ſi ordinetnr etiam in ſacris ab excommunicato tolerato, vel ſi a vitando ſolum initietur prima tonſura, aut recipiat cetera Sacramenta (quamvis in hoc caſu incurrat excommunicationem minorem); quia ſuſpenſionem eatenus incurrit, quatenus recipit ordinem a vitando. *Bonacin. loco cit. n.* 7. *Ex Juribus cit. V. Suarez de cenſur. diſp.* 50. *ſect.* 2.

§. III. *De pœnis excommunicati, & aliorum communicantium in Sacris.*

Communicatio inter excommunicatum, & alios in Sacris poteſt dupliciter contingere, vel aſſiſtendo divinis Officiis, vel ſepeliendo in loco Sacro. Si excommunicatus eſt toleratus, certum eſt alios cum ipſo communicantes nunquam peccare; ipſum vero ſolum peccare quando ſe ingerit, ſed nullam pœnam incurrere: ſi vero eſt vitandus, tam ipſe, quam alii peccant graviter, niſi excuſentur a cauſſa juſta, ut dicetur *cap. ſequenti*, & præter excommunicationem minorem ſtatutæ ſunt in jure tam contra vitandum, quam contra alios cum ipſo communicantes in Sacris aliæ pœnæ, quæ cum ſint diverſæ, nec ſemper incurrantur; ad dignoſcendum quænam ſint, &

qui, ac quando eas incurrant, vel non; hæc traditur diſtinctio:

Si excommunicatus vitandus aſſiſtit Sacris, in ſola Miſſa ipſe incurrit excommunicationem Papæ reſervatam, quoties monitus non diſcedit, & alii, quoties ejus diſceſſum impediunt: Sacerdos vero incurrit interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ, quoties coram eo celebrat ſcienter.]

Si ſepelitur in loco Sacro, ſepelientes incurrunt excommunicationem reſervatam Epiſcopo, quoties ſepeliunt ſcienter.

Alias ſecus.

Ratio quoad aſſiſtentiam in Sacris eſt; quia in ſola Miſſa ſtatutæ ſunt pœnæ in jure contra prædictos, ut conſtat ex *Clement. Gravis de ſenten. excomm.* Quoad ſepulturam; quia ita diſponitur *in Clement. 1. de ſepult.* Quo vero ad ſcientiam in utroque caſu; quia alias deficit contumacia requiſita ad incurrendam cenſuram.

Unde reſolvitur.

Excommunicatus vitandus ſi aſſiſtit Miſſæ, incurrit excommunicationem Papæ reſervatam tam ipſe, quoties non diſcedit monentibus quamvis non diſſentientibus Clericis; quia tunc monitus non diſcedit; quam alii, qui ei etiam parato ad non diſcedendum ſuadent, ne diſcedat; quia ejus diſceſſum impediunt. E contra nec ipſe, nec alii eam incurrunt, ſi aſſiſtat ceteris divinis officiis, quamvis ipſe monitus nolit diſcedere, & alii ei adhuc parato ad diſcedendum ſuadent ne diſcedat; quia tunc vitandus non aſſiſtit Miſſæ. *Bonac. de excommun. diſp. 2. q. 2. punct. 3. §. 1. n. 8.*

Sacerdos, qui advertit Miſſæ intereſſe excommunicatum vitandum, incurrit interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ, ſi eam proſequitur (dummodo non ſit incœptus canon ob integritatem Sacrificii utpote de jure divino); quia ſcienter celebrat coram vitando. Secus autem ſi coram ipſo incipiat, vel proſequatur alia divina officia; quia tunc non celebrat; vel celebret ignorans adeſſe vitandum; quia tunc coram eo non celebrat ſcienter. *Bonac. loco cit. n. 10.*

Qui per ſe, vel per alios faciunt, ut vitandus ſepeliatur in loco Sacro, incurrunt excommunicatio-

tionem reſervatam Epiſcopo; quia cenſentur ſepelire. Secus vero ſi ſolum permittant, quamvis teneantur, poſſintque impedire, & non impediant; quia tunc non cenſentur ſepelire: vel ſi ſepeliunt, neſciant tamen eſſe vitandum; quia tunc non ſepeliunt ſcienter. *Suarez de excom. diſp. 13. ſect. 4. n. 8. Ex juribus cit.*

CAPUT IV.

De Excuſatione a communicatione cum vitando.

QUamvis cum excommunicato vitando non poſſit communicari neque in divinis, neque in humanis, etiamſi fuerit denunciatus alibi, & communiter ſciatur (nam ſi ſcitur a paucis, hi ſolum tenentur eum vitare occulte ex *cap. cum non ab homine, de ſent. excomm.*) adhuc tamen in loco, in quo eſt denunciatus, poſſunt ab ejus communicatione dari cauſſæ excuſantes, quæ juxta *Gloſſ. in cap. cum deſideres, de ſent. excomm. verb. excom. pœna* comprehenduntur hoc verſu:

Utile, lex, humilis, res ignorata, neceſſe. In quo *utile* ſignificat utilitatem tam ſpiritualem quam temporalem, *lex* ſignificat jus Matrimonii, *humilis* ſignificat quamlibet ſubjectionem, *res ignorata* ſignificat ignorantiam etiam vincibilem, & *neceſſe* ſignificat neceſſitatem extremam, vel gravem. Sed quia cauſſæ allatæ non æqualiter ſufficiunt pro communicatione in divinis, ac in humanis; ad dignoſcendum ex quibus cauſſis communicatio cum vitando excuſetur in divinis, & ex quibus excuſetur in humanis; hæc traditur diſtinctio:

Si communicatio cum vitando eſt in divinis, excuſatur ex ignorantia, quoties non eſt affectata, & ex neceſſitate, quoties non cedit in Religionis contemptum.

Si eſt in humanis, excuſatur inſuper ex utilitate, & ex incommodo gravi, quoties non adeſt ſcandalum notabile.

Alias non excuſatur.

Ratio quoad communicationem in divinis eſt; quia quando adeſt ignorantia (dummodo non affectata, cum hæc æquiparetur dolo) deficit contumacia requiſita ad incurrendam cenſuram: quando adeſt neceſſitas gravis, Eccleſia non obligat,

cum tanto incommodo, niſi cedat in Religionis contemptum, cum tunc concurrat præceptum divinum, cum quo Eccleſia cenſetur ſe conformare. Quo vero ad communicationem in humanis; quia ita diſponitur *in cap. inter alia*, *de ſent. excomm.* & *in Can. quoniam multos* 11. *q.* 3. niſi adſit ſcandalum notabile, cum tunc concurrat præceptum naturale, cum quo Eccleſia cenſetur ſe conformare.

Unde reſolvitur.

Qui neſcit etiam vincibiliter excommunicatum eſſe vitandum, ſi cum eo communicet in divinis excuſatur a culpa, ac pœna; quia in ipſo adeſt ignorantia. Secus vero ſi dubitans adhuc velit data opera permanere in tali ignorantia, ut liberius cum eo communicet; quia tunc ignorantia eſt affectata, ex *cap. ut animarum*, *de conſtit. in* 6. *ex cap. ſi vero* 2. *de ſent. excom.*

Qui ſcienter cum vitando communicat in divinis ad evadendum ſcandalum, infamiam, vel aliud malum notabile, excuſatur; quia tunc adeſt neceſſitas gravis. Secus vero ſi hoc faciat ob metum incuſſum in odium poteſtatis Eccleſiaſticæ; quia tunc cedit in Religionis contemptum. *Bonacin. de cenſur. diſp.* 1. *q.* 2. *punct.* 3. *n.* 2.

Qui extra neceſſitatem ſcienter cum vitando communicat in humanis ob bonum ſpirituale, vel temporale ipſius, aut alterius, excuſatur; quia adeſt utilitas, & ſi extra utilitatem communicat cum omnibus cohabitantibus, vel etiam non cohabitantibus, ſed cognatis, affinibus, & conjunctis etiam legaliter (non vero ſpiritualiter niſi cohabitent,) Dominus, ac ſubditus tam ſpiritualiter, quam temporaliter, pariter excuſatur; quia alias adeſt incommodum grave. Secus vero ſi ex circumſtantiis hæc communicatio cedat in grave murmur Populi, vel in occaſionem contemnendi Eccleſiam, quia tunc adeſt ſcandalum grave. *Ex cap. cum voluntate*, & *ex cap. reſponſo*, *de ſent. excom. De his agit D. Thom. in* 4. *diſt.* 18. *q.* 2. *artic.* 4. *q.* 1. *Vide Anton. a Spir. ſanct. de excommunic. tract.* 12. *diſp.* 2. *ſect.* 10.

AP-

APPENDIX I.

De Excommunicatione ob percuſſionem Clerici, vel Monachi.

CUm inter omnes excommunicationes, ſolum ea, quæ incurritur ob percuſſionem Clerici, vel Monachi, reddat excommunicatum ſine alia denunciatione vitandum, quoties eſt publica, & notoria juxta *Conſtit. Conc. Coſtant. -- ad vitandum ſcandala*; ideo ſpecialiter huic Tractatui adnectitur, de cujus incurſu, & abſolutione cum ſit diſtinctim agendum, ſit

§. I. *De incurſu.*

Ad temeritatem illorum coercendam, qui in Eccleſiaſticos manus injiciunt, Summus Pontifex *in Can. ſi quis 17. q. 4.* tulit excommunicationem latæ ſententiæ, ſibique reſervatam his verbis -- Si quis ſuadente Diabolo manus violentas in Clericum, vel Monachum injecerit, anathematis vinculo ſubjaceat. Ad quam excommunicationem incurrendam requiritur ex parte offendentis, ut percutiat phyſice, vel moraliter, ſcilicet mandato, conſilio, aut qualibet cooperatione: ex *cap. mulier §. illi vero, de ſent. excomm.* dummodo in percuſſionem influat, excepta ratihabitione percuſſionis ſuo nomine factæ, quæ ſubjicitur excommunicationi, etiamſi in effectum non influat, ut declaratur *in cap. cum quis, de ſent. excommunicat. in 6.* Ex parte vero offenſi requiritur, ut ſit Clericus, vel Monachus: nomine Clerici venit qui eſt ſaltem initiatus prima tonſura, etiamſi ſit Conjugatus, dummodo deferat habitum, quamvis ſit excommunicatus, vel irregularis, non vero ſi ſit bigamus, vel realiter degradatus, aut alio modo privatus privilegio Canonis; nomine Monachi venit etiam Novitius, & Laicus quamvis ſit bigamus, & quælibet perſona utriuſque Sexus, quæ in Religione, vel aliqua Congregatione vivens gaudeat privilegio Canonis. Sed quia non ſemper ac manus injiciuntur in Clericum, vel Monachum hæc excommunicatio incurritur; ad dignoſcendum quandonam incurratur, vel non; hæc traditur diſtinctio:

Si Clericus, vel Monachus attingitur, excommunicatio incurritur, quoties actio eſt violenta,

injurioſa, ac peccaminoſa graviter, excepto, ſi inveniatur turpiter agens cum uxore, vel conſanguinea in primo gradu.

Si non attingitur, excommunicatio incurritur, quoties ex actione ſequitur per ſe læſio perſonæ.

Alias non incurritur.

Ratio quando Clericus, vel Monachus attingitur eſt; quia quoad actionem violentam, injurioſam, ac peccaminoſam graviter ita deducitur ex verbis Canonis -- *Si quis ſuadente Diabolo violentas manus injecerit* -- quoad exceptionem ſi inveniatur turpiter agens &c. quia ita declaratur in *cap. ſi vero, de ſent. excomm.* Quando vero non attingitur; quia ſi ex actione ſequitur per ſe læſio perſonæ, manus violentæ cenſentur injici moraliter.

Unde reſolvitur.

Qui in Clericum, vel Monachum injurioſe conſpuit, vel ipſum fœdat cœno, atramento, aut aliud opus contumelioſum exercet, quod ipſum pertingat, incurrit excommunicationem; quia tunc attingitur. Secus vero ſi in ipſum verba contumelioſa eructet, vel tela emittat, quæ ipſum non pertingant, nec læſionem in perſona efficiant; quia tunc non attingitur. *Filliuc. tract.* 15. *num.* 17.

Qui a Clerico, vel Monacho aufert per vim aliquid, quod ipſi adhæreat, incurrit excommunicationem; quia actio eſt violenta. Secus autem, ſi ipſi non adhæreat; quia cum vis inferatur rei, & non perſonæ; actio non cenſetur violenta; vel ſi ipſi adhæreat, ab eo tamen auferat furtive; quia tunc actio eſt fraudulenta, non violenta. *Filliuc. loco cit n.* 18.

Qui percutit Clericum, vel Monachum conſentientem in ſui percuſſionem, ut ſatisfaciat parti læſæ, incurrit excommunicationem; quia licet actio non ſit injurioſa perſonæ utpote volenti; eſt tamen injurioſa Clericatui. Idem dicendum eſt de Clerico ſe ipſum percutiente ex ira, vel deſperatione ob eamdem rationem. *Ex cap. contingit* 1. *de ſent. excomm. Bonac. de excom. diſp.* 2. *quæſt.* 4. *punct.* 2. *n.* 5. & 7.

Qui percutit Clericum, vel Monachum ex defenſione inculpata ſui, vel rerum ſuarum; vel

ex correptione (dummodo correptus non ſit conſtitutus in Sacris ex *cap. cum voluntate* §. *ſi quis vero, de ſent. excom.*) non incurrit excommunicationem; quia actio non eſt peccaminoſa. Idem dicendum eſt, ſi eum percutiat ex joco, vel leviter; quia tunc actio non eſt peccaminoſa graviter. *Bonac. loco cit. punct.* 4. *a n.* 1. *uſque ad* 5.

Qui percutit in continenti Clericum, vel Monachum, dum ipſum invenit turpiter agentem, etiam ſecluſa copula, cum uxore, matre, filia, vel ſorore, quamvis peccet, non tamen incurrit excommunicationem; quia hic caſus eſt exceptus. Secus vero, ſi taliter inventum percutiat, ſed non in continenti, vel percutiat doloſe, facta ſcilicet prius conventione cum uxore, vel percutiat inventum cum affine, vel cum quacumque alia conjuncta, ſed non conſanguinea in primo gradu; quia in circumſtantiis caſus non eſt exceptus. *Ex cap. ſi vero, de ſent. excom. Bonac. loco cit. punct.* 4. *a n.* 6. *uſque ad* 8.

Qui ad oſtium Clerici ponit cuſtodes, ne poſſit libere egredi, vel fræno detinet Equum, cui Clericus inſidet, ne poſſit libere progredi, incurrit excommunicationem; quia licet tunc Clericus non attingatur, cum tamen ipſi auferatur libertas; ex ea actione ſequitur per ſe læſio perſonæ, *Filliuc. tract.* 15. *n.* 17. E contra qui inſequitur Clericum fugientem, qui ideo cadat in aquam, vel in ipſum explodit ſclopum ſine pila per jocum, ex cujus terrore infirmetur (dummodo in utroque caſu non intenderit, nec præviderit periculum) non incurrit excommunicationem; quia licet ex ea actione ſequatur læſio perſonæ, hæc tamen non ſequitur per ſe, ſed per accidens. *Bonac. loc. cit. punct.* 1. §. 1. *n.* 12. *Ex Gloſſa in can. ſi quis ſuadente* 17. *q.* 4. *verb. violentas.*

§. II. *De Abſolutione.*

Quamvis excommunicatio ob Clerici percuſſionem ſit Papæ reſervata; adhuc tamen poteſt aliquando ab ea abſolvere alter ex facultate ſibi conceſſa a jure, cum idem Summus Pontifex attenta differentia delicti, vel qualitate perſonarum, earumque impotentia phyſica vel morali, ac ſi-

mili rationabili cauſſa, id benigne indulſerit in aliquibus caſibus. Ad dignoſcendum autem a quo, & quando percuſſor Clerici poſſit abſolvi, vel non; hæc traditur diſtinctio:

Si percuſſor, & percuſſus eſt regularis, poteſt abſolvi ab utriuſque Superiore, quoties percuſſio non eſt enormis.

Si uterque, vel alter eſt Sæcularis, poteſt abſolvi ab Epiſcopo, quoties percuſſio eſt levis, aut fortuita, vel facta a Clericis collegialiter viventibus, vel ab impuberibus, aut Mulieribus, vel Summus Pontifex adiri non poteſt.

Alias ſecus.

Ratio eſt; quia quando percuſſio eſt inter utrumque regularem, ita diſponitur *in cap. cum illorum*, & *in cap. canonica, de ſent. excommun.* Quando percuſſio eſt inter utrumque, vel alterutrum Sæcularem, quoad percuſſionem levem ita diſponitur *in cap. pervenit, de ſent. excomm.* quoad fortuitam ita diſponitur *in cap. ſi vero, de ſent. excomm.* quoad factam a Clericis collegialiter viventibus, ita diſponitur *in cap. quoniam, de vita, & honeſt. Cleric.* quoad factam ab impuberibus, ita diſponitur *in cap. pueri, de ſent. excomm.* quoad factam a Mulieribus ita diſponitur *in cap. Mulieres, de ſent. excomm.* quo vero ad impotentiam adeundi Pontificem ita diſponitur *in cap. de cetero*, & *in cap. ea noſcitur, de ſent. excomm.*

Unde reſolvitur.

Si Religioſus percutit etiam graviter Religioſum ſui Ordinis poteſt abſolvi a Superiore proprio etiam locali; & ſi percutit Religioſum alterius Ordinis debet abſolvi etiam a Superiore percuſſi; quia uterque eſt Regularis. Secus vero ſi percutiat Superiorem ſui, vel alterius Ordinis, vel ſimplicem Religioſum occidat, mutilet, aut graviter vulneret; quia tunc percuſſio eſt enormis. *Sylveſt. verb. abſolutio 4. n. 3.*

Si Sæcularis Sæcularem percutit, vel Regularis Sæcularem, aut Regularem, itaut percuſſio nullum ſignum relinquat, vel ex circumſtantiis non cenſeatur injurioſa, aut ſcandaloſa graviter, poteſt abſolvi ab Epiſcopo; quia cenſetur levis.

Idem

Idem dicendum eſt, ſi ſit gravis, ſed accidat caſu, ut in arcenda turba (cum tunc abſolutio requiratur quoad forum externum); quia talis percuſſio eſt fortuita. *Filliuc. tract.* 15. *n.* 39. & 40.

Si percuſſio fit inter Clericos collegialiter viventes, vel ab impuberibus, vel a Mulieribus etiam enormiter, omnes poſſunt abſolvi ab Epiſcopo; quia ſine exceptione ita diſponitur in Juribus citatis. Idem dicendum eſt, ſi percuſſio enormis fiat ab aliis, qui ex impotentia phyſica, vel morali non poſſunt Romam accedere per ſe ipſos, quamvis poſſint per alios; quia cum obligatio ſit perſonalis; tunc cenſetur quod Summus Pontifex adiri non poteſt. *Filliuc. loc. cit. num.* 36. & 39. *Ex Juribus citatis. Vide Bonac. de excom. diſp.* 2. *quaſt.* 4. *punct.* 5.

APPENDIX II.

De Excommunicationibus contentis in Bulla Cœnæ.

INter omnes excommunicationes præcipuæ ſunt contentæ in Bulla Cœnæ, quæ ita ſunt Papæ reſervatæ, ut etiam in caſibus occultis non poſſint ab eis abſolvere Epiſcopi, cum facultas conceſſa a Concilio Tridentino ſit ipſis ſublata, ut patet ex recentioribus impreſſionibus ejuſdem Bullæ, ideoque cum ipſæ etiam utpote ſpeciales huic Tractatui ſint adnectendæ; ut de ſingulis diſtinctim agatur, ſit

§. I. *De Excommunicatione contra Hæreticos, eorumque fautores in Bulla*, §. 1.

Excommunicatio contra Hæreticos, eorumque fautores exprimitur *in Bulla Cœnæ*, §. 1 his verbis -- *Excommunicamus &c. a Chriſtiana Fide Apoſtatas, & ſingulos alios Hæreticos quocumque nomine cenſeantur, & cujuſcumque Sectæ exiſtant, ac eis credentes eorumque receptatores, fautores, & generaliter quoslibet illorum defenſores &c.* Apoſtatæ ſunt qui totaliter recedunt a fide; Hæretici ſunt qui circa aliquem articulum fidei habent errorem in intellectu cum pertinacia juxta dicta *part.* 1. *tract.* 3. *cap.* 3. Fautores autem ſunt qui ipſis præſtant aſſenſum, conſilium, auxilium, ſecuritatem, vel quodcumque patrocinium, ac hoſpitium. Cum igitur ſtatim

tim ac inciditur in hæreſim, vel favetur hæreticis, incurratur excommunicatio lata in hac Bulla, ſed non in omni caſu; ad dignoſcendum quandonam incurratur, vel non; hæc traditur diſtinctio:

Si inciditur in hæreſim, excommunicatio incurritur, quoties hæreſis eſt formalis, ac manifeſtatur externe.

Si favetur hæreticis, excommunicatio incurritur, quoties favor ipſis præſtatur ob hæreſim.

Alias non incurritur.

Ratio quoad hæreſim eſt; quia ſi hæc non eſt formalis, ideſt cum pertinacia, non eſt proprie hæreſis, ſeu firma adhæſio contra quam eſt lata cenſura, & ſi non manifeſtatur externe, non ſubditur judicio Eccleſiæ, quæ de internis non judicat. Quo vero ad favorem præſtitum hæreticis; quia ſi hic non eſt ob hæreſim, ſed ob aliud motivum, non ordinatur ad errorem, pro quo eſt lata pœna ab Eccleſia.

Unde reſolvitur.

Qui negat, vel aſſerit aliquid, quod ſciat eſſe contra definitionem Eccleſiæ, vel ab ea evidenter deduci, ut ſi neget Chriſtum eſſe riſibilem, quæ proprietas ipſi competit ut homini, incurrit excommunicationem; quia cum ex tali ſcientia tunc adſit pertinacia, hæreſis eſt formalis, ſeu firma adhæſio. Secus autem ſi ex ignorantia etiam craſſa, dummodo non affectata, neſciat eſſe contra definitionem Eccleſiæ, vel ab ea evidenter deduci, ac ſit paratus ea cognita ad retractandum errorem; quia cum talis ignorantia quamvis culpabilis adhuc tamen excludat pertinaciam, tunc hæreſis non eſt formalis. *Bonac. de cenſur. in Bulla Cœnæ diſp. 1. q. 2. punct. 1. n. 5. & 6.*

Qui interius tantum, ſeu mentaliter aſſentitur errori, dum ſcit eſſe contra definitionem Eccleſiæ, non incurrit excommunicationem; quia licet hæreſis utpote conjuncta cum pertinacia ſit formalis; non tamen ab ipſo manifeſtatur externe. Secus autem, ſi errorem, cui aſſentitur, proferat ore, vel exprimat ſcripto, aut alio ſigno exteriori etiam in occulto, ita ut ſi quis adeſſet poſſet devenire in cognitionem ejuſdem erroris.

ris; quia tunc hæreſis licet a nullo audiatur, aut reſciatur, adhuc tamen ab ipſo manifeſtatur externe. *Sanchez moral. lib. 2. cap. 8. n. 2. & ſeqq.*

Qui receptat, alit, defendit, vel quocumque alio modo adjuvat hæreticum quatenus hæreticum, ideſt ut errorem retineat, vel ipſum diſſeminet, etiamſi ex aliquo impedimento diſſeminare non poſſit, incurrit excommunicationem; quia tunc ipſi favorem præſtat ob hæreſim. Secus autem ſi ipſum receptet, aut alio modo adjuvet non quatenus hæreticum, ſed quatenus conſanguineum, vel amicum (in quo caſu adhuc tenetur eum denunciare); quia licet tunc ipſi præſtet favorem, non tamen hunc præſtat ob hæreſim. *Suarez de cenſur. diſp. 21. ſect. 2. §. 8.*

§. II. *De Excommunicatione contra legentes libros Hæreticorum, alioſque probibitos.*

In Bulla, §. 1.

Excommunicatio lata tam contra legentes, quam contra retinentes, imprimentes, ac defendentes libros Hæreticorum exprimitur *in Bulla*, §. 1. his verbis -- *Excommunicamus &c. hæreticos, ac eorumdem libros hæreſim continentes, vel de religione tractantes ſine auctoritate noſtra, & Sedis Apoſtolicæ ſcienter legentes, aut retinentes, imprimentes, ſeu quomodolibet defendentes ex quavis cauſſa publice, vel occulte, quovis ingenio, vel colore.* Præter hanc excommunicationem Bullæ Cœnæ, quæ eſt reſervata, lata eſt alia excommunicatio Indicis, quæ non eſt reſervata contra legentes, retinentes, imprimentes, ac defendentes ceteros libros prohibitos, qui non ſunt Hæreticorum; vel ſi ſunt Hæreticorum, non tamen continent hæreſim, nec de Religione tractant. Cum igitur ex tali prohibitione non ſervata præter peccatum incurratur excommunicatio vel Bullæ Cœnæ, vel Indicis, ſed non ſemper; ad dignoſcendum quandonam alterutra incurratur, vel non; hæc traditur diſtinctio:

Si *liber prohibitus continet hæreſim, vel tractat de religione, incurritur excommunicatio Bullæ Cœnæ, quoties eſt Auctoris hæretici.*

Alias incurritur excommunicatio Indicis.

Si *non continet hæreſim, nec tractat de religione,* in-

incurritur excommunicatio Indicis, quoties eſt Auctoris hæretici.

Alias incurritur ſolum peccatum.

Ratio quoad librum prohibitum continentem hæreſim, vel tractantem de religione eſt, quando eſt Auctoris hæretici, ita conſtat ex verbis ſupra relatis Bullæ Cœnæ; quando autem non eſt auctoris hæretici, ita conſtat ex *regula* 10. *Indicis librorum prohibit.* §. *Quod ſi quis*. Quo vero ad librum prohibitum non continentem hæreſim, nec tractantem de religione; quia quando eſt auctoris hæretici ita conſtat ex *regula* 2. *dicti Indieis*, §. 1. quando autem non eſt auctoris hæretici, ita colligitur ex *regula* 10. *ejuſdem Indicis*, §. *Ultimo*.

Unde reſolvitur.

Qui ſine licentia legit librum, quem ſciat eſſe compoſitum ab hæretico, & in eo contineri aliquam hæreſim, vel de religione tractari, ideſt ex profeſſo, & non obiter, etiamſi legat manuſcriptum, aut in idiomate, quod non intelligit aut in ea parte, in qua error non eſt, ipſum retinet nomine proprio, ſive alieno, etiamſi retineat, aut laceret, aut in ejus foliis res vendendas involvat, vel ipſum imprimit, aut aliquomodo ad ejus impreſſionem concurrit, vel ipſum quomodolibet defendit etiam diſputationis gratia; incurrit excommunicationem Bullæ Cœnæ; quia talis liber continet hæreſim, vel tractat de religione, & eſt auctoris hæretici. E contra non incurrit excommunicationem Bullæ Cœnæ, ſed Indicis, ſi talis liber ex eadem cauſſa prohibitus, ſit compoſitus a Catholico, vel etiam ab Infideli non baptizato; quia licet contineat hæreſim, vel de religione tractet; non eſt tamen Auctoris hæretici. *Bonac. de cenſur. Bullæ Cœnæ*, *diſp.* 1. *q.* 2. *punct.* 4. *n.* 7. *uſque ad* 22.

Qui ſcienter legit, retinet, imprimit, vel defendit librum, qui ſit porhibitus ex cauſſa non ſpectante ad fidem, ſed ſit compoſitus ab hæretico, incurrit excommunicationem Indicis; quia licet nullam contineat hæreſim, nec de religione tractet, eſt tamen Auctoris hæretici. E contra nullam excommunicationem, ſed ſolum peccatum incurrit, ſi talis liber ſit compoſitus a Catholico.

co, vel etiam ab Infideli non baptizato; quia cum nullam contineat hæreſim, nec de religione tractet; neque eſt Auctoris hæretici - *Bonac. loco cit. n. 2. & 5.*

Qui in ſupradictis Caſibus non legit, ſed alterum legentem audit, quamvis excommunicationem non incurrat, poteſt peccare graviter juxta circumſtantias ſcandali, vel periculi, & qui legit unam, aut alteram lineam, vel retinet per breve tempus, peccat leviter ex parvitate materiæ. E contra nullo modo peccat, ſi legat inadvertenter, dummodo re cognita ſtatim deſiſtat, vel retinendo expectet opportunitatem conſignandi librum Inquiſitoribus, vel laudet ſtylum, aut ingenium Auctoris; quia in his, & ſimilibus caſibus non cenſetur facere contra prohibitionem. *Bonac. loc. cit. n.* 11. 14. & 20.

§. III. *De Excommunicatione contra Schiſmaticos in Bulla*, §. 1.

Excommunicatio lata contra Schiſmaticos exprimitur *in Bulla*, §. 1. his verbis -- *Excommunicamus &c. Schiſmaticos, & eos, qui ſe a noſtra, & a Romani Pontificis pro tempore exiſtentis obedientia pertinaciter ſubtrahunt, vel recedunt* -- Ubi cum non feratur etiam contra fautores, ut in hæreſi; iſti non ſubjacent excommunicationi hujus Bullæ, quæ eſt reſervata; ſed alteri excommunicationi non reſervatæ, quæ continetur *in Conſtitutione* 19. *Pauli* IV. quæ incipit -- *Cum ex Apoſtolatus officio*. Cum igitur ſchiſma ſit pertinax ſubtractio ab obedientia Papæ, poſſitque contingere, ut hæc vere, vel apparenter negetur, ac ſub diverſo reſpectu; ad dignoſcendum, quandonam excommunicatio incurratur, vel non; hæc traditur diſtinctio:

Si *obedientia Papæ negatur, excommunicatio incurritur, quoties ipſi negatur tamquam Eccleſiæ capiti.*

Si non negatur, excommunicatio incurritur, quoties fit actus, quo indicetur negari.

Alias non incurritur.

Ratio eſt; quia cum Eccleſia ſit una, ideoque ſub uno capite, cui fideles debent uti membra adhærere; quatenus negatur obedientia Papæ tamquam Eccleſiæ capiti, catenus tollitur hæc unitas

tas per ſciſſuram conſtitutivam ſchiſmatis, & cum obedientia pertineat ad actum externum, ſi per hunc indicatur negari; nihil refert, quod non negetur interius.

Unde reſolvitur.

Qui non vult obedire Papæ quatenus fungitur munere Pontificio in poteſtate ſibi collata a Chriſto, incurrit excommunicationem hujus Bullæ; quia negat ei obedientiam tamquam Eccleſiæ capiti. Secus vero ſi nolit ei obedire quatenus Principi temporali, vel quatenus perſonæ privatæ ex aliquo particulari diſſidio, vel pravo in ipſum affectu; quia licet ipſi obedientiam neget; hanc tamen non ei negat tamquam Eccleſiæ capiti. *Sayrus de cenſur. lib. 3. cap. 5. n. 21.*

Qui in Anglia morem gerit Regi in rebus ſpiritualibus, itaut videatur ipſum recognoſcere ut prætenſum Caput Eccleſiæ Anglicanæ, ſed non intendit recedere a ſubjectione Romani Pontificis, quamvis non incurrat excommunicationem hæreſis, cum non habeat errorem in intellectu; incurrit tamen excommunicationem ſchiſmatis; quia licet non neget obedientiam Papæ, facit tamen actum, quo indicat ipſam negare. *Sanchez moral. lib. 2. cap. 36. num.* 14. Idem dicendum eſt etiamſi proteſtetur ſe id facere ex metu; quia cum hic ſit incuſſus in contemptum poteſtatis Pontificiæ, non excuſat ab incurrenda cenſura. *Bonac. de cenſur. diſp. 1. q. 2. punct. 3. n. 2.*

§. IV. *De Excommunicatione contra appellantes a Papa ad Concilium, eorumque fautores. In Bulla, §. 2.*

Excommunicatio lata tam contra appellantes, quam eorum fautores, exprimitur *in Bulla*, §. 2. hic verbis -- *Excommunicamus &c. omnes, & ſingulos cujuſcumque ſtatus, gradus, ſeu conditionis fuerint &c. ab ordinationibus, ſeu mandatis noſtris, ac Romanorum Pontificum pro tempore exiſtentium ad univerſale futurum Concilium appellantes, nec non eos, quorum auxilio, vel favore appellatum fuerit.* Cum igitur poſſit contingere, ut appelletur a Papa non tamquam a Papa, diverſiſque ex cauſſis, & fautores in appellando, vel in aliis rebus auxilium præſtent; difficultas eſt, an ſemper hæc excommunicatio incur-

curratur, vel non. Pro quo hæc traditur diſtinctio:

Si appellatur a Papa ad futurum Concilium, excommunicatio incurritur ſemper.

Si favetur appellantibus, excommunicatio incurritur, quoties fit ad appellandum.

Alias non incurritur.

Ratio quod appellantes eſt; quia ita conſtat ex verbis Bullæ ſupra relatis, quæ cum ſint generalia, intelligenda ſunt generaliter, ideoque in omni caſu. Quo vero ad fautores; quia cum ibidem dicatur -- *quorum auxilio, vel favore appellatum fuerit*, verba intelligenda ſunt de ſolo favore præſtito ad appellandum.

Unde reſolvitur.

Qui appellat a Romano Pontifice non tamquam ab Eccleſiæ capite, ſed tamquam a Principe temporali, vel tamquam a perſona privata ob particulare diſſidium, etiamſi ſupponatur ſe geſſiſſe injuſte in cauſſis tam ſpiritualibus, quam temporalibus; incurrit excommunicationem; quia per hoc non tollitur, quin appellet a Papa ad futurum Concilium. Secus vero qui appellat a Papa ad alium Papam futurum; quia tunc ab ipſo non appellat ad futurum Concilium. *Bonac. de cenſur. Bullæ Cœnæ disp.* 1. *qu.* 3. *punct.* 2. *n.* 4. & 10.

Qui appellantibus a Papa ad futurum Concilium præſtant auxilium, ut exequantur appellationem, ea ſecuta incurrunt excommunicationem hujus Bullæ, & qui dant conſilium, vel approbant, incurrunt excommunicationem pariter reſervatam *in Conſtit.* 22. *Jubii* II. *quæ incipit*: *Suſcepti regiminis*; quia tunc ipſis favent ad appellandum. Secus vero qui ſecuta appellatione dant ipſis conſilium, vel præſtant auxilium ad reſiſtendum Papæ mandatis; quia tunc ipſis non favent ad appellandum. *Suarez de cenſur. diſp.* 21. *ſect.* 2. *num.* 16.

§. V. *De excommunicatione contra* Piratas, *eorumque fautores*. I*n Bulla*, §. 3.

Excommunicatio lata contra Piratas, eorumque fautores exprimitur I*n Bulla* §. 3. hic verbis -- *Exommunicamus &c. omnes piratas, curſarios, ac latrunculos maritimos diſcurrentes mare*

no-

noſtrum, præcipue a Monte Argentario uſque ad Terracinam, ac omnes eorum fautores, receptatores, defenſores: Ex quibus verbis patet Piratas, eorumque fautores hanc excommunicationem incurrere ſolum quando piraticam exercent in Mari Pontificio tam Tyrrheno, quam Adriatico, in quo ſufficit, ut decurrant animo deprædandi, etiamſi non deprædentur; vel ibi deprædentur etiamſi eo animo non decurrant. Cum igitur piratica exerceatur non ſolum contra infideles, ſed etiam contra fideles; difficultas eſt an, & quando excommunicatio incurratur, vel non. Pro quo hæc traditur diſtinctio:

Si in Mari Pontificio piratica exercetur contra fideles, excommunicatio incurritur, quoties exercetur injuſte.

Si exercetur contra infideles, excommunicatio incurritur, quoties cedit in damnum fidelium.

Alias non incurritur.

Ratio quoad piraticam contra fideles eſt; quia Pontifex in eorum favorem indixit hanc pœnam, quæ tamen ceſſare debet ceſſante culpa ob juſtitiam. Quo vero ad piraticam contra infideles; quia licet Eccleſiæ hoſtes non debeant armis Eccleſiæ protegi; ſi tamen cedat in damnum fidelium; tunc eorum indemnitas eſt potior.

Unde reſolvitur.

Qui decurrunt per Mare Pontificium, ut ibidem deprædentur Naves fidelium, vel ſi eo animo non decurrunt, oblata tamen occaſione, deprædantur, & qui eos receptant, protegunt, vel auxilio adjuvant (niſi id faciant coacte, ut Chriſtiani captivi apud Turcas) ad hunc effectum etiam non ſecutum, excommunicationem incurrunt: quia tunc piratica exercetur contra fideles. Secus vero ſi contra eos ſit a propriis Principibus indictum bellum juſtum, ut præſumitur in dubio; quia tunc piratica contra eos non exerceatur injuſte. *Angelus in ſum. excomm. 5. caſu 18. Cajet. in ſum. verb. excom. cap. 18.*

Qui decurrunt per Mare Pontificium, ut ibidem deprædentur Naves Turcarum, vel hæreticorum, excommunicationem non incurrunt; quia tunc piratica exercetur contra infideles. Secus vero ſi iſti ſint aſſecurati Catholicis, vel advehant mer-

ces in ipſorum commodum, aut eæ ſpectent etiam ad Mercatores catholicos, quibus piratæ non parcant; quia licet tunc piratica exerceatur contra infideles; hæc tamen cedit in damnum fidelium. *Suarez de cenſur diſp.* 21. *ſect.* 2. *n.* 20.

§. VI. *De Excommunicatione contra Surripientes bona naufragantium. In Bulla*, §. 4.

Excommunicatio lata contra ſurripientes naufragantium bona, exprimitur *in Bulla*, §. 4. his verbis-- *Excommunicamus omnes, & ſingulos, qui Chriſtianorum quorumcumque Navibus tempeſtate, ſive in tranſverſum, ut dici ſolet, jactatis, vel quoquo modo naufragium paſſis, ſive in ipſis Navibus, ſive ex eiſdem ejecta in Mari, vel in litore inventa cujuſcumque generis bona tam in noſtris Tyrrheni, & Adriatici, quam in ceteris cujuſque Maris regionibus, & litoribus ſurripuerint* -- Quæ cenſura utpote lata contra ſurripientes, comprehendit etiam illos, qui ſurripiunt moraliter, quales cenſentur eſſe mandantes, receptantes, participantes, auxiliantes, aut alio quovis modo favorem ad ſurripiendum præſtantes, dummodo bona ſurrepta ſint naufragantium in Mari, cujus nomine venit etiam portus, quamvis hic ſit in alveo fluminis, & naufragium ſit ſecutum ex quacumque cauſſa, vel ex ejus periculo bona ſint projecta. Sed quia non ſemper ac ſurripiuntur talia bona naufragantium in Mari, excommunicatio incurritur; ad dignoſcendum quando incurratur, vel non, hæc traditur diſtinctio:

Si bona in naufragio ſurrepta ſunt Infidelium, Excommunicatio non incurritur unquam.

Si ſunt fidelium, excommunicatio incurritur, quoties ſubreptio eſt injuſta graviter, & in materia notabili.

Alias non incurritur.

Ratio quoad bona infidelium eſt; quia in Bulla exprimuntur tantummodo ſurripientes bona Chriſtianorum. Quo vero ad bona fidelium; quia ſi ſurreptio non eſt injuſta utpote carens culpa, debet etiam carere pœna, quæ cum ſit gravis, debet ſupponere culpam gravem, & ſi materia non eſt notabilis, non præſumitur, quod Pontifex pro re non magni momenti voluerit tam graviter punire.

Un-

Unde reſolvitur.

Qui in naufragio ſurripiunt bona Turcarum vel etiam hæreticorum, (cum hi in favorabilibus non veniant nomine Chriſtianorum), non incurrunt excommunicationem; quia bona ſurrepta ſunt Infidelium. Idem dicendum eſt, ſi bona ſurrepta vehebantur Navibus Catholicorum; dummodo his nullum inferatur damnum; quia adhuc illa bona ſunt infidelium. *Sayrus de cenſ. lib.* 3. *cap.* 8. *n.* 7.

Qui in naufragio ſurripiunt bona Catholicorum, vel Catechumenorum inventa in litore, vel in Mari, incurrunt excommunicationem; quia bona ſurrepta ſunt fidelium. Idem dicendum eſt, ſi bona ſurrepta vehebantur Navibus Hæreticorum, vel Turcarum; quia adhuc illa bona ſunt fidelium. *Filliuc. tract.* 16. *n.* 83.

Qui in naufragio ſurripiunt bona fidelium, quibus a propriis Principibus indictum eſt bellum juſtum, ut hoſtibus, aut privatis, vel ſurripiunt bona, quæ fideles contra Eccleſiæ prohibitionem deferebant ad infideles, non incurrunt excommunicationem; quia tunc ſurreptio non eſt injuſta. Idem dicendum eſt ſi bona ſurrepta habebantur pro derelictis, qualia non cenſentur, ſi ſint ſolum projecta ad levandam Navim, vel ea capiant, ut reſtituant Dominis, dummodo reſtitutionem non diutius differant, vel neſciant eſſe naufragantium, dummodo re cognita ea non retineant; quia in his caſibus ſurreptio non eſt injuſta. *Bonac. de cenſur. in Bulla Cœnæ, diſp.* 1. *q.* 5. *punct.* 2. *n* 4. *pun.* 3. *n.* 2. & *pun.* 4. *n.* 5. & 6.

Qui in naufragio ſurripiunt bona fidelium in quantitate non ſufficiente ad peccatum mortale, non incurrunt excommunicationem; quia licet ſurreptio ſit injuſta; non tamen eſt injuſta graviter. Idem dicendum eſt ſi ſit ſufficiens ad peccatum mortale utpote excedens parvitatem valoris, ſed non ſit magni momenti; quia licet ſurreptio ſit injuſta graviter, & in materia notabili quoad culpam: non tamen eſt in materia notabili quoad cenſuram. *Bonac. loc. cit. punct.* 4. *n.* 3.

§. VII. *De Excommunicatione contra imponentes nova pedagia. In Bulla*, §. 5.

Excommunicatio lata contra imponentes nova pe-

pedagia, per quæ intelliguntur vectigalia, exprimitur *in Bulla* §. 5. his verbis -- *Excommunicamus omnes, qui Terris ſuis nova pedagia, ſeu gabellas, præterquam in caſibus ſibi a jure, ſeu ex ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia permiſſis, imponunt, vel augent, ſeu imponi, vel augeri prohibita exigunt.* Ex quibus verbis patet ſubjici huic cenſuræ non ſolum imponentes, ſed etiam augentes, & exigentes quodcumque vectigal, dummodo imponatur novum, ideſt quod antiquitus vel nunquam fuerit, vel ſi fuit, nulla de eo extet memoria, aut augeatur antiquum, idque fiat a Dominis in terris ſuis, non vero in alienis utpote non expreſſis in Bulla. Sed quia non ſemper ac novum vectigal imponitur, aut antiquum augetur, vel exigitur ab aliquo in Terris ſuis, excommunicatio incurritur; ad dignoſcendum quandonam incurratur, vel non; hæc traditur diſtinctio:

Si novum vectigal imponitur, aut antiquum augetur, excommunicatio incurritur, quoties id non conceditur a jure, vel a Papa.

Si injuſte exigitur, excommunicatio incurritur, quoties fit auctoritate publica.

Alias non incurritur.

Ratio quoad impoſitionem, vel augmentum vectigalis eſt; quia cenſura eſt lata, ne Subditi inique graventur, & eatenus ita cenſentur gravari, quatenus id non conceditur a jure, vel a Papa, ut exprimitur in Bulla. Quo vero ad injuſtam exactionem; quia cum hæc referatur ad impoſitionem, cujus eſt executio; ſicuti in illa, ita etiam in iſta requiritur auctoritas publica, ut incurratur cenſura tamquam lata in ſubſidium, quando Subditis aliud remedium ad gravamen vitandum non ſuppetit.

Unde reſolvitur.

Qui non habet poteſtatem ſupremam in Terris ſuis, ſi imponit aliquod novum vectigal, aut auget antiquum, vel imponi, aut augeri mandat, incurrit excommunicationem; quia cum hoc competat ſolis Principibus, qui Superiorem non recognoſcunt, & ab eis facultatem non habent, ut ſupponimus, id ſibi non conceditur a jure. Idem dicendum eſt ſi hoc faciat Tyrannus (non obſtante, quod Terræ non ſunt ſuæ quoad domi-

nium,

nium, cum adhuc cenſeantur ſuæ quoad detentionem); quia ſtante uſurpatione injuſta, id ſibi non conceditur a jure. *Filliuc. tr.* 16. *n.* 108. & 109.

Qui habet poteſtatem ſupremam in terris ſuis, & imponit, vel auget vectigal injuſtum, ideſt quod non deſerviat pro neceſſitate, vel utilitate Reipublicæ, incurrit excommunicationem; quia ſtante injuſtitia, id ſibi non conceditur a jure. Idem dicendum eſt, ſi vectigal ſit juſtum, ſed ſine licentia Summi Pontificis ipſum imponat etiam Clericis, vel aliis perſonis exemptis; quia tunc ſibi non conceditur a Papa. *Caſtrop. de cenſ. diſp.* 3. *punct.* 6. *num.* 7. 8.

Qui vectigal injuſte a Principe impoſitum ut ejus Miniſter exigit, vel juſte impoſitum plus debito exigit, incurrit excommunicationem; quia illud injuſte exigit auctoritate publica. *Filliuc. tract.* 16. *n.* 112. & 113. Secus autem ſi ſolum ſe fingat exactorem, vel alio modo iniquo ſolutionem extorqueat; quia licet exigat injuſte; exigit tamen auctoritate privata. *Bonac. de cenſ. in Bulla Cœnæ, diſput.* 1. *q.* 6. *punct.* 3. *n.* 24.

§. VIII. *De Excommunicatione contra falſificantes litteras Apoſtolicas.* *In Bulla* §. 6.

Excommunicatio lata contra falſificantes litteras Apoſtolicas exprimitur *in Bulla* §. 6. his verbis: *Excommunicamus omnes falſarios litterarum Apoſtolicarum etiam in forma Brevis, ac ſupplicationum, gratiam, vel juſtitiam concernentium per Romanum Pontificem, vel S. R. E. Vice Cancellarium, ſeu gerentes vices eorum, aut de mandato ejuſdem Romani Pontificis ſignatarum, necnon falſo fabricantes litteras Appoſtolicas etiam in forma Brevis, & etiam falſo ſignantes ſupplicationes hujuſmodi ſub nomine Romani Pontificis, ſeu Vice Cancellarii, aut gerentium vices prædictorum.* Quibus verbis licet exprimantur ſoli falſificatores, comprehenduntur etiam mandantes, cum falſificent per alios: conſulentes vero, ceterique fautores, ſicuti etiam utentes ſubduntur excommunicationi non reſervatæ, ſi ſint Laici, & ſi ſint Clerici, privationi officiorum, aliiſque pœnis latis *in cap. ad falſariorum, de crimin. falſi*: retinentes autem ſubduntur excommunicationi indicendæ ab Ordinario ex *cap. dura*, §. *adjacentes, de crim. falſi*.

Per

Per litteras Apoſtolicas intelliguntur Bullæ, Brevia ac ſupplicationes, quæ Pontifici, vel Vice-Cancellario, aut alteri gerenti vices ipſorum exhibentur, & quæ nomine Papæ expediuntur; non vero litteræ S. Congregationis, Datariæ, aut Nuncii, cum earum expeditio nomine Papæ non fiat. Per falſificationem autem non ſolum intelligitur fabricatio litterarum, ſed quælibet additio, detractio, ac mutatio etiam quoad ſolum ſigillum. Sed quia non ſemper ac id intentatur, excommunicatio incurritur; ad dignoſcendum quandonam incurratur, vel non; hæc traditur diſtinctio:

Si litteræ Apoſtolicæ poſſunt deſervire, excommunicatio incurritur per quamlibet falſificationem, quatenus actio eſt completa.

Si non poſſunt amplius deſervire, excommunicatio non incurritur unquam.

Ratio quando litteræ poſſunt deſervire eſt; quia per quamlibet falſificationem etiam minimam utpote detrahentem earum auctoritati, ac contrariam reverentiæ Pontifici debitæ, cenſetur fieri gravis injuria, dummodo actio ſit completa, cum alias ex delicto non conſummato non cenſeatur falſificatio ſecuta. Quando vero litteræ non poſſunt amplius deſervire, cum jam evanuerint, perinde eſt ac ſi non eſſent.

Unde reſolvitur.

Qui in litteris Apoſtolicis tam validis, quam invalidis, quæ ſint expeditæ, nec dum ſortitæ effectum, aliquid minimum addit, detrahit, vel mutat, etiamſi per hoc non varietur earum ſenſus; incurrit excommunicationem; quia cum litteræ poſſint deſervire, eas aliquo modo falſificat. *Silv. verb. excom.* 7. *num.* 8. Idem dicendum eſt, ſi in ipſis aliquid emendet, etiamſi emendatio utpote erroris commiſſi a ſcriptore eſſet ad mentem Pontificis; quia adhuc cenſetur eas falſificare. *Suarez de cenſ. diſp.* 21. *ſect.* 2. *n.* 47.

Qui cœpit fabricare litteras falſas, ſed pœnitentia ductus deſiſtit ab opere inchoato antequam illud perficiat, non incurrit excommunicationem; quia actio non eſt completa. *Bonac. de cenſ. in Bulla Cœnæ, diſp.* 1. *quæſt.* 7. *punct.* 3. *num.* 12. E contra excommunicationem incurrit, ſi in litteris obtentis abraſit aliquod verbum animo

addendi aliud, quod tamen poſtea non addat, ſed abraſum reponat; quia ſtatim ac fuit facta abraſio, cenſetur actio detrahendi, quamvis non addendi, completa.

Qui in litteris Apoſtolicis, quæ jam ſortitæ ſunt effectum, aliquid addit, detrahit, vel mutat, ex quo varietur earum ſenſus, non incurrit excommunicationem; quia licet ſint falſificatæ; ipſæ tamen amplius deſervire non poſſunt. Secus autem, ſi, quamvis ſortitæ ſint effectum, adhuc tamen in futurum utiles reddi poſſint, etiamſi nec falſarius, nec alter ſit eis unquam uſurus; quia licet tunc non deſerviant; poſſunt tamen deſervire. *Bonac. loco cit. n.* 2.

§. IX. *De Excommunicatione contra deferentes arma, aliaque præſtantes infidelibus in damnum fidelium. In Bulla*, §. 7.

Excommunicatio lata contra deferentes arma, aliaque præſtantes infidelibus in damnum fidelium, ideſt Chriſtianæ Reipublicæ, vel Principis, & non privatæ perſonæ, exprimitur *in Bulla* §. 7. his verbis -- *Excommunicamus omnes illos, qui ad Saracenos, Turcas, & alios Chriſtiani nominis hoſtes, & inimicos, vel Hæreticos per noſtras, ſive hujus S. Sedis ſententiam expreſſe, & nominatim declaratos deferunt ſive tranſmittunt equos, arma, ferrum &c. omniaque alia metallorum genera, atque bellica inſtrumenta &c. aliaque hujuſmodi, quibus Chriſtianos, & Catholicos impugnant; nec non illos, qui per ſe, vel alios de rebus ſtatum Chriſtianæ Reipublicæ concernentibus in Chriſtianorum perniciem, & damnum, ipſos Turcas, & Chriſtianæ Religionis inimicos, necnon Hæreticos in damnum Catholicæ Religionis certiores faciunt; illiſque ad id auxilium, conſilium, & favorem quomodolibet præſtant &c.* Ex quibus verbis patet ſub hac cenſura comprehendi etiam cooperantes tam phyſice, quam moraliter mandato, conſilio, vel alio quocumque modo quamvis indirecto, quo infidelibus faveatur contra fideles. Sed quia poteſt contingere, ut favor præſtetur infidelibus hoſtibus, vel non hoſtibus, ſponte, vel coacte; difficultas eſt in his caſibus, an ſemper cenſura incurratur, vel non. Pro quo hæc traditur diſtinctio:

Si

Si infidelibus favetur ſponte, excommunicatio incurritur, quoties infideles ſunt hoſtes fidelium.
Si infidelibus hoſtibus favetur coacte, excommunicatio incurritur, quoties ſine tali favore damnum fidelibus non eſſet ſecuturum.
Alias non incurritur.

Ratio quoad favorem præſtitum ſponte infidelibus eſt; quia ita conſtat ex verbis Bullæ ſupra relatis. Quo vero ad favorem eiſdem præſtitum coacte; quia eatenus Eccleſia obligat cum tanto incommodo, quatenus concurrit jus naturale boni publici, quod eſt præferendum privato, ut eſt quando alias ex favore præſtito non eſſet fidelibus damnum ſecuturum.

Unde reſolvitur.

Qui per ſe, vel per alios adjuvant Saracenos, Turcas, Lutheranos, Calviniſtas, alioſque Hæreticos generaliter declaratos, armis, victualibus, induſtriis, revelatione ſecreti (quamvis hoc aliunde reſciatur, nec damnum inde ſequatur, dummodo ſequi poſſit) & quocumque alio modo tam directo, quam indirecto, quo uti poſſint contra Catholicos, etiamſi cum ipſis ſint fœderati, neque id faciant prava intentione, incurrunt excommunicationem; quia tales infideles ſunt hoſtes fidelium. *Bonac de cenſ. Bullæ Cœnæ, diſp. 2. q. 8. punct. 5. n. 8. ſequentib. & punct. 3. n. 1. & ſeqq.* Secus vero ſi Turcas, vel Hæreticos adjuvent contra alios infideles, dummodo hoc cedere non poſſit in damnum Chriſtianorum, vel adjuvent Gentiles ubi Chriſtianos non poſſunt impugnare; quia in his caſibus infideles non ſunt hoſtes fidelium. *Sayrus de cenſ. lib. 3, c. 11. n. 33.*

Qui cogitur ab infidelibus metu cadente in conſtantem virum ad fabricanda arma, vel ad paranda victualia, vel ad remigandum, vel ad alium favorem præſtandum contra Chriſtianos, quibus præjudicium ceſſaret, ſi ipſi ab eo favore deſiſterent, incurrunt excommunicationem; quia licet infidelibus faveant coacte, Chriſtianis tamen ſine tali favore damnum non eſſet ſecuturum. Secus autem ſi ipſis a favore deſiſtentibus adhuc Chriſtianis idem immineret præjudicium; quia tunc ſine tali favore adhuc fidelibus eſſet damnum ſecuturum. *Suar. de cenſ. diſp. 21. ſect. 2. n. 62.*

§. X. *De Excommunicatione contra impedientes delationem victualium ad Romanam Curiam. In Bulla*, §. 8.

Excommunicatio lata contra impedientes, ne victualia, aut alia neceſſaria deferantur ad Romanam Curiam (per quam intelligitur locus ubi Summus Pontifex cum ſuis officialibus moratur, etiamſi ſit extra Romam) exprimitur *in Bulla*, §. 8. his verbis: *Excommunicamus omnes impedientes eos, ſeu invadentes eos, qui victualia, ſeu alia ad uſum Romanæ Curiæ neceſſaria adducunt, ac etiam eos, qui ne ad Romanam Curiam adducantur, vel afferantur, prohibent, impediunt, ſeu perturbant, ſeu hæc facientes defendunt per ſe, vel alios cujuſcumque fuerint ordinis, præeminentiæ, conditionis, & ſtatus, etiamſi Pontificali, ſeu Regali &c. præfulgeant dignitate* -- Ex quibus verbis patet, ſub hac cenſura comprehendi non ſolum impedientes, ſed etiam eorum facto cooperantes tam phyſice, quam moraliter cujuſcumque gradus, vel conditionis exiſtant. Sed quia non ſemper ac victualia impediuntur, excommunicatio incurritur; ad dignoſcendum quando incurratur, vel non; hæc traditur diſtinctio:

Si victualia impediuntur ex cauſſa juſta, excommunicatio non incurritur unquam.

Si impediuntur ſine cauſſa juſta, excommunicatio incurritur, quoties ex titulo Curiæ Romanæ impediuntur poſitive.

Alias non incurritur.

Ratio eſt: quia quando impedimentum datur ex cauſſa juſta, cum tunc non adſit culpa, neque debet adeſſe pœna. Quando vero datur ſine cauſſa juſta, cum verba Bullæ accipienda ſint formaliter, ideſt quatenus ad Romanam Curiam ſit victualium delatio, requiritur, ut eo titulo impedimentum detur, quod tamen cum ex terminis importet actionem, eatenus cenſetur dari, quatenus ad ipſam poſitive concurritur.

Unde reſolvitur.

Qui per ſe, vel per alios prohibet, vel quocumque modo impedit, ne ad Romanam Curiam deferantur victualia, vel alia neceſſaria ad eumdem uſum, ſed id facit vel quia iis indiget locus, ex quo deferuntur, vel quia ſunt corrupta,

vel

vel quia de iis ſolvendum eſt vectigal, aut ſatisfaciendum eſt Creditoribus, vel quia in Romana Curia graſſatur peſtilentia, vel ex alio rationabili motivo, non incurrit excommunicationem; quia tunc impedit ex cauſſa juſta. Idem dicendum eſt, ſi quis retineat victualia aliunde deferenda ad Romanam Curiam dum tranſeunt per ſuum locum, in quo laboratur neceſſitate gravi, dummodo pari non laboretur etiam in Curia Romana; quia tunc quoque impedit ex cauſſa juſta. *Bonac. de cenſ. in Bulla Cœnæ, diſp. 1. q. 9. punct. 2. a n. 8. uſque ad* 20.

Qui invadit deferentem victualia ad Romanam Curiam, ut de eo vindictam ſumat, vel ex ejuſdem ſpoliatione lucrum reportet, non incurrit excommunicationem; quia licet impediat inique; non tamen impedit ex titulo Curiæ Romanæ. E contra excommunicationem incurrit, ſi eum invadat, ne victualia, vel alia deferat ad Curialem etiam ex motivo inimicitiæ; quia cum tunc ea impediat tamquam deferenda ad Curialem; motivum inimicitiæ non tollit, quin etiam impediat ex titulo Curiæ Romanæ. *Bonac. loc. cit. n.* 9. 10. & 14.

Qui non vult donare, vel vendere victualia deferenda ad Romanam Curiam etiam eo titulo, ne ad ipſam deferantur, vel permittit eorum delationem ab aliis impediri (dummodo permiſſio non habeat vim mandati, vel auxilii taciti) non incurrit excommunicationem; quia cum ſolum negative ſe habeat, non impedit poſitive. Secus vero ſi per metum incuſſum, per mendacia, aut fraudes ſit in cauſſa, ne ex aliis emantur, aut ne deferantur; quia tunc quamvis indirecte, impedit tamen poſitive. *Bonac. loc. cit. punct.* 1. *n.* 3. & 4.

§. XI. *De Excommunicatione contra offenſores accedentium ad Romanam Curiam, vel ex ea recedentium, vel in ea commorantium: in Bulla* §. 9.

Excommunicatio lata contra offendentes eos, qui accedunt ad Romanam Curiam, vel ex ea recedunt, vel in ea commorantur, exprimitur *in Bulla* §. 9 his verbis -- *Excommunicamus omnes illos, qui ad Sedem Apoſtolicam venientes, & recedentes ab eadem, ſua, vel aliorum opera interficiunt, mutilant, ſpoliant, capiunt, detinent: nec non illos omnes, qui juriſdictionem ordinariam, vel delega-*

tam a nobis, vel noſtris Judicibus non habentes, illam ſibi temere vindicantes ſimilia contra morantes in eadem Curia audent perpetrare. Ex quibus verbis patet ſub hac cenſura comprehendi etiam manhantes, non vero conſulentes, aut alios, dummodo injuſte ſequatur aliqua ex quinque offenſis expreſſis in Bulla, quæ ſunt interfectio, mutilatio, ſpoliatio, captura, ac detentio, cum omnis alia offenſa, quæcumque ea ſit, non ſubjiciatur huic cenſuræ utpote latæ ſolum pro quinque enumeratis, inter quas cum una ſit mutilatio, per ipſam intelligitur abſciſſio membri vitalis corporis viventis. Sed quia non ſemper ac accedentes ad Romanam Curiam, vel ex ea recedentes, aut in ea commorantes aliquo ex prædictis modis injuſte offenduntur, hæc excommunicatio incurritur; ad dignoſcendum quando incurratur, vel non; hæc traditur diſtinctio:

Si offenduntur accedentes, vel recedentes, excommunicatio incurritur, quoties accedunt, vel recedunt ob negotia ad Romanam Curiam ſpectantia.

Si offenduntur commorantes, excommunicatio incurritur, quoties contra ipſos ibidem negotio detentos offenſa fit auctoritative.

Alias non incurritur.

Ratio quoad accedentes, vel recedentes eſt; quia cum iſti in Bulla exprimantur in ordine ad Sedem Apoſtolicam; hæc ob ſola negotia ad ipſam ſpectantia cenſetur voluiſſe eorum indemnitati conſulere: Quo vero ad ibi commorantes ob eadem negotia; quia cum in Bulla caveatur ſolum, ne ita offendantur per juriſdictionem uſurpatam; hæc eatenus cenſetur uſurpari, quatenus offenſa in eos fit auctoritative.

Unde reſolvitur.

℞ Qui injuſte interficit, vel mutilat, vel ſpoliat, vel capit, aut detinet per ſe, vel per alium in via vel in hoſpitio tam fidelem, quam infidelem, aliquem de ejus comitatu quando accedit ad Romanam Curiam, vel ex ea recedit ob gratiam, aut juſtitiam ſibi concedendam a Pontifice, aut ejus miniſtris in rebus, tam ſpiritualibus, quam temporalibus, etiamſi non offendat quatenus venientem ad Sedem Apoſtolicam, vel captum, aut detentum poſtea dimittat, vel ſpoliato res ablatas re-

reſtituat (niſi adſit parvitas materiæ) incurrit excommunicationem ; quia offendit aliquo ex modis in Bulla expreſſis accedentem ad Romanam Curiam, vel ex ea recedentem ob negotia ad ipſam ſpectantia. Secus autem ſi ſolum percutiat, aut vulneret, dummodo mors non ſequatur, nec membrum abſcindatur ; quia tunc non interficit, nec mutilat, vel ei fraudulenter res aufert ; quia tunc ceſſante vi non ſpoliat, vel capit, aut detinet auctoritate publica ; quia tunc non facit injuſte, vel offendit ipſum quando accedit, vel recedit ex curioſitate, vel etiam ex pietate, quia tunc non eſt ob negotia, vel ſi eſt ob negotia, hæc tamen non ſint agenda apud Pontificem, aut ejus miniſtros ; quia tunc non eſt ob negotia ad Romanam Curiam ſpectantia. *Caſtropal. de cenſur. diſp.* 3. *punct.* 20.

Qui aliquo ex dictis modis offendit commorantem in Curia Romana ob negotia ad ipſam ſpectantia tamquam Judex, aut alter miniſter publicus quando talis non eſt (dummodo hoc non faciat ex ignorantia quamvis vincibili, cum tunc non faciat temere) incurrit excommunicationem ; quia tunc eum offendit auctoritative. Secus autem ſi hoc faciat tamquam perſona privata (ad differentiam offendentis accedentem, vel recedentem, in quo non fit hæc exceptio, etiamſi commorantem offendat in odium Sedis Apoſtolicæ ; quia tunc eum non offendit auctoritative. *Sayrus de cenſ. lib.* 3. *cap.* 13. *n.* 4. *Vide Bonac. de cenſur. Bulla Cœnæ*, *diſp.* 1. *q.* 10.

§. II. *De Excommunicatione contra offendentes Romipetas. In Bulla*, §. 10.

Excommunicatio lata contra offendentes Romipetas, ſeu peregrinos ad Urbem exprimitur *in Bulla*, §. 10. his verbis -- *Excommunicamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes, ſeu deprædantes Romipetas, ſeu peregrinos ad Urbem cauſſa devotionis, ſeu peregrinationis accedentes, & in ea morantes, vel ab ipſa recedentes, & in his dantes auxilium, conſilium, vel favorem*. Ex quibus verbis patet, ſub hac cenſura comprehendi omnes cooperantes, non vero ratum habentes, cum ratihabitio ſit poſterior facto, dummodo injuſte ſequatur aliqua ex ſex offenſis enumeratis in Bulla, quæ ſunt interfe-

ctio, mutilatio, vulneratio, detentio, captura, ac deprædatio, cum omnis alia offenſoi utpote non expreſſa non ſubjiciatur huic cenſuræ. Sed quia etiamſi aliquo ex dictis modis offendantur Romipetæ accedentes ad Urbem, vel in ea commorantes, vel ab ea recedentes, adhuc tamen non ſemper excommunicatio incurritur ;' ad dignoſcendum quando incurratur, vel non ; hæc traditur diſtinctio:

Si Romipetæ offenduntur accedentes, excommunicatio incurritur, quoties accedunt ex devotione.

Si offenduntur commorantes, excommunicatio incurritur, quoties Romam ex devotione profecti, ibidem permanere non intendunt.

Si offenduntur recedentes, excommunicatio incurritur, quoties devotione peracta non abſolverunt iter.

Alias non incurritur.

Ratio quoad accedentes eſt ; quia in Bulla exprimitur cauſſa devotionis. Quoad commorantes ; quia ſi non ſunt profecti ex devotione, ceſſat privilegii motivum, & ſi intendunt permanere, deſinunt eſſe peregrini. Quo vero ad recedentes ; quia ſi devotio non eſt peracta, non habet locum privilegium ob eamdem conceſſum, & ſi iter eſt abſolutum, non cenſetur amplius receſſus.

Unde reſolvitur.

Qui injuſte interficit, vel mutilat, vel vulnerat, vel retinet, vel capit, vel deprædatur tam facto, quam mandato, conſilio, auxilio, aut alia cooperatione non ſolum fideles, ſed etiam infideles quando volunt converti, vel eorum familiares comitantes, qui accedunt Romam, vel ſolum ad Eccleſias extra ejus mœnia poſitas, ut ibi aliquod opus pietatis exerceant (etiamſi ea occaſione intendant alia negotia peragere, dummodo hæc non ſint motivum, ſine quo non accederent) excommunicationem incurrit ; quia offendit aliquo ex modis in Bulla expreſſis Romipetas accedentes ex devotione. Secus vero ſi ſolum percutiat quamvis graviter, ſed non ita, ut mors, aut vulnus ſequatur, ſeu ex contuſione neceſſe ſit partem percuſſam ſciſſione curari ; quia tunc non vulnerat : vel ipſis ſurripiat aliquid non violenter, ſed fraudulenter, quia tunc non deprædatur : vel ipſos

ipſos interficiat, mutilet, detineat, aut capiat tamquam malefactores auctoritate publica; quia tunc eos non offendit injuſte; vel ſi offendit injuſte, ipſi tamen Romam accedant ex curioſitate, aut ex negotio temporali, (dummodo hoc non ſpectet ad Curiam, cum eo caſu incurratur alia excommunicatio juxta dicta §. *præcedenti*) quia tunc non accedunt ex devotione. *Bonac. de cenſur. in Bulla Cœnæ, diſp.* 1. *qu.* 11. *punct.* 1. *n.* 3. 9. 14. & *punct.* 2. *n.* 2. & *punct.* 3. *n.* 5. 7. & 23. Qui aliquo ex dictis modis offendit non ſolum extraneos, ſed etiam Romam ex alio tamen loco devotionis cauſſa profectos, & ad eumdem reverſuros, dum Romæ peracta, vel peragenda devotione morantur, incurrit excommunicationem; quia offendit Romipetas ex devotione perfectos, & in Urbe commorantes. Secus vero ſi devotione peracta, inde animum diſcedendi non habeant, etiamſi hoc faciant, ut frequentius loca ſacra venerentur; quia tunc ibidem permanere intendunt. *Cajetan. in Sum. verb. excom. cap.* 13.

Qui aliquo ex dictis modis offendit peregrinos Roma redeuntes etiam in locis, ad quæ in itinere ob alia negotia diverterunt (quod idem dicendum eſt in acceſſu, etiamſi retrogrediantur ad domum, ut aliquid ſumant pro itinere, quod cenſetur perdurare) incurrit excommunicationem; quia offendit Romipetas recedentes. Secus vero ſi eos redeuntes offendat quando Romæ nulla pietatis opera præſtiterunt (dummodo non fuerint legitime impediti, cum ſine culpa privilegio privari non debeant); quia tunc devotio non eſt peracta; vel eoſdem offendat poſtquam reverſi ſunt in patriam, vel devenerunt ad alium locum, in quo intendunt permanere; quia tunc abſolverunt iter. *Filliuc. tractat.* 16. *n.* 121.

§. XIII. *De Excommunicatione contra offendentes Cardinales alioſque Prælatos. In Bulla* §. 11.

Excommunicatio lata contra offendentes Cardinales Eccleſiæ Romanæ, alioſque Prælatos exprimitur *in Bulla*, §. 11. his verbis: *Excommunicamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hoſtiliter inſequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Sedis*

Apoſtolicæ Legatos, vel Nuncios, aut eos a ſuis Diœceſibus, Territoriis, Terris, ſeu Dominiis ejicientes; nec non ea mandantes, vel rata habentes, ſeu præſtantes in eis auxilium, conſilium, vel favorem. Ex quibus verbis patet, ſub hac cenſura comprehendi non ſolum omnes cooperantes delicto, ſed etiam id ratum habentes, dummodo contra Cardinales, ceteroſque Prælatos injuſte ſequatur aliqua ex novem offenſis in Bulla enumeratis, quæ ſunt interfectio, mutilatio, vulneratio, percuſſio, captura, carceratio, detentio, hoſtilis inſecutio (ideſt ad læſionem, vel capturam,) ac ejectio (ideſt a locis, in quibus Prælati habent aliquam jurisdictionem ſpiritualem, aut temporalem, vel in quibus ſunt nati, aut domicilium habent; ut docet *Suarez de cenſur. diſp.* 21. *ſect.* 2. *n.* 70.). Cum igitur ex ſuperius dictis facile dignoſcatur quando excommunicatio incurritur, dum contra prædictos aliqua ex numeratis offenſis facto, vel cooperatione exercetur; ſolum difficultas eſt quandonam incurratur, dum offenſa ab aliis facienda permittitur, vel facta approbatur. Pro quo hæc traditur diſtinctio:

Si offenſa permittitur contra Cardinales, excommunicatio incurritur ſemper; contra alios Prælatos, quoties permiſſio eſt cauſſa, ut fiat.

Si offenſa contra eoſdem approbatur, excommunicatio incurritur, quoties eſt facta nomine approbantis.

Alias non incurritur.

Ratio quoad permiſſionem eſt; quia ſi offenſa eſt contra Cardinales, excommunicatio extenditur etiam ad non revelantes, juxta *Conſtit.* 93. *Pii V.* quæ incipit -- *Infelicis Sæculi* -- ſi autem eſt contra alios Prælatos, cum in Bulla Cœnæ excommunicatio ſit lata contra præſtantes favorem, eatenus hic cenſetur præſtari, quatenus permiſſio influit in offenſam faciendam. Quo vero ad approbationem; quia cum in Bulla Cœnæ exprimatur ratihabitio; hæc in materia pœnali intelligenda eſt diſtricte ſumpta, ideſt de approbatione offenſæ nomine approbantis factæ, juxta *regulam* 9. *de regulis Juris in* 6.

Unde reſolvitur.

Qui habet aliquam notitiam etiam ex conjectutis

ſturis de conſpiratione in offenſam alicujus Cardinalis, eamque non denunciat, quamvis correctione non præmiſſa, nec effectu ſecuto, aut ſecuturo, incurrit excommunicationem; quia non denunciando permittit offenſam contra Cardinalem. Idem dicendum eſt, ſi ignorata conſpiratione poſſit alio modo offenſam impedire, & non impediat, quamvis non teneatur ex officio, ac mere negative ſe habeat; quia quando agitur de Cardinali, a fortiori militat eadem ratio. *Bonac. de cenſ. in Bulla Cœnæ, diſp 1. q. 12. punct. 3. n. 15.*

Qui permittit Epiſcopum etiam excommunicatum, aut turpiter inventum, dummodo conſecratum, vel Legatum, aut Nuncium Apoſtolicum interfici, mutilari, vulnerari, percuti, capi, carcerari, detineri, hoſtiliter tractari, aut ejici juxta ſuperius dicta, incurrit excommunicationem, ſi ex officio id tenetur prohibere, & non prohibet, vel ſi non tenetur prohibere, ex ſua tamen omiſſione delinquentes reddantur animoſiores, ac promptiores ad inferendam offenſam; quia tunc ejus permiſſio eſt cauſſa ut fiat. Secus vero ſi non tenetur prohibere, nec ex omiſſione delinquentes audaciores evadant; quia tunc ejus permiſſio non eſt cauſſa, ut fiat offenſa *Bonac. loc. cit. n. 14.*

Qui aliquam ex prædictis offenſis factam contra Cardinalem, vel alium Prælatum ratam habet, etiamſi antea improbaverit, incurrit excommunicationem, ſi in ſui contemplationem fuit illata; quia tunc approbat offenſam ſuo nomine factam. Secus autem, ſi fuit illata in contemplationem alterius, vel nullius, & ipſe eam laudet; quia tunc licet approbet offenſam, hæc tamen non fuit ſuo nomine facta. *Suar. de cenſ. diſp. 21. ſect 2. n. 71.*

§. XIV. *De Excommunicatione contra offenſores recurrentium ad Romanam Curiam. In Bulla*, §. 12.

Excommunicatio lata contra offendentes eos, qui recurrunt ad Romanam Curiam pro cauſſis, aliiſque negotiis, exprimitur *in Bulla*, §. 12. his verbis: *Excommunicamus omnes illos, qui per ſe, vel per alios, perſonas Eccleſiaſticas quaſcumque, vel Sæculares ad Romanam curiam ſuper eorum cauſſis, & negotiis recurrentes, ac illa in eadem Curia proſequentes, aut procurantes, negotiorum geſtores, Advocatos, Procuratores, & Agentes, ſeu etiam Audi-*

tores, vel Judices ſuper dictis cauſſis, vel negotiis Deputatos, occaſione cauſſarum, vel negotiorum hujuſmodi, occidunt, ſeu quoquo modo percutiunt, bonis ſpoliant, ſeu qui per ſe, vel per alios directe, vel indirecte delicta hujuſmodi committere, exequi, vel procurare, aut eiſdem auxilium, conſilium, vel favorem præſtare non verentur, cujuſcumque præeminentiæ, & dignitatis fuerint. Ex quibus verbis patet hanc cenſuram eſſe ampliorem illa, quæ lata eſt contra offenſores accedentium, recedentium, vel commorantium in Romana Curia; juxta ſuperius dicta §. 11. cum extendatur etiam ad conſulentes, aliosque cooperatores tam directe, quam indirecte (quorum tamen nomine non veniunt ratum habentes, nec permittentes, niſi præſtent auctoritatem delinquentibus) non ſolum ſi offendant recurrentes, ſed etiam eorum Procuratores, ac Judices, dummodo contra eos injuſte ſequatur aliqua ex tribus offenſis in Bulla enumeratis, quæ ſunt interfectio, percuſſio, & bonorum ſpoliatio in materia notabili, cum omnis alia offenſa utpote non expreſſa non ſubjiciatur huic cenſuræ, quamvis poſſit ſubjici alteri, ſi offendantur ipſi recurrentes, quando accedunt, vel recedunt, aut commorantur in Romana Curia, ut dictum eſt ſupra. Sed quia non ſemper ac contra prædictos fit aliqua ex numeratis offenſis, excommunicatio incurritur; ad dignoſcendum quando incurratur, vel non; hæc traditur diſtinctio:

Si offenduntur recurrentes, excommunicatio incurritur, quoties offenſa fit ob recurſum ad Romanam Curiam.

Si offenduntur eorum Procuratores, aut Judices, excommunicatio incurritur, quoties offenſa fit ob cauſſam pendentem in Romana Curia.

Alias non incurritur.

Ratio quoad offenſam contra recurrentes eſt; quia cum in Bulla dicatur -- *occaſione cauſſarum* per ea verba indicatur motivum offenſæ, ſcilicet recurſus ad Romanam Curiam. Quo vero ad offenſam contra eorum Procuratores, aut Judices; quia cum verba Bullæ eos exprimant *in eadem Curia ſuper dictis cauſſis deputatos*, eatenus tales cenſentur, quatenus cauſſa apud ipſos pendet in Romana Curia.

Un-

Unde reſolvitur.

Qui injuſte interficit, percutit, aut ſpoliat bonis mobilibus, vel immobilibus aliquem etiam excommunicatum, vel infidelem, qui per ſe, vel per litteras, vel per procuratores recurrit ad Romanam Curiam ubicumque ea ſit, & recurrens moretur, vel ita offendi mandat, conſulit, aut alio modo procurat, tam directe offendendo ipſum, quam indirecte offendendo ejus conſanguineos, non alia de cauſſa, quam facti, vel faciendi recurſus etiam injuſti in cauſſis tam ſpiritualibus, quam temporalibus ad Summum Pontificem, vel ad Miniſtros ab ipſo conſtitutos, incurrit excommunicationem; quia talis offenſa eſt de enumeratis in Bulla, & fit ob recurſum ad Romanam Curiam. Secus vero ſi ſolum verbis contumelioſis eum afficiat aut minetur necare; quia tunc non interficit, nec percutit; vel furtive ei aliquid ſubtrahit, quia tunc ceſſante vi eum non ſpoliat; vel ſi interficit, percutit, aut ſpoliat, hoc faciat ex vindicta alicujus injuriæ ſibi illatæ; quia tunc offenſa non fit ob recurſum; vel hic non ſit factus ad Pontificem, aut ejus Miniſtros, ſed ad alios; quia tunc non fit ob recurſum ad Romanam Curiam. *Caſtrop. de cenſur. 3. punct. 13. num. 13.*

Qui aliquo ex dictis modis offendit, ſeu offendi mandat, conſulit, aut alia cooperatione etiam indirecte procurat Patronos, Advocatos, ceteroſque Agentes illius, qui recurrit ad Romanam Curiam, vel Judices, aut Auditores, apud quos agitur cauſſa, eoſque ita offendit, ſeu offendi curat ex motivo ejuſdem Cauſſæ; incurrit excommunicationem; quia tunc offenſa contra Procuratores, aut Judices fit ob cauſſam pendentem in Rom. Curia. Secus vero ſi offenſa in eos fiat ex alio motivo, ut ex vindicta alicujus injuriæ; quia tunc non fit ob cauſſam; vel hæc ſit terminata; quia tunc non fit ob cauſſam pendentem; vel hæc ſit remiſſa ad Judices in partibus (dummodo pro ea non ſint ſpecialiter deputati a Pontifice); quia tunc non fit ob Cauſſam pendentem in Romana Curia. *Caſtrop. loco cit. num. 6. Vide Bonac. de cenſur. in Bulla Cœnæ, diſp. 1. quæſt. 13.*

§. XV.

§. XV. *De Excommunicatione contra recurrentes a litteris Apoſtolicis ad poteſtatem laicam. In Bulla, §. 13.*

Excommunicatio lata contra eos, qui a litteris Apoſtolicis recurrunt ad poteſtatem laicam exprimitur *in Bulla*, §. 13. his verbis: *Excommunicamus omnes tam Eccleſiaſticos, quam Sæculares cujuſcumque dignitatis, qui prædecentes frivolam quamdam appellationem a gravamine, vel futura executione litterarum Apoſtolicarum etiam in forma Brevis tam gratiam, quam juſtitiam concernentium: nec non citationum, inhibitionum, ſequeſtrorum, monitoriorum, proceſſuum, executorialium, & aliorum decretorum a nobis, & a Sede prædicta, ſeu Legatis, Nunciis, Præſidentibus Palatii noſtri, & Cameræ Apoſtolicæ Auditoribus, Commiſſariis, aliiſque Judicibus, & Delegatis Apoſtolicis emanatorum, & quæ pro tempore emanaverint, aut alias, ad Curias Sæculares, & laicam poteſtatem recurrunt, & ab ea inſtante etiam Fiſci Procuratore, vel Advocato appellationes hujuſmodi admitti, ac litteras, citationes, inhibitiones, ſequeſtra, monitoria, & alia prædicta capi, & retineri faciunt.* Ex quibus verbis patet per litteras Apoſtolicas intelligi non ſolum Bullas aut Brevia, ſed quæcumque alia ſcripta, aut reſcripta emanata a Papa, vel ab ejuſdem officialibus ſupra recenſitis. Cum igitur hæc excommunicatio ſit lata tam contra recurrentes a litteris Apoſtolicis ad poteſtatem laicam, quam contra ipſorum fautores; ad dignoſcendum, an ſemper ab utriſque incurratur, vel non; hæc traditur diſtinctio:

Si ſit recurſus a litteris Apoſtol. ad poteſtatem laicam, excommunic. incurritur a recurrentibus ſemper.

Si favetur eidem recurſui, excomunicatio incurritur a fautoribus, quoties recurſum admitti, vel litteras capi, aut retineri a laica poteſtate faciunt.

Alias non incurritur.

Ratio quoad recurrentes eſt; quia cum in Bulla dicatur -- *omnes, qui ad Curias Sæculares, vel laicam poteſtatem recurrunt* -- hæc verba utpote generalia intelligenda ſunt de omni caſu. Quo vero ad fautores; quia cum in eadem Bulla dicatur -- *Qui appellationes hujuſmodi admitti, & lit-*

litteras capi, vel teneri faciunt -- hæc verba utpote reſtricta ad caſus expreſſos non ſunt intelligenda de aliis.

Unde reſolvitur.

Quicumque, & cujuſcumque dignitatis, exiſtat, quia a Bullis, Brevibus, citationibus, inhibitionibus, ſequeſtris, Monitoriis, Proceſſibus, Executorialibus, ſupplicationibus ſignatis, aliiſque decretis, ac reſcriptis emanatis a Papa, vel ab ejuſdem officialibus (quales ſunt Legati, Nuncii, Congregationes Cardinalium quando agunt nomine Papæ, Præſidentes Palatii, id eſt Camerarius, Auditor, & Clerici Cameræ Apoſtolicæ, aliique Judices a Pontifice tamquam ſui Miniſtri deputati) appellat, vel quocumque modo recurrit in cauſſis tam ſpiritualibus, quam temporalibus ad quodcumque Tribunal laicale, etiam in temporali ditione Papæ conſtitutum, vel ad quemcumque Principem Sæcularem, quamvis recurſus non admittatur, vel fiat ex defenſione uſquequo poſſit adiri Summus Pontifex (cum non deſint alii Prælati Eccleſiaſtici) vel de tali recurſu adſit conſuetudo inveterata (cum hæc induci legitime nunquam poſſit) incurrit excommunicationem, qui a litteris Apoſtolicis recurrit ad poteſtatem laicam. Secus vero ſi litteræ non ſint emanatæ a Papa, vel ab ejuſdem Officialibus, ſed ab aliis Prælatis Eccleſiaſticis (in quo caſu incurritur alia excommunicatio lata *in c. quoniam, de immunit. Eccleſ. in* 6. dummodo eorum juriſdictio impediatur); quia tunc non recurrit a litteris Apoſtolicis; vel pro auxilio confugiat ad perſonam privatam; quia tunc non recurrit ad poteſtatem; vel pro eo confugiat ad Epiſcopum, aut ad alium Prælatum quamvis Principem, dummodo quatenus Eccleſiaſticum; quia tunc non recurrit ad poteſtatem laicam. *Bonac. de cenſur. Bullæ Cœnæ, diſp.* 1. *q.* 14. *punct.* 1.

Quicumque Judex, Advocatus, Procurator, vel alter, qui mandato, adjutorio, aut alio favore eſt in cauſſa, ut Tribunal Sæculare, vel Princeps temporalis aſſiſtat recurrenti contra litteras Apoſtolicas, vel ut eas capiat, aut retineat, incurrit excommunicationem; quia recurſum admitti, vel litteras capi, aut retineri

facit.

facit. Secus autem ſi ſolum id ratum habeat (dummodo non ſit Judex, vel Princeps, ad quem eſt factus recurſus) quia tunc non cenſetur facere; vel aſſiſtentia incurrenti non detur, nec quidpiam contra litteras agatur; quia tunc nec recurſum admitti, nec litteras Apoſtolicas capi, aut retineri facit. *Bonac. loco cit. punct. 1. num. 1. & 2. punct. 2. num. 11. & 12.*

§. XVI.

De Excommunicatione contra impedientes litterarum Apoſtolicarum executionem. In Bulla, §. 13.

Excommunicatio lata contra impedientes litterarum Apoſtolicarum executionem exprimitur *in Bulla*, §. 13. his verbis -- *Excommunicamus &c. qui litteras, citationes, inhibitiones, ſequeſtra, monitoria, & alia prædicta capi, & retineri faciunt, quive illa ſimpliciter, vel ſine eorum beneplacito, & conſenſu, vel examine executioni demandari, aut ne Tabelliones, & Notarii ſuper hujuſmodi litterarum proceſſuum executione, inſtrumenta, vel acta conficere, aut confecta parti, cujus intereſt, tradere debeant: impediunt, vel prohibent, ac etiam partes, ſeu eorum Agentes, conſanguineos, affines, familiares, Notarios, executores, ſub executores litterarum, Citationum, Monitoriorum, & aliorum prædictorum capiunt, percutiunt, vulnerant, carcerant, detinent, ex Civitatibus, locis, & Regnis ejiciunt, bonis ſpoliant, perterrefaciunt, concutiunt, & comminantur per ſe, vel per alium, ſeu alios publice, vel occulte*. Ex quibus verbis patet, huic cenſuræ ſubjici impedientes tam per ſe, quam per alios, vel impediant directe, vel indirecte. Sed quia poteſt contingere, ut litterarum Apoſtolicarum executio impediatur cum cauſſa, vel ſine cauſſa juſta non ſolum a poteſtate laica, ſed etiam ab Eccleſiaſtica; difficultas eſt, an, & quando ab utraque excommunicatio incurratur, vel non. Pro quo hæc traditur diſtinctio:

Si litterarum Apoſtolicarum executio impeditur a poteſtate laica, excomunicatio incurritur ſemper.

Si impeditur a poteſtate Eccleſiaſtica, excommunicatio incurritur, quoties fit ſine cauſſa juſta.

Alias

Alias non incurritur.

Ratio quoad poteſtatem laicam eſt; quia ab hac principaliter cavetur in Bulla, ne ſibi juriſdictionem uſurpet. Quo vero ad poteſtatem Eccleſiaſticam; quia licet hæc etiam comprehendatur in verbis Bullæ ſupra relatis utpote generalibus; cenſetur tamen comprehendi juxta diſpoſitionem juris *in c. ſi quando, de reſcrip.*

Unde reſolvitur.

Si Princeps, Magiſtratus, Judex temporalis, & quicumque laicus per ſe, vel per alios, auctoritate publica, vel privata prohibet, aut impedit, ne litteræ Apoſtolicæ executioni mandentur, quamvis ad tempus donec ab ipſo examinentur etiam in caſu quo putet eſſe ſurreptitias (cum tunc debeat recurrere ad Prælatum Eccleſiaſticum,) vel ob id vexat, aut perterrefacit eos, qui ipſas obtinuerunt, aut eorum conſanguineos, affines, familiares, aut alio modo indirecto earumdem executioni opponitur etiam effectu non ſecuto, incurrit excommunicationem; quia cum ſit poteſtas laica, litterarum Apoſtolicarum executionem impedit. *Bonac. de cenſur. Bulla Cœnæ, diſp.* 1. *quæſt.* 14. *punct.* 2. *propoſ.* 2. Secus autem ſi Princeps velit eas recognoſcere, non tamen auctoritative, ſed ſolum ut ſciat, an extent; vel miniſter, aut alter, cui diriguntur, nolit eas exequi, vel inſtrumenta conficere, etiamſi renuat ad expectandum laicæ poteſtatis aſſenſum; quia licet tunc litteras non exequatur, cum tamen ſolum negative ſe habeat, non cenſetur, quod earum executionem impediat. *Caſtropal. de cenſur. diſp.* 3. *punct.* 14. *n.* 10. *& ſeqq.*

Si Epiſcopus, vel alter Prælatus Eccleſiaſticus aliquo ex dictis modis facit, ne litteræ Apoſtolicæ ſuum ſortiantur effectum, incurrit excommunicationem; quia quamvis ſit poteſtas Eccleſiaſtica, adhuc earum executionem impedit. *Filiuc. tract.* 16. *n.* 202. Secus vero ſi id faciat quando putat eſſe ſurreptitias, vel inde rationabiliter timet quoad periculum, aut ſcandalum imminens, ideoque earum executionem ſuſpendat quouſque conſulat Pontificem; quia licet tunc impediat, adeſt tamen cauſſa juſta

Azor.

Azor. Inſtit. moral. part. 1. lib. 5. cap. 14. verſ. 4.

§. XVII. *De excommunicatione contra prohibentes acceſſum ad Romanam Curiam pro litteris, aliiſque negotiis. In Bulla, §. 13.*

Excommunicatio lata contra eos, qui prohibent acceſſum ad Romanam Curiam pro impetrandis litteris Apoſtolicis, aliiſque negotiis in ea peragendis, exprimitur *in Bulla*, §. 13. his verbis -- *Excommunicamus &c. quive aliis quibuſcumque perſonis in genere, vel in ſpecie, ne pro quibuſvis eorum negotiis proſequendis, ſeu gratiis vel litteris impetrandis ad Romanam Curiam accedant, aut recurſum habeant, ſeu gratias ipſas, vel litteras a dicta Sede impetrent, ſeu impetratis utantur directe, vel indirecte probibere, ſtatuere, ſeu mandare, vel eas apud ſe, aut Notarios, ſeu Tabelliones, vel alias quomodolibet retinere præſumunt.* -- Ex quibus verbis patet, huic cenſuræ ſubjici non ſolum hos qui prohibent, ne quis accedat ad Romanam Curiam pro litteris impetrandis, ſed etiam eos, qui ipſarum impetrationem, vel executionem alio quovis modo impediunt, etiam indirecte vexantes conſanguineos, vel alio quæſito colore per fraudem procurantes, ne tales litteræ impetrentur, aut executioni mandentur. Cum igitur de excommunicatione contra impedientes ipſarum executionem dictum ſit ſupra, hic ſolum reſtat dicendum de ea, quæ eſt lata contra impedientes earumdem impetrationem, prohibendo ſcilicet acceſſum ad Romanam Curiam pro his, aliiſque negotiis, an & quando incurratur, vel non. Pro quo hæc traditur diſtinctio:

Si acceſſus ad Romanam Curiam prohibetur ex cauſſa juſta, excommunicatio non incurritur unquam.

Si probibetur ſine cauſſa juſta, excommunicatio incurritur, quoties fit pro litteris, aliiſque negotiis ad ipſam ſpectantibus.

Alias non incurritur.

Ratio quoad prohibitionem ex cauſſa juſta eſt; quia cum tunc deſit culpa; debet etiam deeſſe pœna. Quo vero ad prohibitionem ſine cauſſa juſta; quia cum cenſura ſit lata in favorem Curiæ Romanæ, quatenus acceſſus fit pro litteris,

vel negotiis ad ipſam ſpectatibus, eatenus cenſetur ei injurioſa prohibitio.

Unde reſolvitur.

Qui prohibet, ne quis accedat ad Romanam Curiam, vel ex timore ne periclitetur, vel ex neceſſitate utendi ejus opera, etiamſi ſit acceſſurus pro litteris, aut negotiis ad ipſam ſpectantibus, non incurrit excommunicationem; quia tunc acceſſum prohibet ex cauſſa juſta, *Bonac. de excom. Bulla Cœnæ, diſp* 1. *q.* 14. *punct.* 3. *n.* 5. Secus vero ſi non talis timor, aut neceſſitas, ſed impedimentum pro litteris, aut negotiis ſit prohibenti finis primarius; quia cum hic ſpecificet actum, tunc acceſſum prohibet ex cauſſa injuſta. *Bonac. loco cit. quæſt.* 11. *punct.* 3. *num.* 14.

Qui ſine cauſſa juſta prohibet auctoritate publica, vel privata in genere, vel in ſpecie, directe, vel indirecte, ne quis per ſe ipſum, vel per Procuratorem, vel per litteras accedat ad Romanam Curiam pro aliqua gratia, vel juſtitia, aliiſque rebus tam ſpiritualibus, quam temporalibus ab ea expediendis, incurrit excommunicationem etiam effectu non ſecuto; quia prohibet acceſſum ad Romanam Curiam pro litteris, aliiſque negotiis ad ipſam ſpectantibus. Secus vero ſi eumdem etiam injuſte prohibeat, ne accedat ad Romanam Curiam pro capiendo ſolatio; quia tunc non eſt pro litteris, aut negotiis; vel ne accedat pro exercenda mercatura, aut ſimili induſtria; quia tunc non eſt pro negotiis ad ipſam ſpectantibus. *Bonac. loco cit. q.* 14. *punct.* 3. *propoſ.* 2.

§. XVIII.

De Excommunicatione contra avocantes Cauſſas a Judicibus Eccleſiaſticis: vel earum proſecutionem, aut executionem impedientes. In *Bulla*, §. 14.

Excommunicatio lata contra eos, qui cauſſas avocant a Judicibus Eccleſiaſticis, vel earum curſum, aut executionem impediunt; exprimitur *in Bulla*, §. 14. his verbis: *Excommunicamus omnes, & quoſcumque, qui per ſe, vel per alios auctoritate propria, ac de facto, quarumque exemptionum, vel aliarum gratiarum, & litterarum Apoſtolicarum prætextu, beneficiales, & decimarum, ac alias cauſſas ſpirituales, & ſpiritualibus adnexas, ab Auditoribus, & Commiſſariis no-*

ſtris, aliiſque Judicibus Eccleſiaſticis avocant, illorumve curſum, & audientiam, ac perſonas, Capitula, Conventus, Collegia, cauſſas ipſas proſequi volentes impediunt, ac ſe de illarum cognitione tamquam Judices interponunt, quive partes actrices, quæ illas committi fecerunt, & faciunt, ad revocandum, & revocari faciendum citationes, vel inhibitiones, aut alias litteras in eis decretas, & ad faciendum, vel conſentiendum eis, contra quos tales inhibitiones emanarunt, a cenſuris, & pœnis in illis contentis abſolvi per ſtatutum, vel alias compellunt, vel executionem litterarum, ſeu executorialium, proceſſuum, ac decretorum prædictorum quomodolibet impediunt, vel ſuum ad id favorem, conſilium, aut aſſenſum præſtant, etiam prætextu violentiæ prohibendæ, vel aliarum prætenſionum, ſeu etiam donec ipſi ad Nos informandos, ut dicunt, ſupplicaverint, aut ſupplicari fecerint, niſi ſupplicationes hujuſmodi coram Nobis, & Sede Apoſtolica legitime proſequantur, etiamſi talia committentes fuerint Præſidentes Cancellariarum, Conſiliorum, Parlamentorum, Cancellarii, Vicecancellarii, Conſiliarii, Ordinarii, vel Extraordinarii quorumcumque Principum Sæcularium, etiamſi Imperiali, Regali, Ducali, vel alia quacumque præfulgeant dignitate, aut Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Commendatarii, ſeu Vicarii fuerint. Ex quibus patet, huic cenſuræ ſubjici non ſolum avocantes, & impedientes, quicumque ii ſint, ſed etiam faventes conſilio, aſſenſu, aut alio quovis modo influente in actum. Sed quia non ſemper ac prædicta attentatur, excommunicatio incurritur; ad dignoſcendum quando incurratur, vel non, hæc traditur diſtinctio:

Si cauſſæ avocantur iiſque adnexæ ex Judice Eccleſiaſtico avocantur, vel proſequi, aut exequi impediuntur, excommunicatio incurritur, quoties id fit auctoritative a Laico ſine Privilegio Papæ.

Si earum avocationi, vel impedimento favetur, excommunicatio incurritur, quoties effectus ſequitur.

Alias non incurritur.

Ratio quoad avocationem, vel impedimentum, quia de ſolis cauſſis ſpiritualibus, iiſque ad-

nexis loquitur Bulla, in qua cum dicatur -- *Si illarum cognitioni tamquam Judices interponunt &c. & per ſtatutum, vel alias compellunt &c.* inde colligitur ſolos avocantes, vel impedientes auctoritative comprehendi ſub cenſura, & cum hæc lata ſit in favorem Immunitatis Eccleſiaſticæ, cenſetur lata contra ſolos, a quibus lædi timetur, niſi adſit Papæ privilegium utpote unicum evadendi medium. Quo vero ad favorem præſtitum; quia cum in actione principali requiratur effectus ſecutus, ut patet ex illis Bullæ verbis -- *avocant & impediunt*, ita etiam requiritur in acceſſoria.

Unde reſolvitur.

Si quis laicus, vel etiam Eccleſiaſticus utens poteſtate laica in cauſſis de Sacramentis, cenſuris, decimis, beneficiis, Jurepatronatus, & ſimilibus, tamquam Judex ſe immiſcet, vel cuicumque Judici Eccleſiaſtico inhibet etiam re integra ne in iis procedat, vel partes citat, ut coram ſe litem inſtituant, aut proſequantur, vel eas compellit ad revocandas inhibitiones, aut ad faciendum abſolvi a cenſuris, vel impedit per ſe, aut per alios, directe, ſeu indirecte, ne litteræ ſuper dictis cauſſis executioni mandentur, incurrit excommunicationem; quia cauſſas ſpirituales, vel ſpiritualibus adnexas, ex Judice Eccleſiaſtico avocat, vel earum proſecutionem, aut executionem impedit auctoritative. Secus vero ſi cauſſæ ſint omnino profanæ, nec pertinentes ad Clericos, ſeu mixti fori, ſed nondum introductæ apud Tribunal Eccleſiaſticum; quia tunc non ſunt ſpirituales, nec ſpiritualibus cenſentur adnexæ; vel in iis citet, aut inhibeat non tamquam Judex, ſed tamquam Procurator; quia tunc non facit auctoritative; vel ipſe etiam ſit Eccleſiaſticus utens ſpirituali poteſtate; quia tunc non facit Laicus, *Caſtrop. de cenſ. diſp.* 3. *pun.* 15. *a n.* 2. *uſque ad* 7.

Si quis Laicus immiſcet ſe in dictis cauſſis ratione conſuetudinis, quamvis immemorabilis (cum hæc non ſit tolerata, immo quotannis per publicationem Bullæ improbata) vel ratione defenſionis, ut interim poſſit recurri ad Summum Pontificem (cum in hoc caſu non deſint alii Superio-

periores Eccleſiaſtici,) vel ratione Bullæ alicubi non publicatæ, ſeu non acceptatæ (cum Pontifex intendat obligare independenter ab acceptatione ubique , & quoſcumque eo ipſo, quod publicatur Romæ) vel ratione negligentiæ , aut injuſtitiæ deprehenſæ in Judice Eccleſiaſtico (cum obſtet Textus *in cap. qualiter , & quando de judic.*) incurrit excommunicationem ; quia id facit ſine privilegio Papæ . Idem dicendum eſt , ſi id faciat ex prætextu alicujus Indulti Apoſtolici, quod tamen non probetur conceſſum , etiamſi ejuſdem adſit inveterata poſſeſſio ; quia cum hæc contra Bullam non ſufficiat, ubi non conſtat de conceſſione , adhuc cenſetur facere ſine privilegio Papæ . *Bonac. de cenſur. Bullæ Cœnæ , diſp. 2. q. 15. pun.* 4. §. 2. 3. & 4.

Si quis tam Laicus, quam Eccleſiaſticus mandato, conſilio , aſſenſu, vel aliter favorem præſtat ad avocandas dictas cauſſas, vel ad earum proſecutionem, aut executionem impediendam per poteſtatem Laicam, incurrit excommunicationem ſtatim ac cauſſæ avocantur, vel impediuntur ; quia tunc effectus ſequitur. Secus autem ſi conatus evocantium, vel impedientium ſint irriti , ita ut indictis cauſſis nullus actus citandi, aut inhibendi fiat, nec ullo modo earum executioni impedimentum ponatur; quia tunc effectus non ſequitur. *Bonac. loco cit. pun.* 1. *n.* 28.

§. XIX. *De Excommunicatione contra trahentes Eccleſiaſticos ad Tribunal Laicale.* I*n Bulla* , §. 15.

Excommunicatio lata contra eos, qui trahunt , vel trahi procurant ad Tribunal Laicale Eccleſiaſticos, per quos intelliguntur omnes gaudentes privilegio fori, exprimitur *in Bulla Cœnæ* §. 15. his verbis -- *Excommunicamus &c. quive ex prætenſo eorum officio, vel ad inſtantiam partis, aut aliorum quorumcumque perſonas Eccleſiaſticas, Capitula, Conventus, Collegia Eccleſiarum quarumcumque coram ſe ad ſuum Tribunal, Audientiam, Cancellariam, Conſilium, vel Parlamentum præter Juris Canonici diſpoſitionem trahunt vel trahi faciunt, vel procurant directe, vel indirecte, quovis quæſito colore* -- Cum igitur huic cenſuræ ſubjiciantur tam trahentes , quam trahi

pro-

procurantes ad Tribunal Laicale eos, qui gaudent privilegio fori, quales ſunt omnes Clerici quamvis initiati ſola prima tonſura, & Conjugati, dummodo habitum deferant, & Eccleſiæ inſerviant, omnes Religioſi utriuſque Sexus etiam militares, & Novitii, nec non Tertiarii in Sæculo, quoties communiter vivunt, poſſitque contingere, vel in variis cauſſis, vel variis modis ad Tribunal Laicale trahantur, aut trahi procurentur; difficultas eſt, an ſemper excommunicatio incurratur, vel non. Pro quo hæc traditur diſtinctio:

Si gaudentes privilegio fori Eccleſiaſtici trahuntur ad Tribunal Laicale, excommunicatio incurritur in cauſſis criminalibus ſemper: in civilibus, quoties adeſt coactio.

Si trahi procurantur, excommunicatio incurritur, quoties id fit auctoritative.

Alias non incurritur.

Ratio quando trahuntur eſt; quia quoad cauſſas criminales expreſſe cavetur *in Bulla Cœnæ*, §. 19. ubi excommunicantur *quomodolibet ſe interponentes*, quoad cauſſas civiles; quia cum *in eadem Bulla*, §. 15. excommunicentur facientes aliquid *unde libertas Eccleſiaſtica tollitur*, hæc eatenus tolli cenſetur, quatenus adeſt coactio. Quando vero trahi procurantur; quia cum in verbis Bullæ ſuprarelatis dicatur -- *qui ex prætenſo officio trahi faciunt, vel procurant ad ſuum Tribunal &c.* & tam officium, quam Tribunal important auctoritatem publicam, inde colligitur id eſſe pro incurrenda cenſura auctoritative faciendum.

Unde reſolvitur.

Qui trahit ad Laicale Tribunal Clericum quamvis excommunicatum vitandum, & irregularem, vel reum, cujuſcumque delicti etiam patrati antequam eſſet Clericus, incurrit excommunicationem; quia adhuc ille gaudet privilegio fori Eccleſiaſtici. Secus autem ſi talis Clericus fuerit realiter degradatus, vel conſtitutus in minoribus habitum dimiſerit, vel bigamus evaſerit, aut ab Epiſcopo fuerit Clericatu privatus; quia tunc non gaudet privilegio fori Eccleſiaſtici. *Bonac. de cenſ. Bullæ Cœnæ, diſp.* 1. *q.* 15. *ſect.*

ſect. 1. *pun.* 4. *n.* 27. & *punct.* 5. *a n.* 1. *uſque ad* 18.

Qui gaudentem privilegio fori Eccleſiaſtici citat ad Curiam Sæcularem, aut alio modo judiciali contra ipſum quamvis volentem, & conſentientem procedit ob delictum commiſſum, vel de eo ſuſpectum, etiamſi id faciat animo ipſum remittendi ad ſuum Prælatum, a quo licentiam non habeat, incurrit excommunicationem; quia licet nullam adhibeat vim, eum tamen trahit ad Tribunal Laicale in cauſſa criminali. Secus autem ſi contra ipſum etiam nolentem, & diſſentientem capiat informationes extrajudiciales; quia tunc non cenſetur eum trahere ad Tribunal; vel Judex, qui contra ipſum judicialiter procedit, ſit Eccleſiaſticus, ſed incompetens utpote non ſibi ſuperior; quia tunc licet trahat injuſte, non tamen trahit ad Tribunal Laicale. *Bonac. loco cit. q.* 20. *pun.* 1. *n.* 7. & 3. *pun.* 2. *n* 8.

Qui gaudentem privilegio fori Eccleſiaſtici citat tamquam Judex ſæcularis, vel alia via judiciaria contra ipſum procedit non ſolum directe, ſed etiam indirecte, vexando ejus conſanguineos, aut familiares ad hoc ut ſolvat debitum, vel aliam obligationem adimpleat, incurrit excommunicationem; quia licet cauſſa ſit civilis, ita tamen eum trahit ad Laicale Tribunal, ut adſit coactio. Secus autem ſi ipſe ſponte accedat, vel ſolis exhortationibus ad illud Tribunal ſuadetur accedere; quia cum cauſſa ſit civilis, tunc nulla adeſt coactio. *Suar. de cenſ. diſp.* 21. *ſect.* 2. *num.* 78.

Si perſona privata ut Procurator, vel etiam publica ut Judex, curat, ut gaudens privilegio fori Eccleſiaſtici trahatur in cauſſa tam civili, quam criminali ad Tribunal Laicale non ſuum, ſed alterius Judicis Laici, non incurrit excommunicationem; quia cum in alieno Tribunali nullam habeat juriſdictionem, id non facit auctoritative. Idem dicendum eſt, ſi procuret trahi ad proprium extra viam judicialem, & ſine ulla comminatione; quia tunc etiam non facit auctoritative. B*onac. loco. cit. q.* 16. *ſect.* 1. *pun.* 4. *n.* 12. & 13.

§. XX.

§. XX. *De Excommunicatione contra facientes, vel adhibentes ſtatuta Eccleſiaſticæ libertatis læſiva*. In Bulla. §. 15.

Excommunicatio lata contra facientes, vel adhibentes ſtatuta, quibus Eccleſiaſtica libertas tollitur, deprimitur, aut reſtringitur ex quolibet prætextu, exprimitur *in Bulla*, §. 15. his verbis -- *Excommunicamus &c. Nec non qui ſtatuta, Ordinationes, Conſtitutiones, Pragmaticas, ſeu quævis alia decreta in genere, vel in ſpecie ex quavis cauſſa, & quovis quæſito colore, ac etiam prætextu cujuſvis conſuetudinis, aut privilegii, vel alias quomodolibet fecerint, ordinaverint, & publicaverint, vel factis, & ordinatis uſi fuerint, unde libertas Eccleſiaſtica tollitur, ſeu in aliquo læditur, vel deprimitur, aut alias quovis modo reſtringitur, ſeu noſtris, & dictæ Sedis, ac quarumcumque Eccleſiarum juribus quomodolibet directe vel indirecte, tacite, vel expreſſe præjudicatur* -- Cum igitur huic cenſuræ ſubjiciantur facientes, & adhibentes dicta ſtatuta, poſſitque contingere, ut fiant, ſed non publicentur, vel alias facta pro publicationte adjuventur, aut publica non tollantur; difficultas eſt in his caſibus, an, a quibus, & quando excommunicati Bullæ incurratur, vel non. Pro quo hæc traditur diſtinctio:

Si ſtatuta contra libertatem Eccleſiaſticam fiunt, excommunicatio incurritur a facientibus, quoties ea publicant; a ceteris, quoties publicationi inſerviunt.

Si ſunt facta, & publicata, excommunicatio incurritur ab omnibus, quoties iis utuntur.

Alias non incurritur.

Ratio eſt; quia cum cenſura ſit lata, ne lædatur libertas Eccleſiaſtica, hæc eatenus per ſtatuta læditur, quatenus ea publicantur, cum alias perinde ſit ac ſi facta non eſſent, & qui publicationi inſerviunt, etiam ipſi publicare cenſentur: factis autem, & publicatis, ſolum ii qui eiſdem uſi fuerint, & non alii, exprimuntur in bulla.

Unde reſolvitur.

Si Principes, Magiſtratus, Populi tam liberi, quam non liberi, etiamſi nulla auctoritate ſint præditi, decernunt aliquid vel per modum legis

communis, vel præcepti particularis, unde Eccleſiaſtici graventur non ſolum in iis, quæ ſpectant ad eorum juriſdictionem, aut immunitatem quoad loca, res, & perſonas, ſed etiam in iis, quæ concernunt ad eorum privilegia particularia, ac convictum politicum; ut ne ipſis Laicis vendant, ne eorum operibus utantur, aut iis alia officia præſtent, vel aliud ordinant, ex quo Laici audaciores, Clericique timidiores reddantur, idque vel per vocem præconis, vel per affixionem in locis conſuetis promulgant, vel promulgari faciunt, etiamſi poſtea executioni non mandent; incurrunt excommunicationem; quia ſtatuta contra libertatem Eccleſiaſticam faciunt, & publicant. Secus autem ſi id ordinent, decernant, ac ſcriptis, aliiſque modis firment, ſed poſtea a promulgatione deſiſtant; quia licet tunc ſtatuta contra libertatem Eccleſiaſticam faciant, non tamen ea publicant. *Filliuc. tract.* 16. *n.* 266.

Si dicta Statuta fiunt, & publicantur, incurrunt excommunicationem non ſolum ea decernentes, & ordinantes, ſed etiam Cancellarii, Dictatores, Compóſitores, Scriptores, Tabelliones, Præcones, affigentes aliique Miniſtri; quia eorum publicationi inſerviunt. Secus autem qui ea tranſcribunt, approbant, & rata habent publicata, quoties ratihabitio non habet vim mandati; quia tunc eorum publicationi non inſerviunt. *Filliuc. loco cit. n.* 267.

Si dicta Statuta ſunt facta, & publicata, excommunicationem incurrunt qui ea denuo publicant, vel faciunt ea ſervari, vel quomodolibet adhibent; quia iis utuntur. Secus autem ſi ea retineant, vel non deleant ex libris (quamvis in hoc caſu incurrant aliam excommunicationem, non tamen reſervatam *in c. noverit de ſent. excom.*) vel ſcienter ſervari non impediant; quia cum tunc poſitive non concurrant; non cenſentur, quod iis utantur. *Suarez de cenſ. diſp.* 21. *ſect.* 2. *n.* 80. *& ſeqq.*

§. XXI. *De Excommunicatione contra impedientes Prælatis juriſdictionis uſum*. In *Bulla*, §. 16.

Excommunicatio lata contra eos, qui directe, vel indirecte impediunt ne Prælati Eccleſiaſtici ſua juriſdictione utantur, exprimitur *in Bulla*,

§. 16.

§. 16. his verbis -- *Excommunicamus &c. Necnon qui Archiepiſcopos, Epiſcopos, alioſque Superiores, & inferiores Prælatos, & omnes aliosque Judices Eccleſiaſticos Ordinarios quomodolibet hac de cauſſa directe, vel indirecte carcerando, vel moleſtando eorum Agentes, Procuratores, Familiares, necnon Conſanguineos, & affines, aut alias impediunt quominus ſua juriſdictione Eccleſiaſtica contra quoſcumque utantur ſecundum quod Canones, & Sacræ Conſtitutiones Eccleſiaſticæ, Decreta Conciliorum Generalium, & præſertim Tridentini ſtatuere, ac etiam eos, qui poſt ipſorum Ordinariorum, vel etiam ab eis Delegatorum quorumcumque ſententias, & decreta, aut alias Fori Eccleſiaſtici judicium eludentes ad Cancellarias, & alias Curias Sæculares recurrunt, & ab illis probibitiones, & mandata etiam pœnalia Ordinariis, & Delegatis prædictis decerni, & contra illos exequi procurant, eos quoque, qui hæc decernunt, & exequuntur, ſeu dant auxilium, conſilium, patrocinium, & favorem in eiſdem*. Ex quibus verbis patet, huic cenſuræ ſubjici non ſolum impedientes, ſed etiam eorum fautores. Sed quia non ſemper ac juriſdictio Prælatorum impeditur, vel impedimento favetur, excommunicatio incurritur; ad dignoſcendum quando incurratur, vel non; hæc traditur diſtinctio:

Si juriſdictio Prælatorum impeditur, excommunicatio incurritur, quoties ſpiritualis, & externa impeditur injuſte.

Si impedimento favetur, excommunicatio incurritur quoties alter ad id ponendum movetur.

Alias non incurritur.

Ratio quoad impedimentum eſt; quia cum in relatis Bullæ verbis dicatur: *Judices, &c. impediunt quominus ſua juriſdictione Eccleſiaſtica contra quoſcumque utantur ſecundum quod Canones &c. ſtatuunt*: juriſdicto quatenus ſpiritualis eſt Eccleſiaſtica, quatenus externa pertinet ad Judices contra quoſcumque, & quatenus impeditur injuſte, fit contra Canones. Quo vero ad favorem impedimento præſtitum; quia cum actio acceſſoria prohibeatur in ordine ad principalem, favor ut pote acceſſorius eatenus cadit ſub cenſura, quatenus actus principalis impediendi ex eo cauſſatur.

Unde reſolvitur.

Qui impediunt Epiſcopum etiam non conſecratum, vel alium Judicem Eccleſiaſticum etiam delegatum (cum de hoc quoque colligatur ex verbis Bullæ) tam directe ipſum prohibendo vel contra eumdem ad poteſtatem laicam recurrendo, quam indirecte, vexando ejus Conſanguineos, affines, aut familiares auctoritate publica, vel privata, ne ſententiam ferat, ſeu illam exequatur, vel ſint Laici, vel Clerici, incurrunt excommunicationem; quia ab ipſis Prælati juriſdictio impeditur. Secus autem ſi hoc faciant ſine vi, metu, mendaciis, & fraudibus, ſed aliis modis, quibus Prælatus quamvis ſubornatus, non tamen cenſeatur invitus; quia ab ipſis tunc non impeditur. *Bonac. de cenſ. Bullæ Cœnæ, diſp.* 1. *qu.* 17. *punct.* 1. *n.* 2. 7. 13. & 15.

Qui impediunt Prælatum, ne utatur poteſtate temporali, quam habet ut Princeps, vel ut Gubernator, non incurrunt excommunicationem; quia licet ab ipſis impediatur ejus juriſdictio, hæc tamen non eſt Spiritualis. Idem dicendum eſt, ſi eumdem impediant, ne ſubditis abſolutionem Sacramentalem conferat; quia licet ab ipſis impediatur ejus juriſdictio ſpiritualis, hæc tamen non eſt externa. *Bonac. loco cit. n.* 9. & 16.

Qui impediunt Prælatum, ne utatur juriſdictione ſpirituali, & externa quando eſt excommunicatus vitandus, vel ne utatur contra eos, qui non ſunt ſibi ſubditi, vel in cauſſis, in quibus fuerit legitime appellatum (dummodo non agatur de litteris Apoſtolicis juxta ſuperius dicta, §. 15.) vel in cauſſis mixti fori, in quibus Prælatus non prævenerit, non incurrunt excommunicationem; quia licet ab ipſis impediatur ejus juriſdictio ſpiritualis, & externa, hæc tamen non impeditur injuſte. Secus autem, ſi ſolum dubitetur, an juriſdictione poſſit uti legitime; quia cum in dubio præſumatur pro Superiore, cenſetur, quod impeditur injuſte. *Bonac. loco cit n.* 4. 6. & 14.

Qui mandato, conſilio, patrocinio, auxilio, aut alio modo favorem præſtant alteri, qui ideo recurrit ad poteſtatem laicam, ut Prælatum ab uſu juriſdictionis prohibeat etiam effectu prohibendi non ſecuto, incurrunt excommunicationem, quia ex favore præſtito alter ad ponendum impe-

di-

dimentum movetur. Secus autem ſi ille non recurrat, nec aliter obſtare conetur; quia licet ipſi favorem præſtent, ex hoc tamen alter ad ponendum impedimentum non movetur. *Bon loco cit. n.* 38.

§. XXII. *De Excommunicatione contra uſurpantes, vel ſequeſtrantes Eccleſiaſticorum bona. In* Bulla, §. 17.

Excommunicatio lata contra eos, qui uſurpant, vel ſequeſtrant Eccleſiaſticorum bona, exprimitur *in* Bulla, §. 17. his verbis -- *excommunicamus &c. quive juriſdictiones, ſeu fructus, redditus, & proventus ad nos, Sedem Apoſtolicam, & quaſcumque Eccleſiaſticas perſonas ratione Eccleſiarum, Monaſteriorum, & aliorum beneficiorum Eccleſiaſticorum pertinentes uſurpant, vel etiam quavis occaſione, vel cauſſa ſine Romani Pontificis, vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium expreſſa licentia ſequeſtrant.* Ex quibus verbis patet, per bona Eccleſiaſticorum intelligi ea, quæ pertinent ad Eccleſiam Romanam etiam quoad dominium temporale, & ad quaſcumque alias Eccleſias, quarum nomine veniunt etiam Oratoria publica ſicuti juriſdictiones tam ſpirituales, quam temporales, fructus, redditus, ceterique proventus, qui poſſidentur vel ratione cujuslibet Monaſterii utriuſque Sexus, vel titulo cujuſcumque beneficii etiam ſimplicis, non vero ea, quæ poſſidentur ab Eccleſiaſticis ratione patrimonii, hereditatis, induſtriæ, vel contractus, cum ipſa non ſint Eccleſiæ, nec ejus nomine poſſeſſa. Cum igitur huic cenſuræ non ſubjiciantur fautores utpote non expreſſi in Bulla, ſed ſoli facientes per ſe, vel per alios ſtatim ac bona Eccleſiæ, vel ejus nomine poſſeſſa uſurpantur, aut ſequeſtrantur, ſed non ſemper; ad dignoſcendum quandonam ab eiſdem excommunicatio incurratur, vel non; hæc traditur diſtinctio:

Si bona Eccleſiæ, vel ejus nomine poſſeſſa uſurpantur, excommunicatio incurritur, quoties id fit ex prætenſione, quod ſint propria, vel debita.

Si ſequeſtrantur, excommunicatio incurritur, quoties id fit ſine facultate legitima, & expreſſa.

Alias non incurritur.

Ratio quoad uſurpationem eſt; quia cum cenſura ſit lata, ne bona Eccleſiæ quis ſibi approprie t, eatenus appropriari cenſentur, quatenus in

uſurpatione tamquam propria, vel debita prætenduntur. Quo vero ad ſequeſtrum; quia eatenus hoc prohibetur, quatenus fit, ut dicitur in Bulla, *ſine Romani Pontificis, & aliorum ad id legitimam facultatem habentium expreſſa licentia.*

Unde reſolvitur.

Qui fundos Eccleſiæ, Cœnobii, Capellæ, Oratorii publici, aut alterius loci pii fundati auctoritate Epiſcopi, vel juriſdictiones ſpirituales, ac temporales, fructus, redditus, pecunias ex eis redactas, diſtributiones, ceteroſque proventus poſſeſſos ratione alicujus Eccleſiæ, Monaſterii, Commendæ, Abbatiæ, Epiſcopatus, Canonicatus, aut alterius beneficii etiam vacantis, invadunt, ut Domini, vel ut jus hereditatis, aut alterius titulos in iis habentes, quicumque ſint ſive Laici, ſive Clerici, ſive perſonæ publicæ, ſive privatæ cujuſcumque dignitatis, vel præeminentiæ, incurrunt excommunicationem; quia bona Eccleſiæ, vel ejus nomine poſſeſſa uſurpant ex prætenſione quod ſint propria, vel debita. Secus vero ſi ea locis piis relicta ſibi retineant; quia nondum ſunt poſſeſſa ab Eccleſia; vel ſurrepta ab aliis negligant reſtituere, dummodo ea ſibi tamquam propria retinere non intendant; quia tunc non cenſentur uſurpare; vel ſurripiant aliquos fructus pro compenſatione crediti, quod aliter recuperare non poſſunt; quia etiam tunc utpote juſte accipientes non cenſentur uſurpare; vel eos ſurripiant Conductoribus prædiorum; quia tunc non cenſentur uſurpare Eccleſiaſticis; vel bona tam mobilia, quam immobilia invadant ut latrones, vel milites diripientes; quia licet tunc bona Eccleſiæ, vel ejus nomine poſſeſſa ſurripiant; non tamen ſibi ea uſurpant ex prætenſione, quod ſint propria, vel debita. *Leander tract.* 3. *de Bulla Cœnæ, diſp.* 17. *a q.* 2. *uſque ad* 11.

Qui bonis Eccleſiæ, vel ejus nomine poſſeſſis apponunt contra poſſidentium voluntatem ſequeſtrum non ſolum tamquam partes, ſed etiam tamquam executores, vel Judices, etiamſi ii ſint Eccleſiaſtici, dummodo incompetentes ob juriſdictionis carentiam in locis, ubi ſequeſtra decernunt, quamvis hoc faciant ad tollendas diſcordias, vel ad ſervandos fructus, vel ad quemcumque alium finem.

ſi em honeſtum, incurrunt excommunicationem; quia bona Eccleſiæ, vel ejus nomine poſſeſſa ſequeſtrant ſine facultate legitima. *Leander loco cit. a q.* 14 *uſque ad* 18. Idem dicendum eſt, ſi ea ſequeſtrent nomine Judicis Eccleſiaſtici competentis, a quo licentiam non obtinuerint, quamvis certo ſciant ipſum tacite conſentire, vel ratum habiturum ſequeſtrum ſuo nomine factum; quia licet tunc facultas poſſit eſſe legitima, non eſt tamen expreſſa. *Bon. de cenſ* Bul. *Cœnæ*, *diſput*. 1. *qu*. 18. *punct*. 3. *n*. 15.

§. XXIII. *De Excommunicatione contra imponentes Eccleſiaſticis onera. In* Bulla. §. 18.

Excommunicatio lata contra eos, qui onera imponunt Eccleſiaſticis, aut ipſorum bonis, vel ea ex ipſis exigunt, aut recipiunt, exprimitur *in* Bulla §. 18. his verbis- *Excommunicamus &c. Quive collectas, decimas, taleas, præſtantias, & alia onera Clericis, Prælatis, & aliis perſonis Eccleſiaſticis, ac eorum Eccleſiarum, Monaſteriorum, & aliorum beneficiorum Eccleſiaſticorum bonis, illorumque fructibus, redditibus, & proventibus hujuſmodi abſque ſimili Romani Pontificis ſpeciali, & expreſſa licentia imponunt, & diverſis etiam exquiſitis modis exigunt, aut ſic impoſita etiam a ſponte dantibus, & concedentibus recipiunt: Nec non qui per ſe, vel alios, directe, vel indirecte prædicta facere, exequi, vel procurare, aut in eiſdem auxilium, conſilium, vel favorem præſtare non verentur, cujuſcumque ſint præeminentiæ, dignitatis, ordinis, conditionis, aut ſtatus, etiamſi imperiali, aut Regali præfulgeant dignitate, ſeu Principes, Duces, Comites*, Barones, *& alii Potentatus, quicumque etiam Regnis, Provinciis, Civitatibus, & Terris quoquo modo Præſidentes, Conſiliarii, & Senatores, aut quavis etiam Pontificali dignitate inſigniti* -- Ex quibus verbis patet, huic cenſuræ ſubjici non ſolum facientes per ſe, vel per alios, directe, vel indirecte, ſive ſint Laici, ſive Clerici, ſed etiam eorum fautores, dummodo onera prædicta Eccleſiaſticis, vel eorum bonis imponantur, exigantur, vel recipiantur, cum actiones acceſſoriæ utpote prohibitæ in ordine ad principales requirant effectum ſecutum. Sed quia tam a facientibus, quam a faventibus non ſemper excommunicatio incurritur; ad dignoſcendum quan-

incurratur, vel non; hæc traditur diſtinctio:

Si onera Eccleſiaſticis, eorumque bonis imponuntur, vel exiguntur, excommunicatio incurritur, quoties ea ſunt tamquam tributa.

Si ex ipſis recipiuntur, excommunicatio incurritur, quoties ita fuerunt ipſis impoſita.

Alias non incurritur.

Ratio quoad impoſitionem, vel exactionem eſt; quia cum in Bulla ea onera exprimantur per *collectas*, *decimas*, *taleas*, & *præſtantias*: inde colligitur pro incurienda cenſura eſſe imponenda, vel exigenda tamquam tributa. Quo vero ad receptionem; quia ita patet ex illis Bullæ verbis: *Aut ſic impoſita etiam a ſponte dantibus, & concedentibus recipiunt.*

Unde reſolvitur.

Qui Eccleſiaſticis (quorum nomine veniunt etiam Clerici initiati ſola prima tonſura, & Religioſi etiam Novitii) vel eorum bonis poſſeſſis, non ſolum nomine Eccleſiæ, ſed ratione patrimonii, imponit, vel exigit per ſe, vel per alios, directe, vel indirecte gabellas, contributiones, hoſpitia, ſervitia, aliaque gravamina tam perſonalia, quam realia, quamvis per hoc ſolum intendat ſibi præcavere a fraudibus cum animo reſtituendi quod exigit, vel id faciat auctoritate laica, aut Eccleſiaſtica, ſine ſpeciali, & expreſſa Summi Pontificis licentia, incurritur excommunicatio; quia Eccleſiaſticis, vel eorum bonis imponit, vel exigit onera tamquam tributa. *Lean. de* Bul. *Cœnæ*, 3. *tr. diſp.* 18. *q.* 10. 11. 12. & 16. Secus vero ſi ipſis imponat, vel exigat aliquam taxam pro expenſis, aut laboribus in eorum favorem præſtitis, vel præſtandis, vel aliquam taleam pro vitando malo, quod ipſis indixit ut latro; quia hæc, & ſimilia onera non ſunt tamquam tributa. Bonac. *de cenſ.* Bulla *Cœnæ*, *diſp.* 1. *qu.* 19 .*punct.* 1. *n.* 13.

Qui ab Eccleſiaſticis etiam ſponte dantibus, dummodo aliquo modo invitis, recipit tributa, quæ ipſis etiam fuerunt indicta, quamvis ea ſint in quantitate modica (cum in hoc non attendetur quantitas, ſed injuria Eccleſiæ) incurrit excommunicationem; quia recipit tributa, quæ ita fuerunt ipſis impoſita. Secus vero ſi recipiat tributa

buta non indicta, vel ſolum indicta laicis; quia tunc non recipit tributa, quæ ita fuerunt ipſis impoſita. *Leander loco cit. q. 7. & 9.*

§. XXIV. *De Excommunicatione contra Laicos ſe interponentes in Cauſſis crimin. Cleric. In Bulla, §. 19.*

Excommunicatio lata contra eos, qui ſe interponunt in Cauſſis criminalibus Clericorum, aliorumque gaudentium privilegio Eccleſiaſtici fori, juxta ſuperius dicta, §. 19. in reſolutione caſus primi, exprimitur *in Bulla* §. 19. his verbis - *Excommunicamus &c. omnes, & quoſcumque Magiſtratus, & Judices, Notarios, Scribas, executores ſubexecutores quomodolibet ſe interponentes in cauſſis capitalibus, ſeu criminalibus contra perſonas Eccleſiaſticas, illas proceſſando, banniendo, capiendo, ſeu ſententias contra illas proferendo, vel exequendo ſine ſpeciali, ſpecifica, & expreſſa hujus S. Sedis Apoſtolicæ licentia: quique hujuſmodi licentiam ad perſonas, & caſus non expreſſos extendunt, vel alias illa perperam abutuntur, etiamſi talia committentes fuerint Conſiliarii, Senatores, Præſidentes, Cancellarii, Vicecancellarii, aut quovis alio nomine nuncupati.* Ex quibus verbis patet, huic cenſuræ ſubjici omnes quomodolibet ſe interponentes etiam ſolo mandato, aut cooperatione, quoties tamen auctoritative id faciunt, exceptis Principibus utpote non expreſſis, dummodo ſe interponentes non ſint requiſiti a Judice Eccleſiaſtico, vel non habeant ſpecialem a Sum. Pontifice licentiam, quæ debet eſſe ſpecifica, & expreſſa; non enim ſufficit generica, aut tacita. Cum igitur hæc excommunicatio ſit lata ſolum contra poteſtatem laicam, non vero contra Eccleſiaſticam quamvis incompetentem, ſemperque incurratur quando gaudentes privilegio fori proceſſantur, judicantur, aut puniuntur; difficultas eſt, an etiam ſemper incurratur quando ſolum inquiruntur, aut capiuntur. Pro quo hæc traditur diſtinctio:

Si gaudentes privilegio fori Eccleſiaſtici a laica poteſtate inquiruntur, excommunicatio incurritur, quoties id fit auctoritative.

Si capiuntur, excommunicatio incurritur, quoties non deprehenduntur in flagranti crimine vel ita deprehenſi non traduntur Eccleſiaſtico Judici.

Alias non incurritur.

Ratio quoad inquiſitionem, eſt; quia licet in Bulla excommunicentur quomodolibet ſe interponentes, cum tamen exprimantur eorum actiones quatenus judiciales proceſſandi, banniendi &c. inde colligitur etiam inquiſitionem eſſe pro incurrenda cenſura judicialiter, auctoritative faciendam. Quo vero ad capturam; quia in flagranti crimine cenſetur per epichejam conceſſa facultas ab Eccleſiaſtico Judice; ita tamen, ut ſibi fiat traditio.

Unde reſolvitur.

Magiſtratus, Judices, Notarii, Scribæ, ceterique Miniſtri, laici, vel etiam Eccleſiaſtici utentes poteſtate laica, ſi capiunt informationes juridicas in cauſſa criminali eorum, qui gaudent privilegio Eccleſiaſtici fori, vel in proceſſu contra laicos, poſtquam cognoſcunt delinquentes eſſe Clericos, ipſum proſequuntur, incurrunt excommunicationem; quia tunc inquiſitio fit auctoritative. Secus vero ſi contra eos capiant informationes extrajudiciales, vel eoſdem non complices examinent in cauſſa laici; quia tunc contra ipſos inquiſitio non fit auctoritative; vel qui informant etiam judicialiter ſint accuſatores, Teſtes, Advocati, Procuratores, & ſimiles, qui non ſunt de Tribunali; quia quoad ipſos non cenſetur inquiſitio fieri auctoritative. *Bonac. de cenſ. Bul. Cœnæ, diſp.* 1. *qu.* 20. *punct.* 1. *n.* 6. *& ſeqq. & punct.* 2. *num.* 10. *&* 11.

Judices mandantes, ac Satellites, ceterique laici cooperantes ſi capiunt gaudentem privilegio fori dum committit delictum, & conſignant Epiſcopo, vel alteri Superiori in ſpiritualibus, non incurrunt excommunicationem; quia ille eſt deprehenſus in flagranti crimine, & traditur Eccleſiaſtico Judici. Secus autem ſi capiant poſt delictum patratum, itaut moraliter non cenſeatur idem tempus; quia tunc non eſt deprehenſus in flagranti; vel ita captum retineant; quia tunc non traditur Eccleſiaſtico Judici *Bon. loco cit. punct.* 3. *n.* 7.

§. XXV. *De Excommunicatione contra invadentes loca, & Jura Eccleſiæ Romanæ.* In *Bul.* §. 20.

Excommunicatio lata contra eos, qui invadunt loca, aut jura Eccleſiæ Romanæ exprimitur in *Bulla*, §. 20. his verbis -- *Excommunicamus &c.*

omnes

omnes illos, qui per ſe, ſeu alios, directe, vel indirecte, ſub quocumque titulo, vel colore invadere, deſtruere, occupare, & detinere præſumpſerint in totum, vel in partem Almam Urbem, Regnum Siciliæ, Inſulas Sardiniæ, & Corſicæ, Terras citra Pharum, Patrimonium B. Petri in Tuſcia, Ducatum Spoletanum, Comitatum Veneyſinum, Sabienſem, Marchiæ Anconitanæ, Maſſæ Trebairæ, Romandiolæ, Campaniæ, & Maritimas Provincias, illarumque Terras, & loca, ac Terras ſpecialis commiſſionis Arnulforum, Civitateſque noſtras Bononiam, Cæſenam, Ariminum Beneventum, Peruſium, Avenionem, Civitatem Caſtelli, Tudertum, Ferrariam, Comaclum & alias Civitates, Terras, & loca, vel jura ad ipſam Romanam Eccleſiam pertinentia, dictæque Romanæ Eccleſiæ mediate, vel immediate ſubjecta necnon ſupremam juriſdictionem in illis Nobis, & eidem Romanæ Eccleſiæ competentem de facto uſurpare, perturbare, retinere, & vexare variis modis præſumunt: necnon adhærentes, fautores, & defenſores eorum, ſeu illis auxilium, conſilium, vel favorem quomodolibet præſtantes. Ex quibus verbis patet, huic cenſuræ ſubjici non ſolum facientes, ſed etiam cooperantes, dummodo in locis, juribuſque prædictis ſequatur aliqua invaſio, cum actiones acceſſoriæ prohibeantur intuitu principalis. Sed quia loca, quæ in Bul, recenſentur, alia ſunt poſſeſſa ab Eccleſia Romana, alia vero ſunt poſſeſſa ab ejus Feudatariis; difficultas eſt, an ſemper ac utraque invaduntur, aut alio modo vexantur, excommunicatio incurratur, vel non. Pro quo hæc traditur diſtinctio:

Si invaduntur loca poſſeſſa ab Eccleſia Romana, excommunicatio incurritur ſemper.

Si invaduntur loca poſſeſſa ab ejus Feudatariis, excomm. incurritur, quoties non adeſt titulus, vel violantur jura Pontificis.

Alias non incurritur.

Ratio eſt; quia cum cenſura eatenus incurratur, quatenus invaſio eſt injuſta, ſi hæc ſit in locis ab Eccleſia Romana poſſeſſis, cum in ipſis, utpote exiſtentibus ſub ejus dominio tam directo, quam utili, nemo poſſit jus ullum habere, ſemper cenſetur injuſta. Si vero ſit in locis poſſeſſis ab ejus Feudatariis, cum alter poſſit in ipſis jus ali-

quod feudi ratione ſucceſſionis, vel conceſſionis habere; tunc ſolum cenſetur injuſta, quando fit ſine titulo juſto, vel violantur jura, quæ Pontifex ſibi reſervavit in feudo.

Unde reſolvitur.

Qui per ſe, vel per alium, directe, vel indirecte invadit, deſtruit, occupat, detinet, perturbat per vim, vel per fraudem, Civitatem aliquam, Terram, & quodcumque Oppidum tam immediate, quam mediate ſubjectum Sum. Pontifici exiſtens in ditione temporali Eccleſiaſt. Status Romani, Avenionenſis, Beneventani, etiamſi hoc faciat tempore Sedis vacantis, vel prætextu donationis, emptionis, præſcriptionis, feudi, inveſtituræ, aut alterius cujuſcumque juris, aut tituli, incurrit excommunicationem; quia invadit loca poſſeſſa ab Eccleſia Romana. Idem dicendum eſt, ſi occupet abſque intentione retinendi, vel ſolo animo compenſandi damni, aut ulciſcendæ injuriæ acceptæ a Civibus, a Gubernatore, vel ab alia particulari perſona; quia per hoc non tollitur, quin invadat loca poſſeſſa ab Eccleſia Romana. *Bonac. de cenſ. Bul. Cœnæ, diſp. 1. q. 21. punct. 1. propoſ. 1.*

Qui aliquam ex dictis actionibus exercet in Ducatu Parmenſi, vel in Regno Neapolitano, ceteriſque feudis Eccleſiæ Romanæ, incurrit excommunicationem; quoties ex vi ſucceſſionis, conceſſionis, inveſtituræ, emptionis vel alterius contractus jus ſibi non competit; quia tunc invadit loca poſſeſſa a Feudatariis Eccleſiæ Romanæ, dum non adeſt titulus juſtus. Idem dicendum eſt ſi hic adſit, ſed invaſor renuat recognoſcere Pontificem in Dominum ſupremum, vel ei deneget ſolutionem tributi, vel ei nolit præſtare alia obſequia præſtanda a Vaſſallo; quia tunc violat jura Pontificis. *Bonac. loc. cit. punct. 2. n. 2.*

TRACTATUS III.

De ſuſpenſione.

Secunda ſpecies cenſuræ eſt ſuſpenſio, quæ licet aliquando non ſit pœna medicinalis ſed vindicativa, ut quando fertur ab homine ſine cauſſæ cognitione; ſemper tamen quoad effectus reputatur cenſura: Cum igitur *ſuſpenſio ſit cenſura privans Clericum uſu officii, ac beneficii*, & dividatur in eam, quæ eſt ab officio & in eam, quæ eſt a bene-

neficio, præſtetque in ſuſpenſo effectus, & in violatore pœnas; de ſingulis in hoc Tractatu agetur.

CAPUT I.

De ſuſpenſione ab Officio.

QUamvis ſupenſio lata in genere intelligatur tam de officio, quam de beneficio; lata tamen in ſpecie, ſi eſt de officio, non intelligitur de beneficio, ſicuti e converſo ſi eſt de beneficio, non intelligitur de officio. Supenſio ab officio eſt cenſura, qua Clericus privatur uſu ordinis, juriſdictionis, & cujuslibet Eccleſiaſtici muneris, cum hæc omnia veniant nomine officii. Sed quia hæc poteſt ferri vel indeterminate, ſcilicet ab officio ut ſic, vel determinate, ſcilicet ab ordine, juriſdictione, aut alio Eccleſiaſtico munere; difficultas eſt, quando alterutro ex his modis fertur, de quo actu intelligatur, vel non. Pro quo hæc traditur diſtinctio:

Si ſuſpenſio ab officio fertur indeterminate, intelligitur de omni actu.

Si fertur determinate, intelligitur de ſolo actu, qui exprimitur, vel cum ipſo neceſſario connectitur.

Ratio eſt; quia quando ſuſpenſio fertur indeterminate, cum feratur generice; ejus nomine venit omne, quod comprehenditur ſub genere. Quando vero fertur determinate, cum tunc feratur ſpecifice, ejus nomine venit ſolum id, quod per expreſſionem, vel neceſſariam connexionem comprehenditur ſub ſpecie.

Unde reſolvitur:

Suſpenſus ab officio ut ſic, remanet ſuſpenſus a quolibet uſu ordinis, juriſdictionis omniſque Eccleſiaſtici muneris; quia cum ſuſpenſio ſit indeterminata, intelligitur de omni actu. Similiter ſuſpenſus ab ordine ut ſic, remanet ſuſpenſus ab uſu cujuslibet ordinis; quia licet ſuſpenſio ſit determinata quoad ordinem, cum tamen ſit indeterminata quoad ſpeciem ordinis, intelligitur etiam de omni actu ordinis. *Filliuc. tract.* 17. *n.* 13. & 23.

Suſpenſus ab ordine non remanet ſuſpenſus ab uſu juriſdictionis ferendi cenſuras, vel ab iis abſolvendi; quia cum ſuſpenſio ſit determinata, in ea exprimitur ſolus ordo, cum quo talis juriſdictio non neceſſario connectitur. E contra remanet

ſuſ-

ſuſpenſus a juriſdictione abſolvendi a peccatis; quia licet in ſupenſione exprimatur ſolus ordo, cum hoc tamen talis juriſdictio neceſſario connectitur. *Filliuc. tr. 17. num. 24.*

Suſpenſus ab ordine inferiori remanet etiam ſuſpenſus a ſuperiori; quia licet in ſuſpenſione exprimatur ſolus ordo inferior, cum tamen hic ſupponatur a ſuperiori, cum eo neceſſario connectitur. E contra ſuſpenſus ab ordine ſuperiori non remanet ſuſpenſus ab inferiori; quia ſuperior utpote non ſuppoſitus ab inferiori cum eo non neceſſario connectitur. *Ex cap. ex litteris, de exceſſib. Prælat. Filliuc. ibidem n.* 34.

Suſpenſus a collatione ordinum minorum remanet ſuſpenſus etiam a collatione majorum; ſed non e converſo; quia majores cum minoribus, non autem minores cum majoribus neceſſario connectuntur. E contra ſuſpenſus a collatione primæ tonſuræ non remanet ſuſpenſus a collatione ordinum, ut patet *ex c nullus Epiſc de temp ordin. in.* 6 quia cum prima tonſura non ſit ordo; non cenſetur cum ordinibus neceſſario connecti. *Filliuc.loc.cit.n.*34.*Vide Suarez de cenſ. diſp.* 36 *ſect.* 5.

CAPUT II.

De Suſpenſione a Beneficio.

SUſpenſio a beneficio eſt privatio juris percipiendi fructus ex beneficio; ipſumque adminiſtrandi: unde patet ſic ſuſpenſum non privari poteſtate eligendi, aut alio jure, quod ſit beneficio adnexum. Si ſuſpenſio eſt indeterminata, intelligitur de omni beneficio exiſtente in ſuſpendentis territorio, dummodo ex ejus intentione, vel ex circumſtantiis aliud non colligatur: ſi vero eſt determinata, intelligitur de ſolo beneficio, quod exprimitur, & quamvis ſuſpenſio privet fructibus, & adminiſtratione beneficii (etiam ante Judicis declarationem quando eſt latæ ſententiæ;) non per hoc ſuſpenſus eximitur ab onere officii præſtandi, non obſtante quod beneficium detur propter officium, cum privetur in pœnam; ideoque ſi propter officium præſtitum aliquid percipiat, tenetur ſub mortali illud reſtituere Eccleſiæ, exceptis diſtributionibus quotidianis, cum non cenſeantur fructus beneficii, ſed merces pro aſſiſtentia in Choro. Sed quia poteſt contingere, ut ſuſ-

pen-

penſus a beneficio aliunde non habeat unde vivat, nec ſit præſumendum, quod Eccleſia utpote pia Mater velit ipſum cogere ad mendicandum; difficultas eſt in hoc caſu, an ſuſpenſio a beneficio privet etiam neceſſariis alimentis, vel non. Pro quo hæc traditur diſtinctio:

Si ſuſpenſio a beneficio eſt in contumaciam, privat ſuſpenſum alimentis, quoties neceſſitas non eſt extrema.

Si eſt in pœnam delicti, privat ſuſpenſum alimentis neceſſariis, quoties non præſtat officium.

Alias non privat.

Ratio eſt, quia quando ſuſpenſio eſt lata in contumaciam, cum ſit in poteſtate beneficiati ſe eximere a pœna, obediendo ſcilicet Eccleſiæ, debet ſibi imputare, quod cogatur mendicare: in caſu autem neceſſitatis extremæ concurrit jus naturale, quod prævalet poſitivo. Quando vero ſuſpenſio eſt lata in pœnam delicti, cum non ſit in poteſtate beneficiati ſe eximere a pœna; par non eſt, ut præſtans officium cogatur mendicare.

Unde reſolvitur.

Qui eſt ſuſpenſus a beneficio donec obediat Eccleſiæ, etiamſi aliunde non habeat unde vivat, nihil poteſt ex eo percipere, aut retinere, quamvis præſtet officium; quia tunc ſuſpenſio eſt in contumaciam. E contra poteſt percipere, aut retinere quantum ſufficit ad vivendum iis diebus, quibus poſt mendicationem nihil ei erogatur; quia licet ſuſpenſio ſit in contumaciam; neceſſitas tamen eſt extrema. *Dian. par. 3 tr. 10. reſol. 3.*

Qui eſt ſuſpenſus a beneficio ob delictum commiſſum, nec aliunde habet unde vivat, poteſt percipere, aut retinere quantum ſufficit pro ſubſtentatione congrua, ſi per ſe, vel per alium adimplet onera beneficio adnexa; quia cum tunc ſuſpenſio ſit in pœnam delicti, & alimenta ſint neceſſaria; ipſe præſtat officium. Idem dicendum eſt, ſi ab oneribus adimplendis juſte impediatur, vel injuſte arceatur; quia cum per ipſum non ſtet, quin ea adimpleat; adhuc cenſetur moraliter, quod præſtet officium. *Bon. de ſuſp. diſp. 3. punct. 2. nu. 14. Ex Gloſſ. in c. paſtoralis §. Verum, de appel. verb. ſubtrahuntur. Ex Gloſſ. in can. ſtudeat, diſt. 5. verb. & ſui. Vide Suarez de cenſur. diſp. 27 ſect. 2. n. 5.*

CA-

CAPUT III.

De Suſpenſionis violatione.

SUſpenſio tam ab officio, quam a beneficio violatur, quoties exercetur aliqua ex illis actionibus, quæ ſuſpenſo, vel aliis cum ipſo participantibus prohibentur: quoad alios certum eſt ipſos participare licite cum ſuſpenſo tolerato, & illicite cum denunciato, non tamen ullam pœnam incurrere, etiamſi participent cum eo in crimine criminoſo: quo vero ad ipſum ſuſpenſum, ſi eſt toleratus; omnes actus exercet valide, non tamen licite, niſi ſit requiſitus; ſi vero eſt denunciatus, non ſolum exercet omnes actus illicite, ſed etiam actus juriſdictionis invalide juxta ſuperius dicta de excommunicatione, cujus regulæ etiam procedunt pro dignoſcendo in hac participatione peccato gravi, vel levi. Cum igitur in violatione ſuſpenſionis ſit contra ſolum ſuſpenſum lata pœna in jure; ad dignoſcendum quæ, & quando incurratur, vel non; hæc traditur diſtinctio:

Si violatur ſuſpenſio a beneficio, nulla pœna juris incurritur unquam.

Si violatur ſuſpenſio ab officio, incurritur irregularitas a ſuſpenſo etiam tolerato, quoties exercet ordinem ſacrum ſollemniter.

Alias ſecus.

Ratio quoad violationem ſuſpenſionis a beneficio eſt; quia ita declaratur a Gloſſa *in Clement. quoniam, de vita, & beneſ. Cleric. verb. ſuſpenſus*. Quo vero ad violationem ſuſpenſionis ab officio; quia ita diſponitur *in cap is cui eſt, de ſent. e com. in 6. & in c. cum æterni, de ſent. & re judic. in* 6. ubi per divina, quæ ſub pœna irregularitatis prohibentur ſuſpenſo, non poſſunt intelligi niſi actus ordinis ſacri ſollemniter, cum alii poſſint exerceri etiam a Laicis.

Unde reſolvitur.

Si ſuſpenſus a beneficio ipſum adminiſtrat, vel ejus fructus percipit, quamvis peccet graviter, & ad reſtitutionem teneatur, etiamſi ſit toleratus, non tamen incurrit ullam pœnam juris, etiamſi ſit denunciatus; quia ſolum violat ſuſpenſionem ab beneſiio. E contra incurrit pœnam, quam ſuſpendens impoſuit; quia illa eſt pœna hominis.

minis, non juris. *Bonac. de ſuſpenſ. diſp. 3. punct. 4. n. 6. verſ. ſexto.*

Si ſuſpenſus ab officio, benedicit aquam, nuptias, vel mulierem poſt partum, incurrit irregularitatem quamvis ſit toleratus; quia cum hæ, & ſimiles benedictiones non poſſint fieri niſi a Sacerdote; violat ſuſpenſionem ab officio, exercendo ordinem ſacrum ſollemniter. E contra irregularitatem non incurrit quamvis ſit denunciatus, ſi ferat cenſuras, aut ab iis abſolvat extra Sacramentum pœnitentiæ; quia tunc non exercet ordinem; vel ſollemniter miniſtret in aliquo ordine minori; quia tunc non exercet ordinem ſacrum, vel miniſtret in Subdiaconatu ſine manipulo; quia tunc non exercet ordinem ſacrum ſollemniter. Ex juribus citatis *Bonac. loco cit n. 5. & 6.*

APPENDIX.

De Degradatione, ac Depoſitione.

SUſpenſioni adnectitur degradatio, ac depoſitio, quarum utraque, licet non ſit cenſura, cum non ſit pœna medicinalis, ſed vindicativa, ad inſtar tamen ſuſpenſionis privat officio, ac beneficio, & definitur *perpetua a gradu Eccleſiaſtico remotio*, cum hac differentia, quod depoſitio fit tantum verbaliter; degradatio autem fit etiam realiter. Utriuſque ſubjectum eſt Clericus; Miniſter vero depoſitionis eſt quilibet Superior habens juriſdictionem Eccleſiaſticam in foro externo; degradationis autem eſt ſolus Epiſcopus conſecratus. Cum igitur Clericus ob delictum atrox aliquando degradetur, & aliquando ſolum deponatur; difficultas eſt in utroque caſu, an omnibus, quæ ad ſtatum Clericalem pertinent, privetur, vel non. Pro quo hæc traditur diſtinctio:

Si Clericus degradatur, privatur honoribus ſemper, oneribus nunquam.

Si ſolum deponitur, privatur oneribus nunquam, honoribus vero, quoties non pertinent ad privilegium fori, & canonis.

Ratio quoad permanentiam onerum in utroque caſu eſt; quia cum degradatio, & depoſitio ſit in pœnam delicti; ex eo Clericus non debet reportare commodum. Quo vero ad privationem honorum, & ad exceptionem privilegii fori, & canonis reſpectu ſolius Depoſiti; quia ita declaratur *a Gloſ-*

ſa

ſa in cap. degradatio, de pœnis in 6. verb. privilegio.

Unde reſolvitur.

Si Clericus degradatur, non ſolum privatur omnibus officiis, ac beneficiis, ſed etiam poteſt trahi ad Tribunal ſæculare, & percuti ſine incurſu in cenſuram; quia officia, beneficia, ac privilegia comprehenduntur ſub honoribus. E contra non privatur obligationibus recitandi horas, ſervandi caſtitatem, & abſtinendi a negotiis, officiiſque indecentibus ſtatui; quia hæc omnia comprehenduntur ſub oneribus. *Lezzana verb. depoſitio, n. 2. & 3. verb. degradatio, n. 1.*

Si Clericus ſolum deponitur, quamvis non privetur obligationibus prædictis, cum pertineant ad onera, privatur tamen officiis, ac beneficiis omnibus; quia hæc comprehenduntur ſub honoribus. E contra non poteſt trahi ad Tribunal Sæculare, nec percuti ſub pœna excommunicationis; quia licet hæc comprehendantur ſub honoribus, pertinent tamen ad privilegium fori, & canonis. *Lezz. verb. depoſitio, n. 1. Ex Gloſſa cit.*

TRACTATUS IV.

De Interdicto.

Tertia ſpecies cenſuræ eſt interdictum, quod *eſt cenſura Eccleſiaſtica privans divinis quatenus divina ſunt*, per quæ ultima verba differt ab excommunicatione, quæ privat divinis quatenus ſunt communicatio cum fidelibus, & a ſuſpenſione, quæ etiam privat divinis, ſed quatenus ſunt actus ordinis. Cum igitur interdictum aliud ſit locale, aliud perſonale, quod aliquando eſt ſolum ab ingreſſu Eccleſiæ, & utrumque præſtet in ſubjecto effectus, & in violatore pœnas; de ſingulis in hoc Tractatu agetur.

CAPUT I.

De Interdicto locali.

Interdictum locale, quo interdicitur locus, aliud eſt generale, quo interdicitur locus univerſalis; ut Regnum, Provincia, vel Civitas; aliud eſt ſpeciale, quo interdicitur locus particularis; ut Eccleſia, Oratorium, vel Capella. Utrumque hoc interdictum locale poteſt dupliciter conſiderari, vel quoad ipſum locum, & tunc certum eſt non poſſe celebrari divina in eo loco qui in

in-

interdicto exprimitur, niſi in caſibus exceptis, de quibus infra agetur; vel poteſt conſiderari quoad perſonas, & tunc certum eſt etiam ipſas non poſſe intereſſe divinis, quoties exiſtunt in loco interdicto, & non alibi, cum prohibitio Eccleſiæ in interdicto locali afficiat tantummodo locum ad differentiam interdicti perſonalis, in quo prohibitio Eccleſiæ afficit perſonas, etiamſi exiſtant in loco non interdicto. Sed quia aliquando interdictum locale extenditur ad locum etiamſi non exprimatur, & ad perſonas etiamſi alibi exiſtant; ad dignoſcendum quandonam ad locum non expreſſum, & ad perſonas alibi exiſtentes extendatur, vel non; hæc traditur diſtinctio:

Si interdictum locale, conſideratur quoad locum, extenditur ad non expreſſum, quoties eſt pars loci expreſſi.

Si conſideratur quoad perſonas, extenditur ad alibi exiſtentes, quoties cauſſam interdicto dederunt.

Alias non extenditur.

Ratio quoad locum eſt; quia cum totum conſtetur ex partibus, & pars loci cenſeatur idem locus; ſub loco expreſſo venit etiam loci pars non expreſſa. Quo vero ad perſonas; quia ita colligitur ex *cap. ſi ſententia, de ſent excom. in* 6.

Unde reſolvitur.

Si interdicitur Civitas, cenſentur etiam interdicta Suburbia; quia licet hæc non ſint in interdicto expreſſa, cum tamen Civitas utpote principalis trahat ad ſe acceſſoria; Suburbia ſunt pars loci expreſſi. E contra ſi interdicuntur Suburbia, non cenſetur interdicta Civitas; quia cum Suburbia utpote acceſſoria non trahant ad ſe principale; Civitas non eſt pars loci expreſſi. *Ex c. ſi Civitas, de ſent. excom. in* 6.

Si interdicitur Parochia, vel Civitas, (etiamſi Eccleſia Cathedralis non ſervet interdictum) cenſentur interdictæ Eccleſiæ Regularium in ea exiſtentes (non obſtante privilegio *in Clement.* 1. *de ſent. excom.* utpote ſublato per *Concil. Trident. ſeſſ.* 25. *cap.* 12.); quia cum pertineant ad Parochiam, vel Civitatem, ſunt pars loci expreſſi. E contra ſi interdicuntur Eccleſiæ Diœceſis, non cenſetur interdicta Eccleſia Cathedralis (niſi interdicatur ipſa Diœceſis); quia cum in odioſis nemi-

nomine Eccleſiarum non veniat Cathedralis ex *cap. quamvis*, *de præbend. in* 6. hæc non eſt pars loci expreſſi.

Si interdicitur Provincia, vel Civitas, innocentes poſſunt extra ipſam intereſſe, ac participare divina; quia cauſſam interdicto non dederunt. E contra qui quomodolibet cooperati ſunt delicto, ob quod latum fuit interdictum, non poſſunt participare, nec intereſſe divinis ubicumque exiſtant; quia cauſſam interdicto dederunt. *Ex cap. ſi ſententia*, *de ſent. excomm. in* 6. *Vide Caſtropal. de cenſur. diſp.* 5. *punct.* 2. §. 1.

CAPUT II.

De Interdicto Perſonali.

INterdictum perſonale, quo interdicitur perſona, aliud eſt generale, quo interdicitur Populus, vel Communitas; aliud eſt ſpeciale quo interdicitur aliquis in particulari. Utrumque hoc interdictum nunquam afficit eos, qui ſunt ſeptennio minores, vel perpetuo amentes; quia cum uſu rationis careant, non ſubduntur legibus; generale vero afficit etiam innocentes quamvis abſentes, cum ſufficiat delictum Communitatis, non vero ſpeciale, cum ad hoc requiratur delictum proprium. Suppoſito igitur uſu rationis, ac delicto alieno, vel proprio juxta hic dicta; difficultas eſt quoſnam interdictum perſonale afficiat, vel non. Pro quo hæc traditur diſtinctio:

Si interdictum perſonale eſt generale, afficit omnes de Communitate, quoties ejus nomine veniunt. Si eſt ſpeciale, afficit expreſſos ſemper, non expreſſos vero, quoties cauſſam interdicto dederunt.

Alias non afficit.

Ratio quoad interdictum generale eſt; quia cum feratur in Communitatem, de hac cenſentur eſſe ii ſolum, qui ejus nomine veniunt. Quo vero ad interdictum ſpeciale; quia de expreſſis patet; de non expreſſis autem, qui cauſſam interdicto dederunt, ita colligitur ex *cap. ſi ſententia*, *de ſent. excom. in* 6.

Unde reſolvitur.

Si generaliter interdicitur Populus, non cenſentur interdicti Clerici; quia licet ſint pars populi, cum tamen nomen populi ſoleat uſurpari pro Laicali; Clerici in odioſis, ejus nomine non veniunt.

Si-

Similiter ſi generaliter interdicitur Clerus, non cenſentur interdicti Religioſi; quia licet ſint pars Cleri, cum tamen nomen Cleri ſoleat uſurpari pro Sæculari; Religioſi in odioſis, ejus nomine non veniunt. *Lezzana verb. interdictum n.* 3.

Si generaliter interdicitur ordo Eccleſiaſticus, cenſentur interdicti non ſolum Clerici, ſed etiam Religioſi; quia cum hoc nomen ſoleat uſurpari pro omnibus, qui ſunt Eccleſiæ dicati; etiam Religioſi in odioſis ejus nomine veniunt. E contra non cenſentur interdicti Epiſcopi; quia licet ſint pars præcipua ordinis Eccleſiaſtici; cum tamen ratione præeminentiæ debeant ſpecialiter exprimi; in odioſis generali ejus nomine non veniunt. *Ex cap. quia periculoſum, de ſent. excom. in* 6.

Si generaliter interdicitur Civitas, ſicuti cenſetur interdictus extraneus ſtatim ac in eam animo permanendi ſe transfert; ita non cenſetur interdictus Civis ſtatim ac ab ea animo non redeundi recedit; quia quatenus in Civitate animum permanendi, vel non permanendi habet; eatenus ejus nomine venit. Similiter qui duo habet domicilia, tunc cenſetur interdictus quando manet in Civitate interdicta; quia quamdiu in ipſa manet, tamdiu ejus nomine venit. *Bonac. de interdict. diſp.* 5. *punct.* 1. *num.* 10.

Si generaliter interdicitur familia, cenſentur interdicti etiam Clerici ab ipſa prognati; quia cum hoc nomen ſoleat uſurpari pro omnibus de eadem familia; Clerici etiam in odioſis ejus nomine veniunt. E contra non cenſentur interdicti Epiſcopi, nec Religioſi ab ipſa prognati, neque alii, qui per adoptionem evaſerunt de eadem familia; quia Epiſcopi utpote exprimendi ſpecialiter, & Religioſi utpote reſciſſi a Sæculo, adoptivi vero utpote ad favorabilia aſſumpti, in odioſis ejus nomine non veniunt. *Bonac loco cit. num.* 16.

Si ſpecialiter interdicuntur aliqui particulares, cenſentur interdicti omnes, & ſinguli, qui ſunt nominati, etiamſi cauſſam interdicto non dederint; quia ſunt expreſſi. Similiter cenſentur interdicti etiam illi, qui non ſunt nominati, ſi quomodolibet cooperati ſunt delicto, ob quod fuit latum interdictum; quia licet non ſint expreſſi, cauſſam tamen interdicto dederunt. *Ex cap. ſi ſent. de ſent.*

ſent. excomm. in. 6. Vide Caſtrop. de cenſur. diſp. 5. punct. 2. §. 2.

CAPUT III.

De Interdicti effectibus.

INterdicti effectus ſunt tres, ſcilicet privatio omnium divinorum Officiorum, privatio aliquorum Sacramentorum, & privatio ſepulturæ Eccleſiaſticæ, quorum trium effectuum cum diverſa ſit ratio; ut de ſingulis diſtinctim agatur, ſit

§. I. *De privatione divinorum Officiorum.*

Divina officia, per quæ intelliguntur Miſſæ, horæ Canonicæ, benedictiones, proceſſiones, & preces quæcumque inſtitutæ ab Eccleſia, non autem actûs juridictionis, & ſimilia, quæ non ſunt divini cultus, eatenus per interdictum prohibentur, quatenus fiunt nomine Eccleſiæ, ideſt vel a Clericis ſollemniter, vel etiam a Laicis, quibus præſit aliquis Clericus; alias enim ſi fiant a ſolis Laicis, vel etiam a Clericis, ſed privatim, & tamquam perſonis particularibus utpote non facta nomine Eccleſiæ, per interdictum non prohibentur. Sed quia etiamſi fiant nomine Eccleſiæ adhuc tamen non omnibus, nec ubique, nec ſemper per interdictum prohibentur; ad dignoſcendum quibus, ubi, & quando prohibeantur, vel non; hæc traditur diſtinctio:

Si interdictum eſt perſonale, tam per ſpetiale, quam generale divina Officia prohibentur omnibus, ubique, & ſemper.

Si interdictum eſt locale, ibidem per generale prohibentur Clericis publice, Laicis etiam privatim (feſtis ſollemnioribus exceptis); per ſpeciale vero prohibentur etiam Clericis privatim, (Miſſa ſemel in Hebdomada excepta).

Ratio quoad interdictum perſonale eſt; quia ita diſponitur *in cap. ſi ſententia, de ſentent. excom. in* 6. Quo vero ad interdictum locale; quia quando hoc eſt generale, ita diſponitur *in c. alma mater, de ſent. excom. in* 6. quando autem eſt ſpeciale, ita diſponitur *in c. permittimus, de ſent. excom.*

Unde reſolvitur.

Si interdicitur aliquis particularis, ubicumque exiſtat, non ro eſt etiam in feſtis ſollemnioribus aſſiſtere divinis Officiis utpote ſibi ibique, ac ſemper prohibitis; quia interdictum eſt perſonale.

Idem

Idem dicendum eſt de quolibet Cive, ſi interdicatur populus Civitatis; quia licet interdictum ſit generale, adhuc tamen eſt perſonale. *Ex cap. ſi ſententia, de ſent. excom. in* 6.

Si interdicitur aliqua Civitas poſſunt Clerici cum famulis utpote acceſſoriis, in Eccleſia (non autem in Oratorio privato) celebrare, ſubmiſſa tamen voce, januis clauſis, nec pulſatis campanis omnia divina Officia utpote ipſis prohibita ſolum publice; non autem Laici poſſunt aſſiſtere eiſdem Officiis utpote ſibi prohibitis etiam privatim; quia interdictum eſt locale generale. E contra poſſunt Clerici ea celebrare etiam publice, ac Laici eis intereſſe diebus Nativitatis Domini, Paſchatis, Pentecoſtes, Aſſumptionis Beatæ Virginis (quod privilegium cenſetur ubique extenſum etiam ad feſtum Corporis Chriſti cum Octava ex *Bulla* 6. *Eugenii IV.* quæ incipit -- *Excellentiſſimum*, & alicubi ad feſtum Conceptionis B. V.); quia licet adſit interdictum locale; hoc tamen utpote generale ceſſat in feſtis ſollemnioribus. *Ex cap. alma mater, de ſent. excom. in* 6.

Si interdicitur aliqua Eccleſia, Clerici neque privatim poſſunt in ea celebrare divina Officia etiam in feſtis ſollemnioribus; quia interdictum eſt locale ſpeciale. E contra poſſunt ſemel in Hebdomada celebrare unam Miſſam privatim, id eſt ſubmiſſa voce, januis clauſis, non pulſatis campanis, & excluſis Laicis; quia licet adſit interdictum locale ſpeciale; ad renovandam tamen Euchariſtiam talis Miſſa eſt excepta. *Ex c. permittimus de ſent. excom. Vide Caſtrop. de cenſ. diſp.* 5. *punct.* 4. §. 2.

§. II. *De privatione Sacramentorum.*

Alter effectus interdicti eſt privatio Sacramentorum, quæ tamen ſi adminiſtrentur, vel recipiantur, quamvis illicita, ſunt tamen valida; excepta pœnitentia adminiſtrata ab interdicto nominatim denunciato ob juriſdictionis defectum. Sed quia non omne interdictum privat omnibus Sacramentis, nec ſemper; ad dignoſcendum quænam permittantur, & quæ, ubi, & quando prohibeantur, vel non; hæc traditur diſtinctio:

Si interdictum eſt locale, vel perſonale generale, permittuntur ſola Sacramenta Baptiſmi, Confirmationis, & Pœnitentiæ.

Si

Si eſt perſonale ſpeciale, prohibentur omnia, & ubique, quoties non concurrit præceptum divinum, vel extrema neceſſitas.

Ratio quoad omne interdictum locale, & quoad perſonale generale eſt; quia Baptiſmus, & confirmatio conceditur *in cap. quoniam, de ſent excom. in* 6. Pœnitentia autem conceditur *in cap. alma mater, de ſent. excom. in* 6. Quoad interdictum perſonale ſpeciale; quia omnia prohibentur *in cap. reſponſo de ſent. excom. & in cap. ſi ſententia, de ſent. excom. in* 6 quo vero ad exceptionem; quia quando concurrit præceptum divinum, prævalet Eccleſiaſtico, & neceſſitas legem non habet.

Unde reſolvitur.

Si interdicitur Civitas, vel Eccleſia, poſſunt in ea etiam extra neceſſitatem licite adminiſtrari, ac recipi Sacramenta Baptiſmi, Pœnitentiæ, ac Confirmationis (ideoque etiam confici Chriſma utpote acceſſorium) non vero cetera Sacramenta etiam feſtis ſollemnioribus, quibus permittuntur divina Officia; quia interdictum eſt locale. Similiter, ſi interdicitur Populus, poſſunt Cives ubique ea Sacramenta licite miniſtrare, ac recipere; quia interdictum eſt perſonale generale. *Ex Gloſſ. in cap. quoniam, de ſent. excom. in 6. verb. dubium.*

Si interdicitur aliquis in particulari (qualis cenſetur eſſe etiam ille, qui cauſſam interdicto dedit, quamvis non exprimatur) non poteſt ulla Sacramenta, nec ullibi licite adminiſtrare, ac recipere, etiamſi inſtet præceptum de Confeſſione, ac Communione Paſchali; quia interdictum eſt perſonale ſpeciale. E contra ſi immineat periculum mortis, poteſt licite adminiſtrare, vel recipere Penitentiam, ac Viaticum (& conſequenter deferre ſollemniter utpote acceſſorium); quia tunc concurrit præceptum divinum, & ſi infirmus non poſſit aliter juſtificari, poteſt etiam inungi Oleo ſancto; quia tunc concurrit neceſſitas extrema. *Ex Gloſſ. in cap. alma mater, de ſent. excom. in 6. verb. admittantur. Vide Lezzanam, verb. Interd.*

§. III. *De privatione ſepulturæ Eccleſiaſticæ.*

Tertius effectus interdicti eſt privatio ſepulturæ Eccleſiaſticæ, per quam intelligitur ſepultura in loco, quem Epiſcopus conſecravit, vel idem, aut Prælatus Regularis ad uſum Cœmeterii benedixit,

xit, vel in quo divina Officia peraguntur, nec ſolum interdictus prohibetur ſepeliri in loco ſacro; ſed etiam cum pompa funeris in loco non ſacro ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, & Epiſcopo reſervatæ, dummodo interdictum ſit publicatum, cum privatio ſepulturæ pertineat ad forum externum. Sed quia hac ſepultura Eccleſiaſtica non privat interdictum omne, nec omnem, nec ubique, nec ſemper; ad dignoſcendum qui, ubi, & quando ſepeliri in loco ſacro prohibeatur, vel non; hæc traditur diſtinctio:

Si interdictum eſt perſonale, prohibetur ſepeliri in loco ſacro quilibet, ubique, & ſemper.

Si interdictum eſt locale, ibidem prohibetur ſepeliri Laicus ſemper, Clericus, quoties non ſervavit interdictum.

Alibi neuter.

Ratio eſt, quia quando interdictum eſt perſonale, ita diſponitur *in cap. Epiſcoporum, de privil. in 6. in & in Clement.* 1. *de ſepult* Quando vero eſt locale, ita diſponitur *in cap. quod in te, de pœnit. & remiſſ.* quod tamen cum non afficiat perſonam, ſed locum, extra ipſum ceſſat.

Unde reſolvitur.

Si interdicitur aliquis in particulari, vel ſit Laicus, vel Clericus, non poteſt mortuus in cenſura ſepeliri in loco ſacro etiam extra territorium interdicentis; quamvis ſigna pœnitentiæ dederit; quia interdictum eſt perſonale. Idem dicendum eſt de eo, qui mortuus eſt in Communitate interdicta, dummodo ejus nomine veniat; quia licet interdictum ſit generale, per hoc non tollitur, quin ſit perſonale. *Caſtrop. de cenſur. diſp.* 5. *punct.* 4. §. 3. *num.* 10.

Si Interdicitur Civitas, non poteſt ibidem ſepeliri in loco ſacro ullus Laicus, etiamſi ſit infans, vel amens, neque in feſtis ſollemnioribus quando permittuntur divina Officia. Clericus vero etiam conjugatus (dummodo ſervaverit interdictum) poteſt ibidem ſepeliri tam in loco ſacro, quam in Eccleſia interdicta, (janius tamen clauſis, voce ſubmiſſa in divinis Officiis, & ſine pulſatione campanarum); quia interdictum eſt locale. E contra tam Clericus, quam Laicus poteſt extra locum interdictum ſepeliri in loco ſacro cum

omnibus ſollemnitatibus; quia tunc interdictum non afficit perſonam, ſed tantummodo locum, utpote locale. *Caſtrop. loco cit. a. n. 1. uſque ad 9. Ex Juribus citatis, ubi Gloſſa.*

CAPUT IV.

De Interdicto ab ingreſſu Eccleſiæ.

INterdictum aliquando eſt a ſolo ingreſſu Eccleſiæ, & hoc duos præſtat effectus, ſcilicet privationem ingreſſus in Eccleſiam, & privationem ſepulturæ Eccleſiaſticæ. Nomine Eccleſiæ intelligitur ea, quæ eſt publice erecta auctoritate Epiſcopi, & quælibet pars cum ipſa conjuncta etiam quoad Cœmeterium, non vero pars ſeparata, nec Oratorium privatum; nomine vero ſepulturæ Eccleſiaſticæ intelligitur ſuperius dicta §. *præced.* Cum igitur in hoc interdicto tam ingrediens Eccleſiam, quam alii ipſum ſepelientes in loco ſacro utpote facientes contra prohibitionem Eccleſiæ peccent, ſed non ſemper; ad dignoſcendum quandonam peccent vel non; hæc traditur diſtinctio:

Si interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ eam ingreditur, peccat, quoties ea utitur tamquam loco ſacro.
Si ſepelitur in loco ſacro, ſepelientes peccant, quoties de ejus pœnitentia non conſtat.
Alias non peccant.

Ratio eſt; quia cum *in cap. is cui eſt, de ſent. excom. in 6.* prohibeatur, ne taliter interdictus ingrediatur Eccleſiam; ſub prohibitione non cadit ingreſſus materialis; ſed formalis loci quatenus ſacri, utpote oppoſitus fini interdicentis uſum rei ſacræ; & cum in eodem Textu prohibeatur, ne taliter interdictus ſepeliatur in loco ſacro ſub iſta exceptione -- *niſi pœnituerit* -- eatenus ſepelientes faciunt contra prohibitionem, quatenus de ejus pœnitentia non conſtat.

Unde reſolvitur.

Si interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ orat extra ejus oſtium etiam clauſum, dum ibi celebrantur divina Officia, peccat; quia licet materialiter ſit extra Eccleſiam, cum tamen ratione auditionis moraliter ſit intra ipſam, cenſetur, quod Eccleſiam ingreditur. Secus vero ſi oret extra ejus oſtium etiam apertum, dum ibi nulla divina Officia celebrantur; quia cum tunc neque materialiter, neque moraliter ſit intra Eccleſiam; non

cen-

cenſetur, quod ipſam ingrediatur. *Suarez de interdicto diſp.* 35. *ſect.* 4. *n.* 7.

Si interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ eam ingreditur, ut ibi audiat divina Officia, vel Sacramenta miniſtret, aut recipiat, vel etiam ut ibi oret privatim, peccat; quia tunc ea utitur tamquam loco ſacro. Secus vero ſi eam ingrediatur, ut ibi diſputationem, aut concionem habeat, aut audiat, vel ut ibi ferat, aut abſolvat a cenſuris: quia cum hæc, & ſimilia non referantur ad Eccleſiam qua ſacram; tunc ea non utitur tamquam loco ſacro. *Caſtropal. de cenſur. diſp.* 5. *punct.* 4. §. 5. *num.* 5.

Si interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ ſepelitur in ea, vel in alio loco ad uſum Cœmeterii benedicto, aut in quo peraguntur divina officia, ſepelientes peccant; quia eum ſepeliunt in loco ſacro. Secus vero, ſi a fide dignis audiant ipſum deceſſiſſe cum ſignis pœnitentiæ, licet ab interdicti cenſura non fuerit abſolutus (ad differentim interdicti ſimpliciter juxta ſuperius dicta §. *præcedenti*); quia tunc ſufficienter de ejus pœnitentia conſtat. *Caſtrop. loco cit. n.* 11. & 12.

CAPUT V.

De Interdicti violatione.

INterdictum violatur, quoties exercetur aliqua ex illis actionibus, quæ per ipſum prohibentur, ac ſemper peccatur graviter, niſi parvitas materiæ, aut aliud excuſet, vel niſi interdictus ſit toleratus, & ſe non ingerat, ſed requiratur ab aliis juxta ſuperius dicta de excommunicato tolerato. Præter peccatum, quando hoc eſt grave, incurruntur etiam pœnæ ſtatutæ in jure, quæ cum ſint diverſæ prout interdictum diverſimode, vel a diverſis violatur, nec tamen in omni violatione incurrantur; ad dignoſcendum, quænam ſint, & qui, ac quando eas incurrant, vel non; hæc traditur diſtinctio.

Si interdictum violatur per exercitium Ordinis, Clerici incurrunt irregularitatem, quoties exercent ſacrum ſollemniter.

Si violatur per inobſervantiam, Clerici incurrunt interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ, quoties admittunt nominatim interdictos ad divina, vel ad ſepulturam Eccleſiaſticam: Religioſi incurrunt excommu-

nicationem, quoties non ſervant interdictum ſervatum a matrice, vel Parochiali. Laici vero incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam, quoties faciunt, ne alii id ſervent.

Si violatur per ſepulturam Eccleſiaſticam, omnes incurrunt excommunicationenem reſervatam Epiſcopo, quoties perſonam interdictam in loco ſacro, vel non interdictam in loco interdicto, etiam cooperative ſepeliunt.

Alias nulli pœnam incurrunt.

Ratio eſt; quia quando interdictum violatur per exercitium ordinis, ita diſponitur *in c. is cui eſt, de ſent. excom. in* 6. Quando violatur per inobſervantiam, quoad Clericos admittentes, ita diſponitur *in c. Epiſcopor. de privil. in* 6. quoad Religioſos non ſervantes, ita diſponitur *in Clem.* 1. *de ſent. excom.* quoad Laicos facientes non ſervari, ita diſponitur *in Clem.* 2. *de ſent. exc.* Quando violatur per ſepulturam Eccleſiaſticam ita diſponitur *in Clement.* 1. *de ſepult.* quando vero violatur alio modo, nulla reperitur ſtatuta pœna in Jure.

Unde reſolvitur.

Si Clerici quomodolibet interdicti, vel in loco interdicto exercent extra caſus permiſſos actum ordinis eo modo, quo non poteſt exerceri a Laicis, ut benedicendo nuptias, aut alias res, vel dicendo, dum agunt hebdomadarium in Choro — *Dominus vobiſcum* — incurrunt irregularitatem; quia exercent Ordinem Sacrum ſollemniter. Secus vero ſi interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ eam ingrediantur ad orandum, aut canendum cum aliis; quia tunc non exercent Ordinem; vel miniſtrent in aliquo Ordine minori; quia tunc non exercent Sacrum; vel etiam miniſtrent in Subdiaconatu, ſed ſine manipulo; quia tunc Sacrum non exercent ſollemniter. *Ex c. is cui eſt, de ſent. excom. in* 6.

Si Clerici expreſſe, vel tacite conſentiunt, ut nominatim interdicti aſſiſtant divinis Officiis, vel ut ſepeliantur in loco ſacro, incurrunt interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ; quia tunc cenſetur quod eos admittant. Secus autem, ſi interdicti ſe intrudant, nec poſſint prohiberi, quia tunc non cenſetur quod eos admittant. *Ex cap. Epiſcoporum, de privileg. in* 6.

Si Religioſi quantumvis exempti non ſervant inter-

terdictum ſervatum ab Eccleſia principali, vel Parochiali, etiamſi prætendant eſſe nullum, incurrunt excommunicationem non reſervatam; quia adhuc verificatur, quod non ſervent interdictum, quando ſervatur a Matrice, vel Parochiali. Secus autem ſi interdictum non ſervetur ab illis Eccleſiis, licet ſervetur ab aliis, etiamſi cenſeant eſſe validum, nec ipſi ſint exempti a juriſdictione interdicentis; quia adhuc verificatur quod non ſervent interdictum, quando non ſervatur a matrice, vel Parochiali. *Ex Clemen. ex frequentibus*, *de ſent. excom.*

Si laici tempore interdicti compellunt Clericos ad celebranda divina Officia, vel prohibent, ne alii moniti a Clericis exeant ab Eccleſia, vel ad eam invitant Populum ſonitu Campanæ, aut voce præconis, incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam; quia faciunt, ne alii interdictum ſervent. Secus vero ſi poſitive non concurrant, ſed ſolum negative ſe habeant, quamvis poſſint, & teneantur interdicti obſervantiam procurare; quia licet permittant, non tamen faciunt, ne alii interdictum ſervent. *Ex Clement. Gravis. de ſent. excom.*

Si Clerici, Religioſi, vel Laici ſepeliunt, vel mandato, conſilio, auxilio, ac etiam comitatu concurrunt, ut perſona interdicta ſepeliatur in loco ſacro, vel non interdicta ſepeliatur in loco interdicto, incurrunt excommunicationem reſervatam Epiſcopo; quia eam active, vel cooperatione ſepeliunt. Secus autem ſi non impediant etiamſi poſſint, ac teneantur; quia licet permittant, ex negatione actus poſitivi non cenſetur, quod cooperative ſepeliant. *Ex Clement. eos qui de Sepult. Vide Lezanam*, *verb. Interdictum*.

APPENDIX PRIMA.

De Ceſſatione a divinis.

Interdicto adnectitur ceſſatio a divinis, quæ licet non ſit cenſura, ſed tantum prohibitio facta Miniſtris Eccleſiæ, ne divina perſolvant in pœnam alicujus delicti; eſt tamen quoad aliquos effectus interdicto conſimilis, & hæc utpote publica non poteſt ferri niſi ob delictum publicum, gravius tamen eo, ob quod fertur interdictum, & utpote ſolum lata ab homine non poteſt indici niſi ab habente juriſdictionem Eccleſiaſticam in foro

nomine Eccleſiarum non veniat Cathedralis ex *cap. quamvis*, *de præbend. in* 6. hæc non eſt pars loci expreſſi.

Si interdicitur Provincia, vel Civitas, innocentes poſſunt extra ipſam intereſſe, ac participare divina; quia cauſſam interdicto non dederunt. E contra qui quomodolibét cooperati ſunt delicto, ob quod latum fuit interdictum, non poſſunt participare, nec intereſſe divinis ubicumque exiſtant; quia cauſſam interdicto dederunt. *Ex cap. ſi ſententia*, *de ſent. excomm. in* 6. *Vide Caſtropal. de cenſur. diſp.* 5. *punct.* 2. §. 1.

CAPUT II.

De Interdicto Perſonali.

Interdictum perſonale, quo interdicitur perſona, aliud eſt generale, quo interdicitur Populus, vel Communitas; aliud eſt ſpeciale quo interdicitur aliquis in particulari. Utrumque hoc interdictum nunquam afficit eos, qui ſunt ſeptennio minores, vel perpetuo amentes; quia cum uſu rationis careant, non ſubduntur legibus; generale vero afficit etiam innocentes quamvis abſentes, cum ſufficiat delictum Communitatis, non vero ſpeciale, cum ad hoc requiratur delictum proprium. Suppoſito igitur uſu rationis, ac delicto alieno, vel proprio juxta hìc dicta; difficultas eſt quoſnam interdictum perſonale afficiat, vel non. Pro quo hæc traditur diſtinctio:

Si interdictum perſonale eſt generale, afficit omnes de Communitate, quoties ejus nomine veniunt.

Si eſt ſpeciale, afficit expreſſos ſemper, non expreſſos vero, quoties cauſſam interdicto dederunt.

Alias non afficit.

Ratio quoad interdictum generale eſt; quia cum feratur in Communitatem, de hac cenſentur eſſe ii ſolum, qui ejus nomine veniunt. Quo vero ad interdictum ſpeciale; quia de expreſſis patet; de non expreſſis autem, qui cauſſam interdicto dederunt, ita colligitur ex *cap. ſi ſententia*, *de ſent. excom. in* 6.

Unde reſolvitur.

Si generaliter interdicitur Populus, non cenſentur interdicti Clerici; quia licet ſint pars populi, cum tamen nomen populi ſoleat uſurpari pro Laicali; Clerici in odioſis, ejus nomine non veniunt.

Si-

Similiter ſi generaliter interdicitur Clerus, non cenſentur interdicti Religioſi; quia licet ſint pars Cleri, cum tamen nomen Cleri ſoleat uſurpari pro Sæculari; Religioſi in odioſis, ejus nomine non veniunt. *Lezzana verb. interdictum n.* 3.

Si generaliter interdicitur ordo Eccleſiaſticus, cenſentur interdicti non ſolum Clerici, ſed etiam Religioſi; quia cum hoc nomen ſoleat uſurpari pro omnibus, qui ſunt Eccleſiæ dicati; etiam Religioſi in odioſis ejus nomine veniunt. E contra non cenſentur interdicti Epiſcopi; quia licet ſint pars præcipua ordinis Eccleſiaſtici; cum tamen ratione præeminentiæ debeant ſpecialiter exprimi; in odioſis generali ejus nomine non veniunt. *Ex cap. quia periculoſum*, *de ſent. excom. in* 6.

Si generaliter interdicitur Civitas, ſicuti cenſetur interdictus extraneus ſtatim ac in eam animo permanendi ſe transfert; ita non cenſetur interdictus Civis ſtatim ac ab ea animo non redeundi recedit; quia quatenus in Civitate animum permanendi, vel non permanendi habet; eatenus ejus nomine venit. Similiter qui duo habet domicilia, tunc cenſetur interdictus quando manet in Civitate interdicta; quia quamdiu in ipſa manet, tamdiu ejus nomine venit. B*onac. de interdict. diſp.* 5. *punct.* 1. *num.* 10.

Si generaliter interdicitur familia, cenſentur interdicti etiam Clerici ab ipſa prognati; quia cum hoc nomen ſoleat uſurpari pro omnibus de eadem familia; Clerici etiam in odioſis ejus nomine veniunt. E contra non cenſentur interdicti Epiſcopi, nec Religioſi ab ipſa prognati, neque alii, qui per adoptionem evaſerunt de eadem familia; quia Epiſcopi utpote exprimendi ſpecialiter, & Religioſi utpote reſciſſi a Sæculo, adoptivi vero utpote ad favorabilia aſſumpti, in odioſis ejus nomine non veniunt. *Bonac. loco cit. num.* 16.

Si ſpecialiter interdicuntur aliqui particulares, cenſentur interdicti omnes, & ſinguli, qui ſunt nominati, etiamſi cauſſam interdicto non dederint; quia ſunt expreſſi. Similiter cenſentur interdicti etiam illi, qui non ſunt nominati, ſi quomodolibet cooperati ſunt delicto, ob quod fuit latum interdictum; quia licet non ſint expreſſi, cauſſam tamen interdicto dederunt. *Ex cap. ſi ſent. de*

ſent.

ſent. excomm. in. 6. Vide Caſtrop. de cenſur. diſp. 5. punct. 2. §. 2.

CAPUT III.

De Interdicti effectibus.

INterdicti effectus ſunt tres, ſcilicet privatio omnium divinorum Officiorum, privatio aliquorum Sacramentorum, & privatio ſepulturæ Eccleſiaſticæ, quorum trium effectuum cum diverſa ſit ratio; ut de ſingulis diſtinctim agatur, ſit

§. I. *De privatione divinorum Officiorum.*

Divina officia, per quæ intelliguntur Miſſæ, horæ Canonicæ, benedictiones, proceſſiones, & preces quæcumque inſtitutæ ab Eccleſia, non autem actus juridictionis, & ſimilia, quæ non ſunt divini cultus, eatenus per interdictum prohibentur, quatenus fiunt nomine Eccleſiæ, ideſt vel a Clericis ſollemniter, vel etiam a Laicis, quibus præſit aliquis Clericus; alias enim ſi fiant a ſolis Laicis, vel etiam a Clericis, ſed privatim, & tamquam perſonis particularibus utpote non facta nomine Eccleſiæ, per interdictum non prohibentur. Sed quia etiamſi fiant nomine Eccleſiæ adhuc tamen non omnibus, nec ubique, nec ſemper per interdictum prohibentur; ad dignoſcendum quibus, ubi, & quando prohibeantur, vel non; hæc traditur diſtinctio:

Si interdictum eſt perſonale, tam per ſpetiale, quam generale divina Officia prohibentur omnibus, ubique, & ſemper.

Si interdictum eſt locale, ibidem per generale prohibentur Clericis publice, Laicis etiam privatim (feſtis ſollemnioribus exceptis); per ſpeciale vero prohibentur etiam Clericis privatim, (Miſſa ſemel in Hebdomada excepta).

Ratio quoad interdictum perſonale eſt; quia ita diſponitur *in cap. ſi ſententia, de ſentent. excom. in 6.* Quo vero ad interdictum locale; quia quando hoc eſt generale, ita diſponitur *in c. alma mater, de ſent. excom. in 6.* quando autem eſt ſpeciale, ita diſponitur *in c. permittimus, de ſent. excom.*

Unde reſolvitur.

Si interdicitur aliquis particularis, ubicumque exiſtat, non poteſt etiam in feſtis ſollemnioribus aſſiſtere divinis Officiis utpote ſibi ibique, ac ſemper prohibitis; quia interdictum eſt perſonale.

Idem

Idem dicendum eſt de quolibet Cive, ſi interdicatur populus Civitatis; quia licet interdictum ſit generale, adhuc tamen eſt perſonale. *Ex cap. ſi ſententia, de ſent. excom. in* 6.

Si interdicitur aliqua Civitas poſſunt Clerici cum famulis utpote acceſſoriis, in Eccleſia (non autem in Oratorio privato) celebrare, ſubmiſſa tamen voce, januis clauſis, nec pulſatis campanis omnia divina Officia utpote ipſis prohibita ſolum publice; non autem Laici poſſunt aſſiſtere eiſdem Officiis utpote ſibi prohibitis etiam privatim; quia interdictum eſt locale generale. E contra poſſunt Clerici ea celebrare etiam publice, ac Laici eis intereſſe diebus Nativitatis Domini, Paſchatis, Pentecoſtes, Aſſumptionis Beatæ Virginis (quod privilegium cenſetur ubique extenſum etiam ad feſtum Corporis Chriſti cum Octava ex *Bulla* 6. *Eugenii IV.* quæ incipit -- *Excellentiſſimum*, & alicubi ad feſtum Conceptionis B. V.); quia licet adſit interdictum locale; hoc tamen utpote generale ceſſat in feſtis ſollemnioribus. *Ex cap. alma mater, de ſent. excom. in* 6.

Si interdicitur aliqua Eccleſia, Clerici neque privatim poſſunt in ea celebrare divina Officia etiam in feſtis ſollemnioribus; quia interdictum eſt locale ſpeciale. E contra poſſunt ſemel in Hebdomada celebrare unam Miſſam privatim, id eſt ſubmiſſa voce, januis clauſis, non pulſatis campanis, & excluſis Laicis; quia licet adſit interdictum locale ſpeciale; ad renovandam tamen Euchariſtiam talis Miſſa eſt excepta. *Ex c. permittimus de ſent. excom. Vide Caſtrop. de cenſ. diſp.* 5. *punct.* 4. §. 2.

§. II. *De privatione* Sacramentorum.

Alter effectus interdicti eſt privatio Sacramentorum, quæ tamen ſi adminiſtrentur, vel recipiantur, quamvis illicita, ſunt tamen valida; excepta pœnitentia adminiſtrata ab interdicto nominatim denunciato ob juriſdictionis defectum. Sed quia non omne interdictum privat omnibus Sacramentis, nec ſemper; ad dignoſcendum quænam permittantur, & quæ, ubi, & quando prohibeantur, vel non; hæc traditur diſtinctio:

Si interdictum eſt locale, vel perſonale generale, permittuntur ſola Sacramenta Baptiſmi, Confirmationis, & Pœnitentiæ.

Si

Si eſt perſonale ſpeciale, probibentur omnia, & ubique, quoties non concurrit præceptum divinum, vel extrema neceſſitas.

Ratio quoad omne interdictum locale, & quoad perſonale generale eſt; quia Baptiſmus, & confirmatio conceditur *in cap. quoniam, de ſent excom. in* 6. Pœnitentia autem conceditur *in cap. alma mater, de ſent. excom. in* 6. Quoad interdictum perſonale ſpeciale; quia omnia prohibentur *in cap. reſponſo de ſent. excom. & in cap. ſi ſententia, de ſent. excom. in* 6 quo vero ad exceptionem; quia quando concurrit præceptum divinum, prævalet Eccleſiaſtico, & neceſſitas legem non habet.

Unde reſolvitur.

Si interdicitur Civitas, vel Eccleſia, poſſunt in ea etiam extra neceſſitatem licite adminiſtrari, ac recipi Sacramenta Baptiſmi, Pœnitentiæ, ac Confirmationis (ideoque etiam confici Chriſma utpote acceſſorium) non vero cetera Sacramenta etiam feſtis ſollemnioribus, quibus permittuntur divina Officia; quia interdictum eſt locale. Similiter, ſi interdicitur Populus, poſſunt Cives ubique ea Sacramenta licite miniſtrare, ac recipere; quia interdictum eſt perſonale generale. *Ex Gloſſ. in cap. quoniam, de ſent. excom. in 6. verb. dubium.*

Si interdicitur aliquis in particulari (qualis cenſetur eſſe etiam ille, qui cauſſam interdicto dedit, quamvis non exprimatur) non poteſt ulla Sacramenta, nec ullibi licite adminiſtrare, ac recipere, etiamſi inſtet præceptum de Confeſſione, ac Communione Paſchali; quia interdictum eſt perſonale ſpeciale. E contra ſi immineat periculum mortis, poteſt licite adminiſtrare, vel recipere Penitentiam, ac Viaticum (& conſequenter deferre ſollemniter utpote acceſſorium); quia tunc concurrit præceptum divinum, & ſi infirmus non poſſit aliter juſtificari, poteſt etiam inungi Oleo ſancto; quia tunc concurrit neceſſitas extrema. *Ex Gloſſ. in cap. alma mater, de ſent. excom. in 6. verb. admittantur. Vide Lezzanam, verb. Interd.*

§. III. *De privatione ſepulturæ Eccleſiaſticæ.*

Tertius effectus interdicti eſt privatio ſepulturæ Eccleſiaſticæ, per quam intelligitur ſepultura in loco, quem Epiſcopus conſecravit, vel idem, aut Prælatus Regularis ad uſum Cœmeterii benedixit,

xit, vel in quo divina Officia peraguntur, nec ſolum interdictus prohibetur ſepeliri in loco ſacro; ſed etiam cum pompa funeris in loco non ſacro ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, & Epiſcopo reſervatæ, dummodo interdictum ſit publicatum, cum privatio ſepulturæ pertineat ad forum externum. Sed quia hac ſepultura Eccleſiaſtica non privat interdictum omne, nec omnem, nec ubique, nec ſemper; ad dignoſcendum qui, ubi, & quando ſepeliri in loco ſacro prohibeatur, vel non; hæc traditur diſtinctio:

Si interdictum eſt perſonale, prohibetur ſepeliri in loco ſacro quilibet, ubique, & ſemper.

Si interdictum eſt locale, ibidem prohibetur ſepeliri Laicus ſemper, Clericus, quoties non ſervavit interdictum.

Alibi neuter.

Ratio eſt, quia quando interdictum eſt perſonale, ita diſponitur *in cap. Epiſcoporum, de privil. in* 6. *in & in Clement.* 1. *de ſepult* Quando vero eſt locale, ita diſponitur *in cap. quod in te, de pœnit. & remiſſ.* quod tamen cum non afficiat perſonam, ſed locum, extra ipſum ceſſat.

Unde reſolvitur.

Si interdicitur aliquis in particulari, vel ſit Laicus, vel Clericus, non poteſt mortuus in cenſura ſepeliri in loco ſacro etiam extra territorium interdicentis; quamvis ſigna pœnitentiæ dederit; quia interdictum eſt perſonale. Idem dicendum eſt de eo, qui mortuus eſt in Communitate interdicta, dummodo ejus nomine veniat; quia licet interdictum ſit generale, per hoc non tollitur, quin ſit perſonale. *Caſtrop. de cenſur. diſp.* 5. *punct.* 4. §. 3. *num.* 10.

Si Interdicitur Civitas, non poteſt ibidem ſepeliri in loco ſacro ullus Laicus, etiamſi ſit infans, vel amens, neque in feſtis ſollemnioribus quando permittuntur divina Officia. Clericus vero etiam conjugatus (dummodo ſervaverit interdictum) poteſt ibidem ſepeliri tam in loco ſacro, quam in Eccleſia interdicta, (januis tamen clauſis, voce ſubmiſſa in divinis Officiis, & ſine pulſatione campanarum); quia interdictum eſt locale. E contra tam Clericus, quam Laicus poteſt extra locum interdictum ſepeliri in loco ſacro cum om-

omnibus ſollemnitatibus; quia tunc interdictum non afficit perſonam, ſed tantummodo locum, utpote locale. *Caſtrop. loco cit. a. n.* 1. *uſque ad* 9. *Ex Juribus citatis, ubi Gloſſa.*

CAPUT IV.

De Interdicto ab ingreſſu Eccleſiæ.

INterdictum aliquando eſt a ſolo ingreſſu Eccleſiæ, & hoc duos præſtat effectus, ſcilicet privationem ingreſſus in Eccleſiam, & privationem ſepulturæ Eccleſiaſticæ. Nomine Eccleſiæ intelligitur ea, quæ eſt publice erecta auctoritate Epiſcopi, & quælibet pars cum ipſa conjuncta etiam quoad Cœmeterium, non vero pars ſeparata, nec Oratorium privatum; nomine vero ſepulturæ Eccleſiaſticæ intelligitur ſuperius dicta 9. *præced.* Cum igitur in hoc interdicto tam ingrediens Eccleſiam, quam alii ipſum ſepelientes in loco ſacro utpote facientes contra prohibitionem Eccleſiæ peccent, ſed non ſemper; ad dignoſcendum quandonam peccent vel non; hæc traditur diſtinctio:

Si interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ eam ingreditur, peccat, quoties ea utitur tamquam loco ſacro.
Si ſepelitur in loco ſacro, ſepelientes peccant, quoties de ejus pœnitentia non conſtat.
Alias non peccant.

Ratio eſt; quia cum *in cap. is cui eſt, de ſent. excom. in* 6. prohibeatur, ne taliter interdictus, ingrediatur Eccleſiam; ſub prohibitione non cadit ingreſſus materialis; ſed formalis loci quatenus ſacri, utpote oppoſitus fini interdicentis uſum rei ſacræ; & cum in eodem Textu prohibeatur, ne taliter interdictus ſepeliatur in loco ſacro ſub iſta exceptione -- *niſi pænituerit* -- eatenus ſepelientes faciunt contra prohibitionem, quatenus de ejus pœnitentia non conſtat.

Unde reſolvitur.

Si interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ orat extra ejus oſtium etiam clauſum, dum ibi celebrantur divina Officia, peccat; quia licet materialiter ſit extra Eccleſiam, cum tamen ratione auditionis moraliter ſit intra ipſam, cenſetur, quod Eccleſiam ingreditur. Secus vero ſi oret extra ejus oſtium etiam apertum, dum ibi nulla divina Officia celebrantur; quia cum tunc neque materialiter, neque moraliter ſit intra Eccleſiam; non cen-

cenſetur, quod ipſam ingrediatur. *Suarez de interdicto diſp.* 35. *ſect.* 4. *n.* 7.

Si interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ eam ingreditur, ut ibi audiat divina Officia, vel Sacramenta miniſtret, aut recipiat, vel etiam ut ibi oret privatim, peccat; quia tunc ea utitur tamquam loco ſacro. Secus vero ſi eam ingrediatur, ut ibi diſputationem, aut concionem habeat, aut audiat, vel ut ibi ferat, aut abſolvat a cenſuris: quia cum hæc, & ſimilia non referantur ad Eccleſiam qua ſacram; tunc ea non utitur tamquam loco ſacro. *Caſtropal. de cenſur. diſp.* 5. *punct.* 4. §. 5. *num.* 5.

Si interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ ſepelitur in ea, vel in alio loco ad uſum Cœmeterii benedicto, aut in quo peraguntur divina officia, ſepelientes peccant; quia eum ſepeliunt in loco ſacro. Secus vero, ſi a fide dignis audiant ipſum deceſſiſſe cum ſignis pœnitentiæ, licet ab interdicti cenſura non fuerit abſolutus (ad differentiam interdicti ſimpliciter juxta ſuperius dicta §. *præcedenti*); quia tunc ſufficienter de ejus pœnitentia conſtat. *Caſtrop. loco cit. n.* 11. & 12.

C A P U T V.

De Interdicti violatione.

INterdictum violatur, quoties exercetur aliqua ex illis actionibus, quæ per ipſum prohibentur, ac ſemper peccatur graviter, niſi parvitas materiæ, aut aliud excuſet, vel niſi interdictus ſit toleratus, & ſe non ingerat, ſed requiratur ab aliis juxta ſuperius dicta de excommunicato tolerato. Præter peccatum, quando hoc eſt grave, incurruntur etiam pœnæ ſtatutæ in jure, quæ cum ſint diverſæ prout interdictum diverſimode, vel a diverſis violatur, nec tamen in omni violatione incurrantur; ad dignoſcendum, quænam ſint, & qui, ac quando eas incurrant, vel non; hæc traditur diſtinctio.

Si interdictum violatur per exercitium Ordinis, Clerici incurrunt irregularitatem, quoties exercent ſacrum ſollemniter.

Si violatur per inobſervantiam, Clerici incurrunt interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ, quoties admittunt nominatim interdictos ad divina, vel ad ſepulturam Eccleſiaſticam: Religioſi incurrunt excommunica-

nicationem, quoties non ſervant interdictum ſervatum a matrice, vel Parochiali; Laici vero incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam, quoties faciunt, ne alii id ſervent.

Si violatur per ſepulturam Eccleſiaſticam, omnes incurrunt excommunicationenem reſervatam Epiſcopo, quoties perſonam interdictam in loco ſacro, vel non interdictam in loco interdicto, etiam cooperative ſepeliunt.

Alias nulli pœnam incurrunt.

Ratio eſt; quia quando interdictum violatur per exercitium ordinis, ita diſponitur *in c. is cui eſt, de ſent. excom. in* 6. Quando violatur per inobſervantiam, quoad Clericos admittentes, ita diſponitur *in c. Epiſcopor. de privil. in* 6. quoad Religioſos non ſervantes, ita diſponitur *in Clem.* 1. *de ſent. excom.* quoad Laicos facientes non ſervari, ita diſponitur *in Clem.* 2. *de ſent. exc.* Quando violatur per ſepulturam Eccleſiaſticam ita diſponitur *in Clement.* 1. *de ſepult.* quando vero violatur alio modo, nulla reperitur ſtatuta pœna in Jure.

Unde reſolvitur.

Si Clerici quomodolibet interdicti, vel in loco interdicto exercent extra caſus permiſſos actum ordinis eo modo, quo non poteſt exerceri a Laicis, ut benedicendo nuptias, aut alias res, vel dicendo, dum agunt hebdomadarium in Choro — *Dominus vobiſcum* — incurrunt irregularitatem; quia exercent Ordinem Sacrum ſollemniter. Secus vero ſi interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ eam ingrediantur ad orandum, aut canendum cum aliis; quia tunc non exercent Ordinem; vel miniſtrent in aliquo Ordine minori; quia tunc non exercent Sacrum; vel etiam miniſtrent in Subdiaconatu, ſed ſine manipulo; quia tunc Sacrum non exercent ſollemniter. *Ex c is cui eſt, de ſent. excom. in* 6.

Si Clerici expreſſe, vel tacite conſentiunt, ut nominatim interdicti aſſiſtant divinis Officiis, vel ut ſepeliantur in loco ſacro, incurrunt interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ; quia tunc cenſetur quod eos admittant. Secus autem, ſi interdicti ſe intrudant, nec poſſint prohiberi, quia tunc non cenſetur quod eos admittant. *Ex cap. Epiſcoporum, de privileg. in* 6.

Si Religioſi quantumvis exempti non ſervant in-

ter-

terdictum ſervatum ab Eccleſia principali, vel Parochiali, etiamſi prætendant eſſe nullum, incurrunt excommunicationem non reſervatam; quia adhuc verificatur, quod non ſervent interdictum, quando ſervatur a Matrice, vel Parochiali. Secus autem ſi interdictum non ſervetur ab illis Eccleſiis, licet ſervetur ab aliis, etiamſi cenſeant eſſe validum, nec ipſi ſint exempti a juriſdictione interdicentis; quia adhuc verificatur quod non ſervent interdictum, quando non ſervatur a matrice, vel Parochiali. *Ex Clemen. ex frequentibus, de ſent. excom.*

Si laici tempore interdicti compellunt Clericos ad celebranda divina Officia, vel prohibent, ne alii moniti a Clericis exeant ab Eccleſia, vel ad eam invitant Populum ſonitu Campanæ, aut voce præconis, incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam; quia faciunt, ne alii interdictum ſervent. Secus vero ſi poſitive non concurrant, ſed ſolum negative ſe habeant, quamvis poſſint, & teneantur interdicti obſervantiam procurare; quia licet permittant, non tamen faciunt, ne alii interdictum ſervent. *Ex Clement. Gravis. de ſent. excom.*

Si Clerici, Religioſi, vel Laici ſepeliunt, vel mandato, conſilio, auxilio, ac etiam comitatu concurrunt, ut perſona interdicta ſepeliatur in loco ſacro, vel non interdicta ſepeliatur in loco interdicto, incurrunt excommunicationem reſervatam Epiſcopo; quia eam active, vel cooperatione ſepeliunt. Secus autem ſi non impediant etiamſi poſſint, ac teneantur; quia licet permittant, ex negatione actus poſitivi non cenſetur, quod cooperative ſepeliant. *Ex Clement. eos qui de Sepult. Vide Lezanam, verb. Interdictum.*

APPENDIX PRIMA.

De Ceſſatione a divinis.

INterdicto adnectitur ceſſatio a divinis, quæ licet non ſit cenſura, ſed tantum prohibitio facta Miniſtris Eccleſiæ, ne divina perſolvant in pœnam alicujus delicti; eſt tamen quoad aliquos effectus interdicto conſimilis, & hæc utpote publica non poteſt ferri niſi ob delictum publicum, gravius tamen eo, ob quod fertur interdictum, & utpote ſolum lata ab homine non poteſt indici niſi ab habente juriſdictionem Eccleſiaſticam in foro

externo: durat autem per menſem, ſi infra ipſum non tollatur, vel partes per ſe, vel per Procuratorem non adeant Summum Pontificem: alias enim elapſo menſe expirat, ut diſponitur *in cap. quamvis ſuper, de offic. ord. in* 6. Cum igitur per hanc ceſſationem a divinis, quando indicitur, non prohibeantur omnia, quæ prohibentur per interdictum, nec quando violatur, ſtatuta ſit eadem pœna; ad dignoſcendum quænam prohibeantur, & quæ pœna, a quibus, & quando incurratur, vel non; hæc traditur diſtinctio:

Si ceſſatio a divinis indicitur, per eam prohibentur tantum officia divina (Miſſa ſemel in Hebdomada, ſacramentis neceſſariis, ac feſtis ſollemnioribus exceptis.)

Si indicta violatur, tantum Religioſi incurrunt excommunicationem, quoties eſt generalis, & ſervatur a Matrice, vel Parochiali.

Ratio eſt; quia quando ceſſatio a divinis indicitur, quoad prohibitionem divinorum officiorum tantum, ita habetur *in c. non eſt vobis, de ſponſalibus*: quoad exceptionem, licet non adſit diſpoſitio juris ſicuti in interdicto; habetur tamen ex praxi, & ex præſumpta benignitate Eccleſiæ. Quando vero ceſſatio indicta violatur, quoad excommunicationem contra Religioſos, ita diſponitur *in Clem.* 1. *de ſent. excom.*

Unde reſolvitur.

1 Si a Superiore Eccleſiaſtico indicitur ceſſatio a divinis, non poſſunt celebrari a Clericis ullæ functiones ſacræ non ſolum publice, ſed ad differentiam interdicti nec etiam privatim; quia ſunt officia divina. E contra quilibet, qui non ſit excommunicatus, vel interdictus, poteſt ingredi Eccleſiam ad orandum cum aliis extra functiones ſacras, & poteſt ſepeliri in loco ſacro; dummodo ſine precibus ac ceremoniis inſtitutis ab Eccleſia; quia hæc non ſunt officia divina. *Caſtrop. de conſ. diſp.* 5. *punct.* 9. § 2. *n.* 4. & 12.

Si indicitur ceſſatio a divinis, poteſt celebrari Miſſa ſemel in Hebdomada ad renovandam Euchariſtiam, dummodo celebranti non aſſiſtant plures, quam duo, ſicuti etiam poteſt miniſtrari Baptiſmus tam parvulis, quam adultis, & Confirmatio utpote ipſius complementum, nec non Pœniten-

tentia cunctis: infirmis vero etiam Viaticum, ac Unctio extrema, quoties cenſetur alias juſtificari non poſſe; quia licet hæc ſint divina, ratione tamen neceſſitatis cenſentur excepta. Similiter in feſtis ſollemnioribus poſſunt celebrari ea officia divina, quæ juxta *c. alma mater, de ſent. exc. in* 6. permittuntur in interdicto locali generali; quia ex præſumpta benignitate Eccleſiæ hæc etiam cenſentur excepta. *Caſtrop. loco cit. n.* 7. 9. & 11.

Si indicta ceſſatio a divinis eſt generalis, & ſervata ab Eccleſia matrice, vel Parochiali ab aliis omnibus non ſervatur, quamvis omnes peccent graviter; ſoli tamen illi, qui in Religione approbata utriuſque ſexus emiſerunt vota ſollemnia, incurrunt excommunicationem, non tamen reſervatam; quia ſunt religioſi. E contra eam non incurrunt alii etiamſi communiter vivant ſub regula; quia non ſunt religioſi; nec etiam ipſi religioſi quamvis non exempti, ſi ceſſatio a divinis ſit pro aliqua Eccleſia particulari; quia tunc non eſt generalis; vel ſi eſt generalis, generaliter tamen contemnitur; quia tunc non ſervatur ab Eccleſia Matrice, vel Parochiali. *Caſtrop. loco cit.* §. 4. *n.* 3. *Ex Clement.* 1. *de ſent. excom. Vide Suarez de cenſur. diſ.* 39. *ſect.* 2.

APPENDIX II.

De Eccleſiæ pollutione.

INterdicto adnectitur etiam Eccleſiæ pollutio, quæ duos præſtat effectus, ſcilicet privationem omnium divinorum officiorum, quæ ſtatim ac Eccleſia polluitur, intermittenda ſunt (excepta Miſſa, in qua inceptus ſit Canon), & privationem ſepulturæ uſquequo reconcilietur ab Epiſcopo ſi eſt conſecrata, vel a Sacerdote ſi eſt tantum benedicta; & ſi fiat contra hanc prohibitionem peccatur graviter, ſed nulla incurritur pœna. Eccleſia dupliciter polluitur, vel per ſepulturam infidelis, aut excommunicati vitandi, vel per hominis occiſionem, aut ejus ſanguinis, ac ſeminis effuſionem. Sed quia adhuc his ſtantibus aliquando non polluitur; ad dignoſcendum quandonam polluatur, vel non; hæc traditur diſtinctio:

Si in Eccleſia ſepelitur infidelis, vel excommunicatus vitandus, polluitur ſemper.

Si in ipſa occiditur homo, vel ejus ſanguis, aut ſe-

ſemen effunditur, polluitur, quoties actus eſt mortaliter malus, ac publicus.

Alias non polluitur.

Ratio quoad ſepulturam infidelis eſt; quia ita habetur in utroque *Can. Eccl. in qua, de conſ. diſt.* 1. quoad ſepulturam excommunicati; quia ita habetur *in c. conſuluiſti, de conſ. Eccl.* ubi poſt Concilium Conſtantienſe intelligitur de ſolo vitando. Quoad occiſionem hominis; quia ita habetur *in c. propoſuiſti de conſ. Eccl.* quoad effuſionem humani ſanguinis, vel ſeminis; quia ita habetur *in c. ſi Eccl. de conſ. in* 6. quo vero ad actum mortaliter malum, ac publicum in dicta occiſione, ac effuſione; quia ita declaratur *a Gloſſa in c. ſi Eccl. de conſ. in* 6.

Unde reſolvitur.

Si in Eccleſia etiam inculpabiliter, & occulte ſepelitur hæreticus, vel apoſtata a fide, vel infans non baptizatus (dummodo non ſit in utero Matris, cujus tunc cenſetur pars) Eccleſia polluitur; quia in ipſa ſepelitur infidelis. Secus autem ſi in ea ſepeliatur Catechumenus; quia licet non ſit baptizatus, non eſt tamen infidelis. *Ex can. Eccl. in qua* 1. & 2. *diſt.* 1.

Si in Eccleſia etiam inculpabiliter, & occulte ſepelitur publicus Clerici percuſſor, vel nominatim denunciatus excommunicatus, quamvis cum ſignis pœnitentiæ deceſſerit, Eccleſia polluitur quia in ea ſepelitur excommunicatus vitandus. Secus vero etiam in caſu, quo impœnitens deceſſerit, ſi ſepeliatur toleratus, vel etiam tantummodo denunciatus, ſuſpenſus, aut interdictus; quia tunc in ea non ſepelitur excommunicatus vitandus. *Ex cap conſuluiſti, de cenſ. Eccl.*

Si quis exiſtens extra Eccleſiam per teli immiſſionem occidit exiſtentem intra Eccleſiam, etiamſi ſanguis ibi non effundatur, vel mors alibi ſequatur, Eccleſia polluitur, quia ratione actus intra ipſam conſummati cenſetur, quod homo occidatur in Eccleſia. Secus autem ſi exiſtens intra Eccleſiam occidat exiſtentem extra, etiamſi intra ipſam ſanguis effundatur, atque mors ſequatur; quia ratione actus extra ipſam conſummati non cenſetur quod homo occidatur in Eccleſia. *Ex Gloſſa in cap. ſi Eccleſiam, de conſ. in* 6.

Si

Si quis in Eccleſia alterum graviter percutit ex quo fiat contuſio, ſed non vulneratio (dummodo ex ea mors non ſequatur) Eccleſia non polluitur; quia ſanguis non effunditur. Idem dicendum eſt ſi fiat vulneratio in Eccleſia, ſed ſanguis effundatur extra; quia non funditur in ipſa, vel ſi funditur in ipſa, ſit in duabus, vel tribus guttis; quia cum effuſio importet aliquam copiam, ex parvitate quantitatis non cenſetur effundi. *Ex Gloſſa citata*.

Si in Eccleſia conſummatur copula inter Conjuges etiam ad vitandam incontinentiam utpote non excuſans a ſacrilegio, Eccleſia polluitur; quia in ipſa ſemen effunditur. Secus autem, ſi ſolum cum aliqua diſtillatione, vel humectatione etiam a non Conjugibus exerceantur turpia; quia tunc ſemen non effunditur. *Ex Gloſſa citata*.

Si aliquod ex recenſitis delictis fit in Tecto, Turri, Porticu, Sacriſtia, vel Cœmeterio Eccleſiæ, ipſa non polluitur; quia cum hæc ſint acceſſoria, ideoque in odioſis non veniant nomine Eccleſiæ, non cenſetur fieri in Eccleſia. Secus autem ſi fiat in Choro etiam elevato, vel in Sacello etiam ſubterraneo; quia cum hæc utpote integralia veniant nomine Eccleſiæ, cenſetur fieri in Eccleſia. *Ex Gloſſa citata*.

Si aliquod ex recenſitis delictis fit in Eccleſia ex ignorantia, inadvertentia, indeliberatione, vel ex cauſſa excuſante a peccato gravi, Eccleſia non polluitur; quia tunc actus non eſt mortaliter malus. Idem dicendum eſt ſi actus ſit mortaliter malus, ſed non conſtet ex evidentia facti coram pluribus, vel ex confeſſione delinquentium, vel ex indiciis, ac probationibus certis; quia tunc actus non eſt publicus. *Suar. in* 3. *p. t.* 3. *diſ.* 81. *ſect.* 4.

Si aliquod ex recenſitis delictis fit præter intentionem, dum tamen datur opera rei illicitæ in Eccleſia, ipſa non polluitur; quia cum malitia non ſit in illo genere, ſed in alio; actus quoad hoc non eſt mortaliter malus. Idem dicendum eſt, ſi publicetur res illicita, cui data fuit opera, ſed non delictum; cui eſt adnexa pollutio Eccleſiæ; quia cum de ipſo non conſtet; actus quoad hoc non cenſetur publicus. *Lugo de Euchar. diſp.* 20. *ſect.* 2. *n.* 54.

TRACTATUS V.

De Irregularitatibus.

Cenſuris adnectuntur irregularitates utpote ipſis affines ratione impedimenti ad ordines ſuſcipiendos, & ad exercendos ſuſceptos, ad quarum cognitionem cum pertineat exiſtentia, ſubjectum cauſſæ tam ex delicto, quam ex defectu, incurſus, effectus, ceſſatio, ac diſpenſatio; de ſingulis in hoc Tractatu agetur.

CAPUT I.

De Irregularitatis exiſtentia.

IRregularitas, quæ *eſt impedimentum Canonicum privans ſuſceptione, & exercitio ordinum*, imponitur non ab homine, ſed ſolum a jure, dividiturque in eam, quæ provenit ex delicto, & in eam, quæ provenit ex defectu: differt autem a cenſura; quia non eſt ad reſipiſcentiam, ſed ad divinorum reverentiam; ſicuti etiam differt a depoſitione, ac degradatione; quia non eſt ejectio a Clericatu, ſed non admiſſio ad ipſum. Cum igitur irregularitas eatenus cenſeatur exiſtere, quatenus eſt lata a jure, & aliquando de ea vel non afferatur Textus, vel afferatur dubius; difficultas eſt, an & quando cenſeatur exiſtere, vel non. Pro quo hæc traditur diſtinctio:

Si de irregularitate nullus affertur Textus, numquam cenſetur exiſtere.

Si de ea affertur Textus dubius, cenſetur exiſtere, quoties verba prohibent ſuſceptionem ordinis.

Alias ſecus.

Ratio eſt; quia quando de Irregularitate nullus affertus Textus; non exiſtere deciditur *in cap. is qui in Eccleſia, de ſent. excom. in* 6. Quando vero affertur Textus dubius, ſola verba prohibentia ſuſceptionem ordinis ut pote importantia non pœnam, ſed inhabilitatem, ſignificant irregularitatem.

Unde reſolvitur.

Si irregularitas non reperitur expreſſa vel in Jure Canonico, vel in aliqua Conſtitutione Pontificia, ſed ſolum arguitur virtualiter, vel per ſimilitudinem de uno caſu ad alium, non cenſetur exiſtere; quia de ea nullus affertur Textus. Idem dicendum eſt, ſi ſolum allegetur conſuetudo, vel communis opinio Doctorum; quia adhuc nullus af-

fer-

fertur Textus. *Suarez de cenſ. diſp.* 40. *ſect* 5. *n.* 4.

Si affertur Textus, in quo dicatur — *non ordinetur, non promoveatur, non aſpiret, non fiat, vel non poſſit eſſe Clericus*; & ſimilia, irregularitas cenſetur exiſtere; quia ea verba prohibent ſuſceptionem ordinis. E contra non cenſetur exiſtere, ſi in Textu dicatur — *ceſſet à Clericatu*, vel *ab eo dejiciatur*, & ſimilia (cum tunc intelligatur de ſuſpenſione, vel depoſitione); quia licet ea verba prohibeant exercitium, non tamen prohibent ſuſceptionem ordinis. *Bonac. de irreg. diſp.* 7. *q.* 1. *punct.* 2. *n* 11.

CAPUT II.

De Irregularitatis ſubjecto.

IRregularitatis ſubjectum eſt vir baptizatus, ac juri Subditus, ideoque irregularitati non poteſt ſubjici Summus Pontifex, cum non ſit Subditus juri canonico, & quamvis irregularitatem contraxerit ante electionem; ea ſecuta, ſtatim ceſſat. Similiter irregularitati non poteſt ſubjici fœmina, cum non ſit capax ordinis, neque vir nondum baptizatus, cum non ſit de Eccleſia. Sed quia poteſt contingere, ut vir antequam baptizetur laboret delicto, vel defectu, cui eſt adnexa irregularitas; difficultas eſt, an poſt ſuſceptum baptiſmum irregularitati ſubjiciatur, vel non. Pro quo hæc traditur diſtinctio:

Si vir ante baptiſmum laborat delicto, poſt baptiſmum irregularitati non ſubjicitur.

Si laborat defectu, irregularitati ſubjicitur (*defectu lenitatis excepto*).

Ratio eſt; quia per baptiſmum tollitur delictum, & conſequenter omne, quod ex eo provenit, non vero tollitur defectus, excepto defectu lenitatis, nam cum per baptiſmum tollatur irregularitas orta ex homicidio injuſto; a fortiori tolli debet irregularitas orta ex homicidio juſto.

Unde reſolvitur.

Si quis ante baptiſmum commiſit homicidium, vel mutilationem hominis, poſt baptiſmum ſuſceptum non ſubjicitur irregularitati; quia ſolum laborat delicto. E contra ipſi ſubjicitur, ſi ob delictum commiſſum fuit damnatus ad triremes, vel ad fuſtigationem, aut ad aliam pœnam, ex qua evaſerit infamis; quia tunc laborat etiam defectu. *Laym. lib.* 1. *tract.* 5. *part.* 5. *cap.* 61. *n.* 9.

Si quis ante baptiſmum eſt bigamus, vel illegitimus, poſt baptiſmum ſubjicitur irregularitati; quia laborat defectu. E contra ipſi non ſubjicitur, ſi ante baptiſmum fuit miniſter juſtitiæ, vel miles, qui plures juſte occiderit; quia licet laboret defectu; hic tamen eſt defectus lenitatis. *Laym. loco cit. Ex can. ſi quis viduam, diſtinct.* 34. *Ex can. ſi quis viduam diſtinct.* 50.

CAPUT III.

De Irregularitatibus ex delicto.

IRregularitates ex delicto ſunt quatuor, quarum prima oritur ex homicidio, vel ex mutilatione: ſecunda ex hæreſi, vel apoſtaſia: tertia ex violatione Sacramenti: quarta ex violatione Cenſuræ. Ut autem de ſingulis diſtinctim agatur, ſit

§. I. *De irregularitate ex homicidio, vel mutilatione.*

Prima irregularitas ex delicto eſt a jure impoſita occiſioni, vel mutilationi hominis injuſtæ (nam juſtæ impoſita eſt irregularitas ex defectu lenitatis, ut dicitur ſuo loco) ſive fiat per ſe, ſive per alium tam facto, quam mandato, conſilio, adjutorio, aut alia cooperatione expreſſa, vel tacita, ut diſponitur *in can. ſi quis viduam, diſt.* 50. non vero ſi ſolum rata habeatur, cum ratihabitio ſit poſterior facto, vel ſi non impediatur, cum hæc non ſit commiſſio, ſed omiſſio. Cum igitur ex qualibet cooperatione ad occiſionem, vel mutilationem irregularitas oriatur, ſed non ſemper; ad dignoſcendum quandonam oriatur, vel non; hæc traditur diſtinctio:

Si occiſio, vel mutilatio hominis ſit inculpabiliter, irregularitas non oritur unquam.

Si ſit culpabiliter, irregularitas oritur ex occiſione, quoties ſequitur mors, ex mutilatione, quoties ſequitur abſciſſio membri.

Alias non oritur.

Ratio eſt; quia quando occiſio, vel mutilatio eſt inculpabilis, ita deciditur *in cap. quidam de homicid. in can. hi qui, diſt.* 50. & *Clement. ſi furioſus, de homicid.* Quando vero eſt culpabilis, quo ad mortem, vel abſciſſionem membri ſecutam, ita deciditur *in cap. porro, de Cleric. pugnant.*

Unde reſolvitur.

Qui occidit, vel mutilat hominem ex defenſio-

ne neceſſaria, ac moderata, non fit irregularis; quia tunc occiſio, vel mutilatio eſt inculpabilis. *Ex Clement. ſi furioſus de homicid.* Econtra quamvis non ſit irregularis, non poteſt ordines ſuſcipere, nec ſuſceptos exercere (tam in hoc caſu, quam in omni alio, quo occiſio, vel mutilatio ſit inculpabilis) ſine ſpeciali diſpenſatione Epiſcopi; quia ita diſponitur *in Conc. Trid. ſeſſ.* 14 *de reform. can.* 7.

Qui occidit, vel mutilat hominem ex caſu fortuito, ſi dabat operam rei licitæ, & ad præcavendum periculum ſufficientem diligentiam adhibuit, non fit irregularis; quia tunc occiſio, vel mutilatio eſt inculpabilis. *Ex cap. quidem de homicid.* Secus vero ſi dabat operam rei illicitæ, etiamſi ad præcavendum periculum omnem diligentiam adhibuerit; quia tunc occiſio, vel mutilatio ratione operis illiciti ſemper cenſetur culpabilis. *Ex cap. continebatur, de homicid ubi Gloſſa verbi Romani. D. Th.* 2. 2. *q.* 64. *artic.* 8. *in corp.*

Qui mandat, aut conſulit occiſionem, vel mutilationem alteri etiam determinato ad occidendum, vel mutilandum, fit irregularis ſtatim ac occiſio, vel mutilatio ſequitur, etiamſi poſt longum tempus ſequatur; quia per hoc quod alias eſſet ſecutura, non tollitur, quin ratione mandati, aut conſilii etiam ex parte ſui ſit culpabilis. Secus autem ſi ante factum revocet mandatum, aut etiamſi hic non removeatur, adhuc occiſio vel mutilatio eſt ex parte ſui inculpabilis. *Ex Gloſſe in cap. de cetero, de homic. volunt. verb. cauſſam.*

Qui vulnerat non lethaliter, ſed adhuc vulneratus moritur, etiamſi hoc proveniat ex propria intemperantia, vel ex Medici imperitia, fit irregularis; quia ex inflicto vulnere quamvis per accidens, mors tamen ſequitur. Secus autem ſi vulneret etiam lethaliter, ſed vulneratus miraculoſe convaleſcat; quia tunc non ſequitur mors *Ex cap. porro, de Cleric. pugn.*

Qui alteri, vel ſibi membrum ſauciat, ſed non truncat, non fit irregularis; quia non ſequitur abſciſſio. Idem dicendum eſt, ſi membrum arefaciat, aut oculo viſum tollat; quia per hoc quod reddat membrum inutile, non fit, quod ſequatur abſciſſio. *Ex Gloſſ. in c. is qui mandat, de homic. in* 6.

Qui

Qui alteri, vel ſibi abſcindit partem habentem in corpore operationem ſpecialem, ut eſt brachium, manus, crus, pes, oculus, auris, naſus, labium, mamilla feminæ, aut aliud ſimile, fit irregularis; quia cum unumquodque ex his cenſeatur eſſe membrum; tunc fit abſciſſio membri. Secus autem ſi abſcindat partem non habentem in corpore operationem ſpecialem, ut eſt digitus, mentum, gena, naris, mamilla viri, pulpa brachii, vel cruris, aut aliud ſimile, vel ſi abſcindat partem non viventem anima corporis, ut ſunt dentes, pili, ungues, aut pars arefacta; quia cum nullum ex his cenſeatur eſſe membrum; tunc non fit abſciſſio membri, *Ex dicta Gloſſa in c. is qui mandat, de homic. in 6. Vide Caſtrop. de cenſur. diſp. 6. pun. 15. §. 1. & Tolet. in Summa, lib. 1. c. 76.*

§. II. *De Irregularitate ex hæreſi, vel apoſtaſia.*

Secunda irregularitas ex delicto impoſita eſt hæreſis, & apoſtaſiæ: quoad hæreſim irregularitas afficit tam hæreticos, quam ipſorum fautores, ut diſponitur *in c. quicumque, §. Hæretici, de hæret. in 6.* quoad apoſtaſiam irregularitas afficit tam apoſtatas a fide, ut diſponitur *in can. presbyteros diſt. 50.* quam apoſtatas a religione, ut diſponitur *in c. conſultationi. de apoſtat.* Sed quia non ex omni hæreſi, vel apoſtaſia, in quam inciditur, ſemper oritur irregularitas; ad dignoſcendum quandonam ex utraque oriatur, vel non; hæc traditur diſtinctio:

Si *incidítur in hæreſim, ex ea oritur irregularitas contra hæreticum, quoties eſt pertinax, & externus, contra fautorem, quoties ipſi favet ratione hæreſis.*

Si *incidatur in apoſtaſiam, ex ea oritur irregularitas contra apoſtatam a fide ſemper; contra apoſtatam a religione, quoties in apoſtaſia ſuſcipit ordinem.*

Alias non oritur.

Ratio quoad hæreſim eſt; quia ſi hæreticus non eſt pertinax utpote materialis, non eſt proprie hæreticus; ſi non eſt externus, Eccleſia de internis non judicat; ſi autem fautor ipſi non favet ratione hæreſis utpote non particeps in culpa, neque debet eſſe particeps in pœna. Quo vero ad apoſtaſiam; quia de apoſtata a fide Catholica non lo-

qui-

quitur abſolute; de apoſtata autem a Religione loquitur in ſolo caſu, quo in apoſtaſia ſuſcipit ordinem.

Unde reſolvitur.

Qui adſentitur errori, quem ſcit contra definitionem Eccleſiæ, ipſamque quamvis occulte, ſigno tamen externo manifeſtet, fit irregularis; quia tunc eſt hæreticus pertinax, & externus. Secus autem ſi neſciat etiam culpabiliter eum errorem eſſe contra definitionem Eccleſiæ; quia tunc non eſt pertinax: vel ſi hoc ſcit, ipſum tamen nullo ſigno manifeſtat; quia tunc non eſt hæreticus exernus. Bonac. *de irregul. diſp.* 7. *q.* 3. *pun.* 7. *n.* 1.

Qui defendit, receptat, fovet, vel conſilio, aut alio modo adjuvat hæreticum, ut permaneat in hæreſi, vel ut ipſam diſſeminet, fit irregularis; quia tunc ipſi favet ratione hæreſis. Secus autem ſi hoc faciat ratione cognationis, vel amicitiæ aut alio fine; quia tunc ipſi non favet ratione hæreſis. *Ex Gloſſ. in Canon. ſaluberrimum q.* 7. *verb. Maculati.*

Qui exterius fidem negat ficte, vel ex metu gravi, aut ex ignorantia invincibili credens hanc negationem externam non eſſe contra fidem (quamvis eximatur ab excommunicatione, cum non ſit hæreticus formalis) adhuc tamen fit irregularis; quia externe eſt apoſtata a fide *Ex Gloſſ. in can. presbyteros, diſt.* 50. E contra apoſtata a Religione, qui poſt profeſſionem fugit a clauſtris animo non revertendi, etiamſi dimittat habitum, & excommunicationem incurrat; non tamen fit irregularis, niſi in caſu, quo interim ordinetur etiam in minoribus; quia tunc in apoſtaſia ſuſcipit ordinem. *Ex Gloſſ. in c. Conſultationi, de apoſtat. Vide Sanchez in oper. moral lib.* 2. *c.* 25.

§. III. *De Irregularitate ex violatione Sacramenti.*

Tertia irregularitas ex delicto impoſita eſt violationi Sacramenti, cujus nomine non intelligitur quodlibet Sacramentum, ſed tantummodo Baptiſmus, & Ordo, nec quælibet violatio, ſed tantummodo illa, per quam vel Baptiſmus iteratur, aut ex hæretico ſuſcipitur, vel Ordo conſtante Matrimonio, aut Epiſcopo non approbante ſuſcipitur, aut non ſuſceptus exercetur. Sed quia ex hac Baptiſmi, vel Ordinis violatione non ſemper, nec contra omnes oritur irregularitas; ladi-

Qui alteri, vel ſibi abſcindit partem habentem in corpore operationem ſpecialem, ut eſt brachium, manus, crus, pes, oculus, auris, naſus, labium, mamilla feminæ, aut aliud ſimile, fit irregularis; quia cum unumquodque ex his cenſeatur eſſe membrum; tunc fit abſciſſio membri. Secus autem ſi abſcindat partem non habentem in corpore operationem ſpecialem, ut eſt digitus, mentum, gena, naris, mamilla viri, pulpa brachii, vel cruris, aut aliud ſimile, vel ſi abſcindat partem non viventem anima corporis, ut ſunt dentes, pili, ungues, aut pars arefacta; quia cum nullum ex his cenſeatur eſſe membrum; tunc non fit abſciſſio membri, *Ex dicta Gloſſa in c. is qui mandat, de homic. in 6. Vide Caſtrop. de cenſur. diſp. 6. pun.15.§.1. & Tolet. in Summa, lib.1. c.76.*

§. II. *De Irregularitate ex hæreſi, vel apoſtaſia.*

Secunda irregularitas ex delicto impoſita eſt hæreſis, & apoſtaſiæ: quoad hæreſim irregularitas afficit tam hæreticos, quam ipſorum fautores, ut diſponitur *in c. quicumque, §. Hæretici, de hæret.* in 6. quoad apoſtaſiam irregularitas afficit tam apoſtatas a fide, ut diſponitur *in can. presbyteros diſt.* 50. quam apoſtatas a religione, ut diſponitur *in c. conſultationi. de apoſtat.* Sed quia non ex omni hæreſi, vel apoſtaſia, in quam inciditur, ſemper oritur irregularitas; ad dignoſcendum quandonam ex utraque oriatur, vel non; hæc traditur diſtinctio:

Si *incidítur in hæreſim, ex ea oritur irregularitas contra hæreticum, quoties eſt pertinax, & externus, contra fautorem, quoties ipſi favet ratione hæreſis.*

Si *incidatur in apoſtaſiam, ex ea oritur irregularitas contra apoſtatam a fide ſemper; contra apoſtatam a religione, quoties in apoſtaſia ſuſcipit ordinem.*

Alias non oritur.

Ratio quoad hæreſim eſt; quia ſi hæreticus non eſt pertinax utpote materialis, non eſt proprie hæreticus; ſi non eſt externus, Eccleſia de internis non judicat; ſi autem fautor ipſi non favet ratione hæreſis utpote non particeps in culpa, neque debet eſſe particeps in pœna. Quo vero ad apoſtaſiam; quia de apoſtata a fide Catholica non lo-

quitur abſolute; de apoſtata autem a Religione loquitur in ſolo caſu, quo in apoſtaſia ſuſcipit ordinem.

Unde reſolvitur.

Qui adſentitur errori, quem ſcit contra definitionem Eccleſiæ, ipſamque quamvis occulte, ſigno tamen externo manifeſtet, fit irregularis; quia tunc eſt hæreticus pertinax, & externus. Secus autem ſi neſciat etiam culpabiliter eum errorem eſſe contra definitionem Eccleſiæ; quia tunc non eſt pertinax: vel ſi hoc ſcit, ipſum tamen nullo ſigno manifeſtat; quia tunc non eſt hæreticus exernus. *Bonac. de irregul. diſp. 7. q. 3. pun. 7. n. 1.*

Qui defendit, receptat, fovet, vel conſilio, aut alio modo adjuvat hæreticum, ut permaneat in hæreſi, vel ut ipſam diſſeminet, fit irregularis; quia tunc ipſi favet ratione hæreſis. Secus autem ſi hoc faciat ratione cognationis, vel amicitiæ aut alio fine; quia tunc ipſi non favet ratione hæreſis. *Ex Gloſſ. in Canon. ſaluberrimum q. 7. verb. Maculati.*

Qui exterius fidem negat ficte, vel ex metu gravi, aut ex ignorantia invincibili credens hanc negationem externam non eſſe contra fidem (quamvis eximatur ab excommunicatione, cum non ſit hæreticus formalis) adhuc tamen fit irregularis; quia externe eſt apoſtata a fide *Ex Gloſſ. in can: presbyteros, diſt.* 50. E contra apoſtata a Religione, qui poſt profeſſionem fugit a clauſtris animo non revertendi, etiamſi dimittat habitum, & excommunicationem incurrat; non tamen fit irregularis, niſi in caſu, quo interim ordinetur etiam in minoribus; quia tunc in apoſtaſia ſuſcipit ordinem. *Ex Gloſſ. in c. Conſultationi, de apoſtat. Vide Sanchez in oper. moral lib. 2. c. 25.*

§. III. *De Irregularitate ex violatione* Sacramenti.

Tertia irregularitas ex delicto impoſita eſt violationi Sacramenti, cujus nomine non intelligitur quodlibet Sacramentum, ſed tantummodo Baptiſmus, & Ordo, nec quælibet violatio, ſed tantummodo illa, per quam vel Baptiſmus iteratur, aut ex hæretico ſuſcipitur, vel Ordo conſtante Matrimonio, aut Epiſcopo non approbante ſuſcipitur, aut non ſuſceptus exercetur. Sed quia ex hac Baptiſmi, vel Ordinis violatione non ſemper, nec contra omnes oritur irregularitas; ladi-

dignoſcendum quandonam, & contra quos oriatur, vel non; hæc traditur diſtinctio:

Si violatur Baptiſmus, irregularitas oritur contra baptizantem, & Acolythum, quoties baptizatum ſcienter rebaptizat, & contra baptizatum, quoties ſinit ſe rebaptizari, vel ab hæretico baptizari.

Si violatur Ordo, irregularitas oritur contra ordinatum, quoties in caſu non permiſſo ſuſcipit Ordinem Sacrum, Matrimonio conſtante, vel etiam non ſacrum Epiſcopo non approbante; & contra non ordinatum, quoties exercet Ordinem Sacrum ſollemniter.

Alias non oritur.

Ratio eſt; quia quando violatur baptiſmus, quoad rebaptizantem, & Acolythum, ita diſponitur *in c. ex litterarum de apoſtat.* quo vero ad rebaptizatum, vel ab hæretico baptizatum, ita diſponitur *in can. qui in qualibet 1. q. 7.* Quando autem violatur Ordo, quoad ſuſcipientem Sacrum Matrimonio conſtante, ita diſponitur *in Extravag. -- Antiquæ concertat. de voto*, & quoad ſuſcipientem, etiam non ſacrum Epiſcopo non approbante, ita diſponitur *in c. veniens ad nos de eo, qui ord. furtive ſuſcep.* quo vero ad exercentem ſollemniter ſacrum non ſuſceptum, ita diſponitur *in cap.* 1. & 2. *de Cler. non ord. miniſtr.*

Unde reſolvitur.

Si quis baptizat aliquem, quem ipſe, vel ejus Acolythus ſcit eſſe baptizatum, uterque, vel alteruter, qui ſcit, fit irregularis; quia baptizatum ſcienter rebaptizat. E contra non fit irregularis patrinus, vel Laicus, qui aſſiſtit; quia non eſt baptizans, nec Acolythus: ſicut etiam non fit irregularis ipſe baptizans, nec Acolythus, ſi baptizet ſub conditione; quia cum hæc nihil ponat in eſſe, tunc non rebaptizat. *Lezzana, verb. irregularitas, n.* 39. & 40.

Si quis adultus ſciens ſe eſſe baptizatum conſentit rebaptizari abſolute, vel non diſſentit quando rebaptizatur per vim, fit irregularis; quia ſinit ſe rebaptizari. Idem dicendum eſt, ſi conſentiat ſe baptizari ab eo, quem ſcit eſſe hæreticum quamvis occultum, vel non diſſentiat quando ab eo baptizatur per vim; quia ſinit ſe baptizari ab hæretico. *Lezzana loco cit. num.* 44. & 45. & *Caſtropal. de cenſur. diſp.* 6. *punct.* 16.

Si

Si quis Conjugatus ordinatur in Subdiaconum ſciens alterum Conjugem vivere, fit irregularis; quia ſuſcipit Ordinem Sacrum Matrimonio conſtante. Secus vero ſi initietur in Minoribus; quia tunc non ſuſcipit ſacrum; vel ſuſcipiat ſacrum in Eccleſia Græca, aut etiam in Eccleſia Latina quando uxor profeſſionem emiſit in Religione approbata; quia tunc caſus eſt a jure permiſſus. *Caſtrop. de cenſ. diſp.* 6. *punct.* 17. *n.* 3.

Si quis non examinatus, vel alterum pro ſe examini ſubſtituens, vel ficto nomine cum aliis ordinandis ſe immiſcens, ordinatur etiam in minoribus, fit irregularis, quia ſuſcipit ordinem Epiſcopo non approbante. Secus autem ſi ſolum initietur prima tonſura; quia tunc non ſuſcipit Ordinem, vel ſi ſuſcipiat Ordinem ficto patrimonio, aut ſine dimiſſoriis, aut per ſaltum (tunc enim licet incurrat ſuſpenſionem,non tamen fit irregularis);quia per tales fraudes non tollitur, quin ſuſcipiat Ordinem Epiſcopo approbante. *Caſtropal. loc. cit. n.* 1.

Si quis non ordinatus in Presbyterum benedicit aquam, aut alias res, vel non ordinatus in ſacris exercet Subdiaconatum cum manipulo, fit irregularis; quia Ordinem Sacrum non ſuſceptum exercet ſollemniter. Secus vero ſi non ordinatus in minoribus eos exerceat ſollemniter; quia tunc non exercet Ordinem Sacrum; vel non ordinatus in ſacris exerceat Subdiaconatum ſine manipulo; quia tunc Ordinem Sacrum non exercet ſollemniter. *Caſtropal. loc. cit. punct.* 18. *num.* 7. *Vide Suarez in* 3. *p. D. Thom. tom.* 3. *diſp.* 31. *ſect.* 6. & *de cenſur. diſput.* 42. *ſect.* 4.

§. IV. *De Irregularitate ex violatione cenſuræ.*

Quarta irregularitas ex delicto impoſita eſt violationi cenſuræ, quæ, ſi eſt excommunicatio requiritur ut ſit major, cum non ſufficiat minor: ſi eſt ſuſpenſio, requiritur ut ſit ab Officio, cum non ſufficiat ea, quæ eſt a ſolo beneficio: ſi vero eſt interdictum; ſufficit quodcumque tam perſonale, etiamſi ſit e ſolo ingreſſu Eccleſiæ, quam locale ſive ſit ſpeciale, ſive generale, & hæc irregularitas afficit ſolum Clericum, qui ligatus cenſura exercet Ordinem in caſibus ſibi non permiſſis juxta ſuperius dicta de cenſuris. Sed quia hæc irregularitas diverſimode oritur ex violatione cen-

ſuræ

Juræ contractæ ex ordinatione ſimoniaca, ac ex alia cauſſa; ad dignoſcendum per quod exercitium Ordinis in utroque caſu oriatur, vel non; hæc traditur diſtinctio:

Si cenſura eſt contracta ex ordinatione ſimoniaca, irregularitas oritur contra Clericum quoties exercet Ordinem quemcumque, & quomodlibet.

Si cenſura eſt contracta ex alia cauſſa, irregularitas oritur contra Clericum, quoties in ea exercet Ordinem ſacrum ſollemniter.

Alias non oritur.

Ratio eſt; quia quando cenſura eſt contracta ex ordinatione ſimoniaca, ita ſtatuitur *in Bulla* 91. *Sixti V.* quæ incipit -- *Sanctum, & ſalutare*, §. 3. Quando vero cenſura eſt contracta ex alia cauſſa, ita diſponitur in *c. cum. æterni, de ſent. & re judic. in* 6. *c. is qui eſt, & in c. is qui in Eccleſia* §. *is vero*, de *ſent. excom. in* 6.

Unde reſolvitur.

Qui contraxit cenſuram ob Subdiaconatum ſimoniace receptum, etiamſi ipſum exerceat non ſollemniter, vel exerceat alium ordinem inferiorem non ſimoniace receptum, fit irregularis; quia in cenſura contracta ex ordinatione ſimoniaca exercet Ordinem. Secus vero ſi abſolvat a cenſuris extra pœnitentiam etiam ſollemniter; quia tunc in cenſura exercet juriſdictionem, non Ordinem. *Lezz. verb. irregularitas, num.* 56.

Qui contraxit cenſuram ex alia cauſſa quam ex ordinatione ſimoniaca, ſi miniſtrat Euchariſtiam, vel benedicit aquam, aut alias res juxta Eccleſiæ ritum, fit irregularis; quia in ea cenſura exercet Ordinem Sacrum ſollemniter. Secus vero ſi exerceat Ordinem minorem, vel etiam Sacrum eo modo, quo poteſt exerceri a Laico, ut ſi in neceſſitate baptizet privatim, vel agat Subdiaconatum ſine manipulo; quia tunc vel non exercet Ordinem Sacrum, vel ipſum non exercet ſollemniter. *Anton. a Spir. Sanct. de irregul. tract.* 13. *diſp.* 2. *num.* 280 *& ſequentibus.*

Qui recipit presbyteratum ſimoniace, quamvis incurrat excommunicationem, ac ſuſpenſionem; non tamen fit irregularis; quia licet concelebret cum Epiſcopo, cum tamen cenſura nondum ſit contracta, ſed tunc contrahatur; non verificatur, quod

quod Ordinem exerceat in cenſura. Similiter qui recipit presbyteratum in cenſura jam contracta, quamvis incurrat ſuſpenſionem, non tamen fit irregularis quia licet concelebret cum Epiſcopo, cum tamen tunc ordinetur, in cenſura Ordinem recipit, non exercet. Idem dicendum eſt de eo, qui Ordinem exercet in irregularitate; is enim novam irregularitatem non incurrit; quia cum hæc non ſit cenſura, non verificatur quod Ordinem exerceat in cenſura. *Anton. a Spir. Sanct. loco cit. n.* 374. *Vide Suarez de cenſur. diſp.* 11. *ſect.* 3. & *diſp.* 12. *ſect.* 2.

CAPUT IV.

De Irregularitatibus ex defectu.

IRregularitates ex defectu etiam ſunt quatuor, quarum prima oritur ex defectu animæ, ſecunda ex defectu corporis, tertia ex defectu fortunæ, & quarta ex defectu Sacramenti. Ut autem de ſingulis diſtinctim agatur; ſit

§. I. *De Irregularitate ex defectu animæ.*

Prima irregularitas ex defectu impoſita eſt carentia bonorum animæ, quæ ſunt ratio, fides, & ſcientia; quoad rationem, & fidem non intelligitur de ejus carentia præſenti, cum hæc ſit potius incapacitas: ſed de ea, quæ præceſſit vel per amentiam præteritam, ut patet ex *can. maritum, diſt.* 33. vel per infidelitatem præcedentem, ut patet ex *can.* 1. & 2. *diſt.* 48. quo vero ad ſcientiam intelligitur de ejus carentia præſenti, quæ ſcilicet habetur per actualem ignorantiam, ut patet ex *can. illiteratos, diſt.* 36. Cum igitur ex hoc triplici animæ defectu oriatur irregularitas, ſed non ſemper; ad dignoſcendum quandonam oriatur, vel non; hæc traditur diſtinctio:

Si defectus animæ eſt ex amentia præterita, irregularitas oritur quoad Ordines ſuſcipiendos ſemper, quoad ſuſceptos, quoties præſumuntur organa læſa.

Si eſt ex infidelitate præcedenti, irregularitas oritur, quoties fides non eſt per tempus probata.

Si eſt ex ignorantia præſenti, irregularitas oritur, quoties neſciuntur requiſita ad Ordinem.

Alias non oritur.

Ratio eſt; quia quando præceſſit amentia, Ordinum ſuſceptio prohibetur *in can. ſi quis non iratus* 15. *q.* 1. ſuſceptorum autem exercitium non pro-

prohibetur, niſi ex organis læſis adſit reincidentiæ timor, ut ibi declaratur a *Gloſſa* §. *bis ita*. Quando præceſſit infidelitas, cum Ordinum ſuſceptio prohibeatur neophyto ex 1. *Timoth.* 3. elapſo tempore, quo fides probatur, deſinit eſſe neophytus. Quando vero adeſt ignorantia; hæc ſolum intelligitur de requiſitis ad Ordinem juxta *Conc. Trid. ſeſſ.* 23. *de reform. cap.* 4. 11. 13 & 14.

Unde reſolvitur.

Qui extra morbum amiſit aliquando uſum rationis, etiamſi poſtea factus ſit compos ſui, non poteſt Ordines ſuſcipere, quamvis poſſit ſuſceptos exercere; quia præceſſit amentia. E contra neque ſuſceptos poteſt exercere, ſi fuit Lunaticus, arreptitius, vel dæmoniacus uſquequo de perfecta convaleſcentia evidenter non conſtet; quia tunc præſumuntur organa læſa. *Ex can. maritum, diſt.* 33.

Qui fuit baptizatus adultus, etiamſi a fidelibus deſcendat, non poteſt promoveri ad Ordines niſi elapſo diuturni temporis ſpatio juxta prudentis viri judicium; quia alias fides non cenſetur probata. Secus autem ſi fuit baptizatus infans, etiamſi ab infidelibus deſcendat; quia fides utpote a teneris annis imbibita tunc cenſetur probata. *Bonac. de irregul. diſp.* 7. *q.* 2. *punct.* 1. *n.* 5.

Qui in literis ſacris eſt omnino ignarus, quamvis in prophanis ſit eruditiſſimus, non poteſt ordinari; quia neſcit requiſita ad Ordinem. Secus autem ſi ſaltem mediocriter ſciat quæ ſingulis ordinandis ſcienda præſcribuntur, quamvis in aliis ſit omnino ignarus; quia tunc ſcit requiſita ad Ordinem, *Ex gloſſ. in can. illitteratos diſt.* 36. *verb. illitteratos*.

§. II. *De Irregularitate ex defectu Corporis*.

Secunda irregularitas ex defectu impoſita eſt carentia bonorum corporis, quæ ſunt integritas, proportio, ac ſanitas: per defectum integritatis intelligitur carentia alicujus membri, vel ejuſdem uſus: per defectum proportionis intelligitur diſpoſitio partium ab ordine naturali aberrans: per defectum ſanitatis intelligitur morbus gravis habitualiter inhærens. Cum igitur dedeceat Miniſtrum Eccleſiæ utpote venerabilem Populo eſſe defectuoſum, & contemptibilem, ideoque ex hoc triplici corporis defectu oriatur irregularitas, ſed non

ſem-

ſemper; ad dignoſcendum quandonam oriatur, vel non; hæc traditur diſtinctio:

Si defectus corporis impedit exercitium Ordinis, irregularitas oritur ſemper.

Si non impedit, irregularitas oritur, quoties defectus inducit deformitatem notabilem, quæ celari non poſſit.

Alias non oritur.

Ratio eſt; quia quando defectus impedit exercitium Ordinis, tunc repugnante fine repugnant etiam media ad ipſum, & ita deducitur *ex cap. Thomas de corp. vitiat.* Quando vero non impedit, quoad deformitatem ita declaratur *a Gloſſa in dicto cap. Thomas, verb. deformitatem*: quo vero ad exceptionem; quia quando deformitas celari poteſt, non cenſetur notabilis, & ita deducitur *ex cap. tua nos, de Cleric. ægrot.*

Unde reſolvitur.

Qui caret indice, aut pollice, ſeu ejuſdem uſu, ita ut non poſſit contrectare hoſtiam, vel caret viſu in oculo ſiniſtro, ita ut non poſſit rite legere Canonem, vel caret auditu, ita ut non poſſit percipere verba reſpondentis, vel laborat morbo comitiali, aut alio defectu ita ut non poſſit recte fungi munere ſacro, eſt irregularis; quia tunc defectus impedit exercitium Ordinis. Secus vero ſi careat alio digito extra pollicem & indicem, vel careat viſu tantum in oculo dextero, vel careat auditu in una tantum aure, vel laboret morbo, aut alio defectu, quo non obſtante, adhuc poſſit rite fungi munere ſacro; quia tunc defectus non impedit exercitium Ordinis. *Ex cap. expoſuiſti de corp. vitiat.*

Qui eſt pigmeus, aut Gigas, aut Hermaphroditus, aut nimium diſtortus, & gibboſus, aut leproſus, vel alio defectu laborans, ex quo monſtruoſus, aut turpis appareat, eſt irregularis; quia licet defectus non impediat exercitium Ordinis; inducit tamen deformitatem notabilem. Secus autem ſi in ſtatura ſit puſillus, aut prægrandis, aut aliquantulum diſtortus, ac gibboſus, aut habeat ſex digitos in manu, vel aliquo morbo, ac defectu laboret, quo neque monſtruoſus, neque turpis appareat; quia tunc deformitas non cenſetur notabilis. *Ex cap. de Presbytero, & ex cap. cum de ſua, de corp. vitiat.*

Qui

Qui caret naſo, aut labiis, vel habet in facie cicatricem, aut tumorem turpiter fædantem, vel quid ſimile foris apparens, eſt irregularis; quia tunc deformitas eſt notabilis, & celari non poteſt. Secus vero ſi habeat erutum oculum dexterum, cui poſſit ſubſtitui vitreus, vel aures detruncatas, quæ poſſint tegi capillis, vel crura diſtorta, quæ poſſint latere ſub habitu talari, vel careat digitis in pedibus (dummodo non ſit Religioſus excalceatus) vel habeat amputata virilia (dummodo ea non ſibi amputaverit culpabilitet: tunc enim eſſet irregularis ex delicto, juxta *can. ſi quis a Medicis*, & *can. qui partem*, *diſt.* 55.) vel laboret quocumque alio defectu in parte occulta; quia licet deformitas alias eſſet notabilis; hæc tamen celari poteſt. *Ex cap. Th. de corp. vitiat. Vide Lezzanam*, *verb. Irregularitas*, *a n.* 12.

§ III. De Irregularitate ex defectu fortunæ.

Tertia irregularitas ex defectu impoſita eſt carentia bonorum fortunæ, quæ ſunt natalia, libertas, & bona fama: per defectum natalium intelligitur procreatio ex parentibus non Conjugibus, ut conſtat ex *cap. ut filii*, *de filiis Presbyt.* per defectum libertatis intelligitur tam ſervitus, ut conſtat ex *loco cit. de ſervis non ordinandis*, quam obligatio ad ratiocinia pro re aliena adminiſtrata, ut conſtat ex *cap. Magnus Epiſcopus*, *de obligat. ad ratiocin.* per defectum vero bonæ famæ intelligitur infamia proveniens ex delicto proprio, vel parentum, ut conſtat ex *can. infames* 6. *q.* 1. Sed quia ex his fortunæ defectibus non ſemper irregularitas oritur; ad dignoſcendum quandonam oriatur, vel non; hæc traditur diſtinctio:

Si defectus fortunæ eſt ex natalibus, irregularitas oritur, quoties a jure præſumuntur illegitima.

Si eſt ex ſervitute, irregularitas oritur, quoties Dominus non conſentit, vel ratiocinia non ſunt in Cauſſis piis.

Si eſt ex infamia, irregularitas oritur, quoties infamia inducta eſt a jure Canonico.

Alias non oritur.

Ratio quoad natalia eſt; quia eatenus cenſentur illegitima, quatenus talia præſumuntur a jure. Quoad ſervitutem; quia conſenſus Domini exigitur in *can. ſi ſervus*, *diſt.* 54. & adminiſtratio

in

in cauſſis piis excipitur in *can. pervenit ad ſanctam*, *diſt.* 68. Quo vero ad infamiam; quia cum hæc ſit impedimentum canonicum, non poteſt induci niſi a jure canonico.

Unde reſolvitur.

Qui fuit expoſitus in Hoſpitali, vel alibi, eſt irregularis; quia licet aliquando ex paupertate parentum exponantur etiam legitimi, cum tamen præſumptio deſumatur ex eo, quod plerumque contingit, ejus natalitia a jure præſumuntur illegitima, ex *Gloſſa in cap. conſuluit, de ſer. non ordin. verb. Spurios*. E contra qui declaratur ſpurius a Matre etiam cum juramento, & in articulo mortis, non eſt irregularis; quia cum a poſſeſſione filiationis legitimæ non poſſit deturbari per declarationem Matris, cui non tenetur credere; ejus natalia a jure præſumuntur legitima. *Ex Gloſſa in cap. officii, de pœnit. verb. denegανda.*

Qui natus fuit ex matrimonio invalido, de cujus invaliditate uterque, vel alter ex Conjugibus erat ignarus, etiamſi poſtea fuerit diſſolutum, non eſt irregularis; quia cum ratione bonæ fidei ſaltem ex parte unius matrimonium cenſeretur validum; a jure utpote ſupponente pro parte favorabili, ejus natalia præſumuntur legitima. Secus vero ſi ante conſummationem uterque Conjux erat invaliditatis conſcius; quia cum ratione malæ fidei ex parte utriuſque matrimonium cenſeretur invalidum; a jure ejus natalia non poſſunt præſumi legitima. *Ex cap. pervenit*, & *ex cap. ex tenore qui filii ſint legit.*

Qui manet in ſervitute, a qua non ſit manumiſſus, ſi ordinem, vel primam tonſuram recipit Domino annuente, vel ſciente, & non contradicente utpote effectus liber, non eſt irregularis; quia Dominus expreſſe, vel tacite conſentit. Secus vero ſi ordinetur etiam in ſacris Domino ignaro, vel renuente, nec poſſit ſe redimere (ut in tali caſu ſibi conceditur a jure); quia tunc Dominus ordinationi ejus non conſentit. *Ex can. ſi ſervus, diſt.* 54.

Qui adminiſtrat res alienas tam publicas, quam privatas, uſquequo rationem reddat, ac liberetur, eſt irregularis; quia tenetur ad ratiocinia. Secus vero ſi adminiſtret res pertinentes ad Eccleſias,

ad

ad Hoſpitalia, vel ad Orphanos, aut perſonas miſerabiles; quia licet ſit obligatus ad ratiocinia; adminiſtratio tamen eſt in cauſſis piis. *Ex can. pervenit ad ſanctam, diſt.* 86.

Qui ex evidentia facti, vel ex ſententia Judicis eſt reus notorius delicti, cui a Sacris canonibus eſt adnexa infamia, ut eſt omne delictum capitale, ſchiſma, aut inobedientia in Summum Pontificem, percuſſio Cardinalis, conſpiratio, aut libellus in proprium Epiſcopum, impeditio officii Inquiſitorum, uſurpatio facultatum Eccleſiæ, incurſus in anathema pro ſuis ſceleribus, Simonia, & uſura realis, duellum ex condicto, matrimonium cum duabus vivis, cum meretrice, aut repudiata, proſtitutio propriæ filiæ, aut neptis, inceſtus, maleficium, vel qui eſt infamis ex pœna, ut damnatus ad triremes, aut ad fuſtigationem, & ſimilia, vel qui eſt infamis ex officio Mimi, hiſtrionis, ac ſimilium, vel qui eſt infamis ex delicto alieno, ut filius hæretici, aut hæreticorum fautoris, ejuſdemque nepos ex linea maſculina, dummodo natus fuerit poſt hæreſim parentum; qui in ea deceſſerint, aut pro ea etiam abjurata fuerint puniti capitaliter (excepto caſu, in quo filius, vel nepos eos denunciaverit) eſt irregularis; quia talis infamia inducta eſt a jure Canonico. Secus autem ſi ſit reus alterius delicti, vel filius alterius delinquentis, vel etiam filius hæretici in locis ubi hæreſis eſt tolerata, vel ſi exerceat officium turpe, ut Macellarii, Tabernarii, ac ſimilium; quia licet hæc communiter cenſeantur irrogare infamiam; ipſa tamen non eſt inducta a jure Canonico. *Ex can. qui in aliquo, & ex can. aliquantos, diſt.* 51. *& ex regula* 87. *de regulis juris in* 6. *Vide Bonac. de irregul. diſp.* 7. *q.* 2. *punct.* 3.

§. IV. *De Irregularitate ex defectu Sacramenti.*

Quarta irregularitas ex defectu impoſita eſt carentia Sacramenti, cujus nomine intelligitur myſterium, quo repræſentatur connubium Chriſti cum Eccleſia, & ejus manſuetudo, ſeu lenitas. Ex defectu primæ repræſentationis eſt irregularis, primo bigamus proprie, ideſt qui plures accepit uxores, ut conſtat ex *cap.* 1. *uſque ad* 5. *de Bigamis*, ſecundo bigamus interpretative, ideſt qui unicam accepit uxorem, ſed viduam primo marito, aut

aliam

aliam ab aliquo cognitam, ut conſtat ex *can. præcipimus*, *diſt.* 34. & *ex can. ſi quis viduam*, *diſt.* 50. tertio Bigamus ſimilitudinarie, ideo qui uxorem etiam unicam, & virginem accepit poſt votum ſollemne caſtitatis, ut conſtat ex *can. quotquot* 27. *q.* 1. & *ex cap.* 1. & 2. *tit. qui Clerici, vel vovent.* quia cum quilibet ex his Bigamis inierit, vel iniiſſe cenſeatur plura connubia; non repræſentat Chriſtum, qui unicam, & virginem ſibi deſponſavit Eccleſiam. Ex defectu ſecundæ repræſentationis eſt irregularis qui alterum occidit, aut mutilat juſte, (nam ſi injuſte id facit, eſt irregularis ex delicto, ut conſtat *ex cap ſententiam ſanguinis, tit. ne Cler. vel Monachi*); quia cum taliter occidens, aut mutilans careat lenitate, non repræſentat Chriſtum, qui fuit mitis, & humilis corde. Sed quia adhuc ſtante utroque hujus Sacramenti, ſeu repræſentationis defectu non ſemper irregularitas oritur; ad dignoſcendum quandonam oriatur, vel non, hæc traditur diſtinctio:

Si defectus Sacramenti eſt ex bigamia, irregularitas oritur, quoties matrimonium etiam invalidum cum pluribus, vel cum una ab alio cognita, vel poſt votum ſollemne caſtitatis conſummatur;

Si eſt ex carentia lenitatis, irregularitas oritur, quoties mors, vel mutilatio etiam quoad accelerationem cauſſatur proxime (*inculpata defenſione excepta*).

Alias non oritur.

Ratio quoad bigamiam eſt; quia cum jura adducta importent irregularitatem ob diviſionem carnis, hæc eatenus dividitur, quatenus matrimonium conſummatur. Quoad carentiam lenitatis; quia cum jura adducta importent irregularitatem ob mortem, vel mutilationem illatam; hæc eatenus cenſetur inferri, quatenus cauſſatur proxime; Quo vero ad exceptionem defenſionis inculpatæ; quia ita deciditur *in c. ſignificaſti* 18. §. *Si vero, de homic.* & *in Clement. ſi furioſus, de homic.*

Unde reſolvitur.

Qui in matrimonio tam valido quam invalido etiam ex defectu conſenſus copulam naturalem habet cum pluribus puellis ſibi ſucceſſive deſponſatis etiam ante baptiſmum, vel cum unica, ſed vidua a priori viro cognita, vel cum unica puel-

la ante matrimonium ab alio corrupta, aut poſt matrimonium adultera quamvis occulte, & per vim; fit irregularis ex bigamia propria, vel interpretativa ob carnis diviſionem in plures; quia cum pluribus, vel cum unica ab alio cognita matimonium conſummat. E contra non fit irregularis, ſi copulam habeat cum pluribus, ſed extra matrimonium, quamvis celebrata ſint ſponſalia, vel in matrimonio habeat copulam cum pluribus puellis, ſed tantummodo con una naturalem, & cum aliis ſodomiticam, vel habeat copulam cum vidua ſibi deſponſata, ſed a priori viro non cognita, vel habeat copulam cum puella a ſe ante matrimonium deflorata; quia in his caſibus matrimonium vel non conſummat cum pluribus, vel non conſummat cum una ab alio cognita. *Ex cap. quia circa*, *ex cap. debitum*, *ex cap. nuper*, *de Bigamis*. *Ex can. una tantum*, *diſt* 26. *ex can. acutius* 28. *quæſt*. 3. *ex can. curandum*, *diſt* 34. *ex can. maritum*, *diſt*. 33.

Qui poſt ſuſceptionem ordinis ſacri, vel poſt profeſſionem religioſam matrimonium contrahit, & conſummat cum unica, & virgine, vel copulam habet cum propria uxore poſtquam de ejuſdem conſenſu ordinem ſacrum, vel religionem ſuſcepit, fit irregularis ex bigamia ſimilitudinaria; quia matrimonium carnale conſummat poſtquam ſpiritualiter fuit deſponſatus Eccleſiæ per votum ſollemne caſtitatis. E contra non fit irregularis, ſi habeat copulam cum Moniali profeſſa, vel etiam cum propria uxore, quæ de ejuſdem conſenſu profeſſionem religioſam emiſit; quia cum in hac irregularitate non attendatur votum fœminæ, ſed viri; non verificatur, quod ipſe matrimonium conſummet poſt votum ſollemne caſtitatis. *Ex can. propoſuiſti*, *diſt*. 82.

Qui facto, mandato, conſilio, denunciatione, teſtimonio, adjutorio, aut alia cooperatione tam in Judicio, quam in bello juſto facit, ut aliquis particularis occidatur, aut mutiletur, vel ejus mors, aut mutilatio acceleretur, fit irregularis ex defectu lenitatis; quia ejus mortem, aut mutilationem, vel ejuſdem accelerationem cauſſat proxime. *Ex can. ecce*, *diſt*. 51. Secus autem ſi hoc faciat contra aliquem in genere, ut ſi legem

con-

condat, aut Judicem conſtituat, aut delictum commiſſum denunciet contra quemcumque, aut hortetur Judicem, ac Milites ad exequendum munus ſuum, vel ſi hoc faciat contra aliquem particularem, proteſtetur ſe non intendere ejus mortem, aut mutilationem; quia licet tunc eam cauſſet, non tamen cenſetur eam cauſſare proxime, ſed ſolum remote. *Ex can. novimus, de verb ſignif. ex cap. Epiſcopus, tit. ne Clerici, vel Monachi in 6. & ex cap. Prælatis, de homicid. in 6.*

Qui in perſona ſui, vel ſuorum invaditur ab alio, nec potens aliter a morte evadere illum occidit, vel mutilat, non fit irregularis ex defectu lenitatis, quia id facit ex defenſione inculpata. *Ex Gloſſ. in Clement. ſi furioſus, de homicid. verb. ſuum.* Idem dicendum eſt de Chirurgo (dummodo non ſit Clericus ex *cap tua nos, de homicid.*) ſi juxta regulas artis mutilet, etiamſi periculum mortis timeatur, vel inculpabiliter ſequatur; quia cum non poſſit aliter expellere morbum, cenſetur id facere ex infirmi defenſione inculpata. *Ex Gloſſa in cap ad aures, de ætate, & qualit. verb. cum diligentia. Vide Bonac. de irregul diſp. 7. q. 2. punct. 5. & Lezzan. verb. Irregularitas a n. 21.*

CAPUT V.

De Irregularitatis incurſu.

Irregularitas, quæ prout eſt ex defectu, habet rationem ſimplicis impedimenti, prout autem eſt ex delicto, habet etiam rationem pœnæ, ut incurratur, debet ſupponere in homine defectum, vel delictum eo modo, quo ipſi impoſita eſt a jure juxta ſuperius dicta. Sed quia defectus aliquando poteſt eſſe occultus, vel inculpabilis: delictum vero poteſt inſuper eſſe leve, vel internum, vel incompletum, vel incertum; difficultas eſt in his caſibus, an irregularitas ſemper incurratur, vel non. Pro quo hæc traditur diſtinctio:

Si irregularitas eſt ex defectu, incurritur ſemper.
Si eſt ex delicto, incurritur, quoties hoc eſt grave, externum, conſummatum, & (excepto homicidio) certum.

Alias non incurritur.

Ratio eſt, quia quando irregularitas eſt ex defectu, in eo Eccleſia conſiderat ſolam indecentiam, quæ ſemper cenſetur adeſſe. Quando irregularitas

eſt ex delicto, cum in eo Eccleſia conſideret pœnam, ſi delictum non eſt grave, pœna non proportionatur culpæ; ſi non eſt externum, Eccleſia de internis non judicat; ſi non eſt conſummatum, lex utpote pœnalis ſtricte eſt intelligenda: ſi non eſt certum, non præſumitur commiſſum: homicidium vero quamvis dubium, excipitur *in cap. ſignificaſti* 18. *de homicid.*

Unde reſolvitur.

Qui laborat defectu, cui eſt adnexa irregularitas, eam incurrit, etiamſi defectus ſit occultus, ac nemini notus; quia per hoc non tollitur, quin in ipſo realiter adſit defectus. Idem dicendum eſt, ſi per ipſum non ſtet ne tollatur; quia licet ſit inculpabilis; adhuc tamen eſt defectus. *Lezzana verb. irregularitas, n.* 12.

Qui in delicto, cui eſt adnexa irregularitas, peccat leviter, vel etiam graviter, ſed ſolo conſenſu interno, illam non incurrit; quia tunc delictum vel non eſt grave, vel non eſt externum. *Ex can. ſi quis non irat.* 15. *q.* 1. Idem dicendum eſt, ſi delictum externe tentetur, ſed effectus non ſequatur; quia licet ſit grave, & externum; non tamen eſt conſummatum. *Ex can. pœnæ, de pœnit. diſt.* 1.

Qui dubitat, an commiſerit delictum, cui eſt adnexa irregularitas, ſi adhibita diligentia, quæ communiter ſolet ahdiberi, adhuc perſeveret in dubio, non tenetur ſe gerere tamquam irregularem; quia delictum non eſt certum. *Ex Gloſſ. in cap. ad audientiam, de homicid. verb. in dubiis.* Secus vero ſi dubitet ſe commiſiſſe homicidium (per quod non intelligitur mutilatio); quia hoc eſt exceptum. *Ex cap ad audientiam, de homicid. Vide Bonac. de Irregul. diſp.* 7. *quæſt.* 1. *punct.* 3. & 5.

CAPUT VI.

De Irregularitatis effectibus.

IRregularitatis effectus ſunt duo, ſcilicet impedimentum ad ordinem licite ſuſcipiendum, vel exercendum ſuſceptum; & impedimentum ad beneficium valide obtinendum, vel retinendum obtentum ſub peccato gravi, non vero ſub altera irregularitate, aut alia pœna. Sed quia irregularitas tam ex delicto, quam ex defectu alia eſt antecedens, quæ ſcilicet incurritur ante ſuſceptio-

nem

nem ordinis, alia vero ſubſequens, quæ ſcilicet incurritur poſt ſuſceptionem ordinis, nec quælibet ſemper utrumque præſtat effectum, ideſt Ordinem non ſuſcipiendi, nec exercendi ſuſceptum, & beneficium non obtinendi, nec retinendi obtentum; ad dignoſcendum quænam irregularitas, & qua receptione, & adminiſtratione ordinis, ac beneficii privet vel non; hæc traditur diſtinctio:

Si irregularitas eſt antecedens, quælibet privat receptione, & adminiſtratione omnis ordinis, ac Beneficii.

Si eſt ſubſequens, orta ex defectu corporis privat ſolum adminiſtratione ordinis, ac receptione beneficii cum defectu incompoſſibilis: orta ex alio defectu, vel ex quocumque delicto privat adminiſtratione omnis ordinis, ac receptione, non autem adminiſtratione beneficii recepti.

Ratio eſt; quia quando irregularitas eſt antecedens quoad privationem omnis ordinis ita habetur *in can. curandum*, & *in can. ſi cujus uxorem, diſt.* 34. & quoad privationem omnis beneficii ita diſponitur *in Conc. Trid. ſeſſ.* 14. *can.* 7. *de reform.* Quando vero irregularitas eſt ſubſequens, ſi eſt ex defectu corporis, quoad privationem ſolius ordinis incompoſſibilis, ita deducitur ex *c. Thomas de corp. vitiat.* quod proportionaliter valet de beneficio, cum hoc detur propter officium; ſi autem eſt ex alio defectu, vel ex quocumque delicto, quoad privationem omnis ordinis exercendi ita deducitur ex *cap. quæſitum, de tem. ordinat.* & quoad privationem beneficii recipiendi, non autem adminiſtrandi recepti, ita colligitur ex *cap. ex litteris, de exceſſib. Prælat.* ubi irregularis beneficio Epiſcopatus non dicitur privatus, ſed privandus.

Unde reſolvitur.

Qui ante ſuſceptionem ordinis fit irregularis ex aliquo delicto, vel defectu, peccat graviter, ſi ordinem, aut primam tonſuram recipit, vel exercet eo modo, quo non poteſt exerceri a laico; quia irregularitas eſt antecedens. Similiter ſi providetur de beneficio, illicite, ac invalide illud recipit, & conſequenter etiam invalide utitur juriſdictione beneficio adnexa (dummodo ſit ordinaria, non vero ſi tantum ſit delegata); quia

irregularitas eſt antecedens. *Bonac. de irregul. diſp. 7. q. 1. punct. 4. n. 1. 6. & 12.*

Qui poſt ſuſceptionem ordinis ſacerdotalis fit irregularis ex cæcitate, vel ex amiſſione digitorum, non poteſt celebrare, neque beneficium pro celebratione recipere; quia cum hæc irregularitas ſit ſubſequens ex defectu corporis; talis ordinis adminiſtratio, ac beneficii receptio eſt cum defectu incompoſſibilis. E contra poteſt abſolvere a peccatis, ac horas Canonicas recitare in Choro, & pro utroque munere beneficium recipere; quia tunc talis ordinis adminiſtratio, ac beneficii receptio non eſt cum defectu incompoſſibilis. *Bonac. loco cit. n. 2. & 7.*

Qui poſt ſuſceptionem ordinis fit irregularis ex alio defectu, vel ex quocumque delicto, non poteſt licite adminiſtrare ullum ordinem, nec valide recipere ullum beneficium; quia irregularitas eſt ſubſequens ex alia cauſſa, quam ex defectu corporis. E contra poteſt valide, ac licite retinere beneficium antea obtentum, & conſequenter etiam uti juriſdictione ipſi adnexa; quia illa non eſt receptio, ſed adminiſtratio beneficii recepti. *Bonac. loco cit. Vide Suarez de cenſur. diſp. 40. ſect. 2.*

CAPUT VII.

De Irregularitatis ceſſatione.

QUamvis ad tollendam irregularitatem plerumque requiratur diſpenſatio Superioris Eccleſiaſtici; adhuc tamen aliquando ſine ulla diſpenſatione tollitur, quando ſcilicet per ſeipſam ceſſat. Sed quia hæc ceſſatio utpote inducta a jure ſolum in aliquibus caſibus non omni irregularitati convenit, nec ex quacumque cauſſa, nec ſemper; ad dignoſcendum quænam irregularitas, per quid, & quando ceſſet, vel non; hæc traditur diſtinctio:

Si irregularitas eſt ex delicto, vel ex defectu lenitatis, ceſſat per ſuſceptionem baptiſmi.

Si eſt ex defectu natalium, ceſſat per legitimationem canonicam, vel profeſſionem religioſam.

Si eſt ex alio defectu, ceſſat per remotionem cauſæ, quoties ab ipſa dependet.

Alias non ceſſet.

Ratio eſt; quia quando irregularitas eſt ex de-

delicto, ſicuti hoc tollitur per baptiſmum; ita tollitur pœna; & ſicuti per baptiſmum tollitur irregularitas orta ex homicidio injuſto, ita a fortiori tollitur orta ex homicidio juſto, ut colligitur ex *can. acutius*, *ex can. una*, *diſt.* 26. & *ex can. ſi quis viduam*, *diſt.* 34. Quando irregularitas eſt ex defectu natalium, quoad legitimationem, quæ pro hoc impedimento utpote canonico requiritur canonica, ita habetur in *cap. per venerabilem*, *titul. qui filii ſint legit.* & quoad profeſſionem religioſam ita habetur *in cap. ut filii*, *de filiis Presbyt.* non obſtante *Conſtit. Sixti V.* utpote reducta ad terminos juris a *Gregorio XIV.* *in Bulla* 3. quæ incipit — *Circumſpecta* — Quando vero irregularitas eſt ex alio defectu, quatenus hic dependet a cauſſa; eatenus ea remota removetur effectus.

Unde reſolvitur.

Si infidelis, vel Catechumenus fuit homicida, aut mutilator, vel ex aliquo crimine a ſe commiſſo infamis, vel fuit Miniſter Juſtitiæ, aut miles; eo ipſo quod baptizatur, deſinit eſſe irregularis, quia tunc irregularitas eſt ex delicto, vel ex defectu lenitatis. E contra non deſinit eſſe irregularis, ſi fuit bigamus, vel illegitimus, vel ex delicto parentum infamis; quia cum tunc irregularitas ſit ex defectu Sacramenti, vel fortunæ, non ceſſat per ſuſceptionem baptiſmi. *Ex Gloſſ. in can. deinde opponitur*, *diſt.* 26. *verb. inter peccata*.

Si filius naturalis legitimatur per ſubſequens matrimonium, vel Spurius legitimatur a poteſtate Eccleſiaſtica, deſinit eſſe irregularis; non vero ſi legitimetur a poteſtate laica etiam Regia; quia legitimatio quatenus fit per ſubſequens matrimonium, vel a poteſtate Eccleſiaſtica; eatenus cenſetur canonica. Similiter ſi illegitimus etiam ſpurius emittit in religione approbata vota ſollemnia, deſinit eſſe irregularis; non vero ſi ea emittat in religione non approbata, vel in approbata emittat ſolum vota ſimplicia (excepta Societate Jeſu); quia quatenus in religione approbata profeſſio fit per vota ſollemnia; eatenus cenſetur religioſa. *Ex Gloſſ. in cap. per venerabilem*, *titul. qui filii ſint legit. verb. habeat poteſtat.*

Si illiteratus evadit doctus, vel ſervus evadit liber,

liber, vel infamis ex facto evadit probus, deſinit eſſet irregularis; quia cum quilibet ex his defectibus actualibus dependeat a cauſſa; irregularitas ceſſat per remotionem cauſſæ. E contra non deſinit eſſe irregularis bigamus ſi evadat cælebs, nec Miniſter juſtitiæ ſi evadat advocatus pro Reo, nec infamis ex jure ſi per emendationem evadat probus; quia cum quilibet ex his defectibus non dependeat amplius a cauſſa; irregularitas non ceſſat per remotionem cauſſæ. *Ex reg. juris. Vide Filliuc. tract. 19. de irregul. cap 5.*

CAPUT VIII.

De Irregularitatis diſpenſatione.

IRregularitas, quæ juxta dicta *cap. præcedenti* per ſe ipſa non ceſſat, non poteſt aliter tolli, quam per diſpenſationem; quæ ſi conceditur a ſummo Pontifice utpote diſpenſante in lege propria, ſemper eſt valida (dummodo non ſit ſubreptitie obtenta,) ſi autem conceditur ab aliis habentibus hanc facultatem utpote diſpenſantibus in lege Superioris, eatenus eſt valida, quatenus ſit ex cauſſa juſta, ut dictum eſt ubi de diſpenſatione. Hanc diſpenſandi facultatem habent Epiſcopi, ut conſtat ex *Concil. Trident. ſeſſ. 24. de reform. cap. 6.* & Prælati Regulares, ut conſtat ex eorum privilegiis. Sed quia hæc facultas tam quoad Epiſcopos, quam etiam quoad Prælatos regulares eſt limitata pro aliquibus caſibus; ad dignoſcendum a qua irregularitate, & quos diſpenſare poſſint, vel non; hæc traditur diſtinctio:

Si Superiores ſunt Epiſcopi, poſſunt diſpenſare Subditos a ſola irregularitate ex delicto (homicidio excepto) quoties eſt occultum.

Si ſunt Prælati regulares, poſſunt diſpenſare Subdites a qualibet irregularitate (homicidio, mutilatione, ac bigamia exceptis), quoties non imminet ſcandalum.

Alias non poſſunt.

Ratio quoad Epiſcopos eſt; quia ita ipſis conceditur a *Conc. Trid. ſeſſ. 24 de reform. cap. 6.* Quo vero ad Prælatos Regulares; quia ita habetur in ipſorum privilegiis, quæ licet ſint ampliſſima; de eorum tamen limitatione in caſu homicidii, mutilationis, ac bigamiæ conſtat ex *Bull.*

Sixti

Sixti IV. quæ incipit -- *Regimini* §. 14. - de limitatione autem in caſu ſcandali arguitur ex *regula* 81. *de regulis juris in* 6. quod ſcilicet in generali conceſſione non veniunt quæ quis non eſſet veriſimiliter in ſpecie conceſſurus.

Unde reſolvitur.

Epiſcopi etiam non conſecrati, dummodo electi, aut confirmati, poſſunt diſpenſare ab irregularitate ex delicto occulto; quia quoad actus juriſdictionis ſunt vere Epiſcopi. E contra Abbates Sæculares etiamſi habeant juriſdictionem Epiſcopalem, a nulla irregularitate poſſunt diſpenſare ſuos ſubditos; quia licet ſint ſuperiores, non tamen ſunt Epiſcopi. *Ex declarat. Congregat. Concil.* 9. *Decembris* 1582.

Epiſcopi non poſſunt ab ulla irregularitate diſpenſare vagos, vel extraneos, ſicut neque Archiepiſcopi extra tempus viſitationis poſſunt diſpenſare diœceſanos ſuffraganeorum; quia non ſunt ſubditi. E contra ab irregularitate, a qua poſſunt diſpenſare ſubditos, poſſunt etiam diſpenſare Religioſos exemptos, quoties in foro conſcientiæ ſe illis ſubjiciunt cum licentia proprii Superioris; quia quoad hoc utpote ſavorabile cenſentur ſubditi. *Bonac. de irregul diſp.* 7. *q.* 7. *pun.* 1. *num.* 3. & 4.

Epiſcopi non poſſunt diſpenſare ſubditos ab irregularitate ex delicto occulte commiſſo, ſed deducto ad forum contentioſum; quia tunc non eſt amplius occultum. Similiter licet poſſint dipſenſare ab irregularitate ex mutilatione occulta, cum hæc non ſit homicidium; non tamen poſſunt diſpenſare ab irregularitate ex homicidio quamvis occultiſſimo; quia hoc eſt ſemper exceptum. *Ex Conc. Trident. loco cit.*

Prælati Regulares habentes privilegium diſpenſandi a qualibet irregularitate, non poſſunt diſpenſare Sæculares, ſi de ipſis non ſit mentio in privilegio; quia non ſunt ſubditi, nec etiam poſſunt diſpenſare ſubditos ab irregularitate ex homicidio, mutilatione, vel bigamia quamvis occulta; quia hi caſus ſunt excepti. Similiter non poſſunt diſpenſare ſubditos, qui ſint Lunatici, Leproſi, monſtruoſi, inhabiles, damnati ad Triremes, vel notorie infames; nam quamvis hi caſus non

excipiantur expreſſe; adhuc tamen cenſentur tacite excepti; quia ex eorum diſpenſatione imminet ſcandalum. *Lezzana tom.* 1. *cap.* 18. *& verb. Irregularitas num.* 76.

CENSURARUM

In Jure contentarum Collectio

Ordine alphabetico diſpoſita.

EXhibetur hic pro neceſſaria Cenſurarum notitia, diſtinctus omnium excommunicationum, ſuſpenſionum, & interdictorum catalogus prout cum reſervatione, vel ſine reſervatione continetur in Jure. Ubi notandum eſt quod ſequitur, ſcilicet:

Quoad excommunicationes Papæ reſervatas, ſi hæ continentur in Bulla Cœnæ, nemo extra mortis articulum poteſt ab iis abſolvere, etiamſi habeat facultatem generalem abſolvendi ab omnibus Cenſuris Papæ reſervatis, niſi ſpecialiter exprimantur in conceſſione, in qua tamen ſemper cenſetur excepta hæreſis, quoties de hac etiam non fit mentio expreſſa, ſicuti etiam cenſentur excepti ſex caſus, qui ſpecialiter ſunt Papæ reſervati intra Italiam, ſcilicet Violatio Clauſuræ Monialium ad malum finem, Percuſſio Clerici, vel Monachi, Simonia realis ſcienter contracta, Confidentia beneficialis, Duellum, & Violatio Immunitatis Eccleſiaſticæ circa confugientes ad Eccleſias, ut dictum eſt *part.* 2. *tract.* 5. *cap.* 5. § 2.

Quoad ſuſpenſiones, ſi hæ latæ ſunt ad tempus, antequam per ſe ipſas ceſſent; interim cenſentur Papæ reſervatæ, ut cum pluribus docet *Bonac. de ſuſpenſionibus in particulari, diſp.* 3. *q.* 2. *punct.* 1. *n.* 7. *& quæſt.* 3. *punct.* 3. *n.* 7 Quamvis autem ſimplex Confeſſarius poſſit abſolvere ab excommunicationibus non reſervatis, cum abſolutio excommunicationum neceſſario præmittenda ſit abſolutioni peccatorum, non poteſt tamen abſolvere a ſuſpenſionibus quamvis non reſervatis, ut docet Bonac. *loco cit. q.* 3. *punct.* 3. *n.* 8. ſed abſolutio impendenda eſt ab Epiſcopo, ut docet idem Bonac. *loco cit. q.* 1. *punct.* 1. *n.* 11. *punct.* 2.

n. 12.

n. 12. *punct.* 3. *n.* 6. *punct.* 8. *n.* 30. & *punct.* 11. *num.* 28.

Quoad interdicta non reſervata dicendum eſt pariter, quod abſolutio impendenda eſt ab Epiſcopo, dummodo non ſint particularia perſonalia, in quo tantum caſu poteſt ab iis abſolvere ſimplex Confeſſarius, ut docet idem Bonacina *de interdicto*, *diſp.* 5. *punct. ult. n.* 6.

EXCOMMUNICATIONES

Latæ ſententiæ, ac Papæ reſervatæ,

quibus ſubjiciuntur

A

Abſolventes a caſibus reſervatis abſque facultate. *Decret. Sacr. Congr. Epiſc. & Regul. confirmat. a Clement* VIII.

Abſolventes a culpa, & pœna per indulgentiam, ſi ſunt Regulares, *Cle. Religioſi*, *de privileg.*

Abſolventes prætextu gratiarum Sixti IV. a caſibus Bullæ Cœnæ. *Extravag. ſi Dominici Gregis*, *de pœnit. & remiſſ.*

Abſolventes Sacramentaliter excommunicatum a Papa. *Cap Significavit*, *de ſentent. excommunic.*

Abſolvendi facultatem publicantes ad faciendum quæſtum. *Bulla* 99. *Pii* V. quæ incipit — *Quam plenum.*

Abſoluti in articulo mortis a cenſura Papæ reſervata ſe non præſentantes, *Cap. eos*, *qui de ſentent. excomm. in* 6.

Abſolutionem datam ab abſente validam eſſe docentes. *Bulla* 87. *Clementis* VIII. quæ incipit — *Sanctiſſimus*.

Acceſſum ad Romanam Curiam pro impetrandis Apoſtolicis litteris prohibentes. *Bulla Cœnæ*, §. 13.

Agentium in cauſſis recurſus ad Romanam Curiam offenſores. *Bul. Cœnæ*, §. 12.

Alienantes bona Eccleſiæ Romanæ, & alienari conſulentes, *Bulla* 35. *Pii* V. quæ incipit — *Admonet nos.*

Ambitum ad Papatum denunciare omittentes. *Bull.* 26. *Pauli* IV. quæ incipit — *Cum ſecundum Apoſtolum.*

Ambitus, & tractatus pactionales ſuper electione Papæ eo vivente facientes. *Bulla* 16. *Pauli* IV. quæ incipit — *Cum ſecundum*.
Ambitus, tractatus pactionales ſuper electione Papæ Sede vacante facientes, *Bulla* 13. *Gregorii XV*. quæ incipit — *Æterni Patris*.
Annonam hoſtibus Chriſtianorum deferentes. *Bulla Cœnæ*, §. 7.
Annonam ad Romanam Curiam deferri prohibentes, vel impedientes. *Bulla Cœnæ*, §. 8.
Annonam a ſtatu Eccleſiaſtico mercimonii cauſſa extrahentes. *Bulla* 28. *Urbani* VIII. quæ incipit — *Superni*. §. 5.
Apoſtatæ a fide. *Bulla Cœnæ*, §. 1.
Apoſtatas a Religione recipientes. *Bulla* 14. *Pauli IV*. quæ incipit — *Poſtquam*.
Apoſtolicæ Sedis Legatos, vel Nuncios offendentes. *Bulla Cœnæ*, §. 11.
Apoſtolicam ad Sedem venientium, ex ea recedentium, aut in ea commorantium offenſores. *Bulla Cœnæ*, §. 9.
Apoſtolicas litteras falſificantes, ac publicantes. *Bulla Cœnæ*, §. 9.
Apoſtolicarum litterarum impetrationem, executionem, vel uſum prohibentes, eorumque fautores. *Bulla Cœna*, §. 13.
Appellantes a Papa ad futurum Concilium, eorumque fautores. *Bulla Cœnæ*, §. 2.
Appellantes, vel aliter recurrentes ad Laicam poteſtatem a litteris Papæ, vel ipſius Officialium. *Bulla Cœnæ*, §. 13.
Appellantes, vel aliter recurrentes ad Laicam poteſtatem a decretis Judicis Eccleſiaſtici. *Bulla Cœnæ*, §. 16.
Archiepiſcoporum offenſores. *Bulla Cœnæ*, §. 11.
Arma deferentes ad hoſtes Reipublicæ Chriſtianæ. *Bulla Cœnæ*, §. 7.
Aſtrologi divinantes ſuper vita, ac morte Papæ, ſive ſuper ſtatu Sedis Apoſtolicæ, vel Reipublicæ Chriſtianæ. *Bulla* 113. *Urbani* VIII. quæ incipit — *Inſcrutabilis*.
Avocantes cauſſas ſpirituales, vel ſpiritualibus adnexas a Judicibus Eccleſiaſticis, ac fautores. *Bulla Cœnæ*, §. 14.
Auxiliis de divinis Tractatus edentes, legentes,
im-

imprimentes, vel retinentes. *Decret. Congreg. S. Offic. anno* 1625. *die* 22. *Maji*; & *anno* 1641. *die* 1. *Auguſti*.

B

BEneficium in Eccleſiaſticum ſe introducentes. *Conc. Trident. ſeſſ.* 22. *cap.* 11. *de reform.*

Beneficia, & penſiones recipientes in confidentiam (niſi ſint Cardinales, & Epiſcopi, cum hi incurrant interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ) *Bulla* 85. *Pii* IV. quæ incipit — *Rom. Pontificem.*

Beneficiorum Simoniaci, ac complices. *Bulla* 85. *Pii V.* quæ incipit — *Intolerabilis*.

Beneficiorum obtentores pro aliis ſe ſupponentes: *Bulla* 12. *Pauli* IV. quæ incipit — *Inter ceteras*.

Beneficiorum fructus, vel jura uſurpantes, aut ſequeſtrantes. *Bulla Cœnæ*, §. 17.

Beneficiorum redditibus onera imponentes, exigentes, vel recipientes. *Bulla Cœnæ*, §. 18.

Beneficiorum vacantium fructus non applicantes juxta *Extravag. Joann.* XXII. — *Suſcepti regiminis* — donec reſtituant.

Beneficiorum collatores violantes ſuſpenſionem ob collationem non factam juxta formam præſcriptam in *Bulla* 58. *Pii V.* quæ incipit — *Quanta*.

Beneficiales cauſſa a Judicibus Eccleſiaſticis avocantes. *Bulla Cœnæ*, §. 14.

Beneficiati pro collatione, ſeu poſſeſſione aliquid petentes, vel exigentes. *Bulla* 204. *Pii V.* quæ incipit — *Durum nimis*.

Beneficiati juramenta illicita exigentes. *Bulla* 93. *Greg.* XIII. quæ incipit — *Inter Apoſtolicas*.

Bona Eccleſiæ ob delictum Clericorum confiſcantes, niſi reſtituant. *Clementina*. *Nolentes*, *de hæret*.

Bona Eccleſiaſtica uſurpantes, vel uſurpata recipientes. *Concil. Trident. ſeſſ.* 22. *cap.* 11 *de reform.*

Breviaria contra præſcriptum Concil. Trid. imprimentes. *Conſtit. Clementis* VIII. *in Breviario*.

C

CAmeræ Apoſtolicæ Miniſtri computa non deſcribentes. *Bulla* 40. *Pauli* III. quæ incipit — *Cum ſicut accepimus*.

Cameræ Apoſtolicæ ſcripturas detinentes, vel non revelantes. *Bulla* 56. *Sixti V.* quæ incipit — *Non ſine maxima*.

Car-

Cardinales eligentes Papam ſimoniace. *Bulla* 3. *Julii II* quæ incipit — *Cum divino.*

Cardinales non eligentes juxta formam præſcriptam *in Bulla* 13. *Gregorii XV.* quæ incipit — *Æterni Patris.*

Cardinales revelantes Secreta Conciſtorii. *Bulla* 7. *Leonis* X. quæ incipit — *Supernæ*. §. 30.

Cardinalium offenſores, vel perſecutores. *Bulla Cœnæ*, §. 11.

Cardinalium offenſores denunciare omittentes. *Bulla* 39. *Pii V.* quæ incipit — *Infelicis Sæculi.*

Cardinalium in Conclavi exiſtentium bona invadentes. *Bulla* 16. *Leonis X.* quæ incipit — *Temerariorum*, §. 3.

Cardinalium de promotione paciſcentes. *Bulla* 4. *Gregorii XIV.* quæ incipit — *Cogit nos.*

Cauſſas ſpirituales, vel ſpiritualibus adnexas a Judicibus Eccleſiaſiaſticis avocantes, eorumque fautores. *Bulla Cœnæ*, §. 14.

Cauſſis criminalibus Eccleſiaſticorum Laici ſe interponentes, *Bulla Cœnæ*, §. 19.

Cauſſas civiles Eccleſiaſticorum ad Tribunal Laicale trahentes. *Bulla Cœnæ*, §. 15.

Cenſuras violari temporales Domini facientes. *Clementina Gravis*, *de ſentent excomm.*

Cenſuram ſuſpenſionis a poteſtate providendi de beneficiis violantes. *Bulla* 58. *Pii V.* quæ incipit — *Quanta.*

Cenſurarum latores offendentes. *Cap. quicumque*, *de ſentent. excomm. in* 6.

Chriſtianorum hoſtibus auxilium præſtantes. *Bulla Cœnæ*, §. 7.

Chriſtianos apud Turcas capientes, vel captis libertatem non reddentes. *Bulla* 149. *Pii V.* quæ incipit — *Licet omnibus.*

Clauſuram Moniales egredientes, earumque fautores. *Bulla* 8. *Pii V.* quæ incipit — *Cum paſtoralis*, *& declaratio*, quæ incipit — *Decori.*

Clauſuram Monialium violantes, *Bulla* 74. *Pauli V.* quæ incipit — *Monialium.*

Clerici communicantes in divinis cum excommunicato a Papa, *Cap. ſignificavit*, *de ſent. exom.*

Clerici facientes jurare, vel vovere pro ſepultura in ſuis Eccleſiis. *Clement. Cupientes*, §. *Sane*, *de pœnis.*

Cle-

Clericorum percuſſores. *Can. ſi quis ſuadente* 17. *q.* 4.

Conceptionem immaculatam B. Mariæ impugnantes. *Extrav. Grave nimis, de reliquiis, & venerat. Sanctor.*

Conclaviſtis mittentes, vel ex eis recipientes litteras ſuper electione Papæ. *Bulla* 63. *Pii IV.* quæ incipit — *In eligendis.*

Conclaviſtarum bona diripientes. *Concil. Conſtantienſ. ſeſſ.* 41. *de decret. de non ſpoliand. eligend. in Pontific.*

Confeſſarium abſentem poſſe abſolvere docentes. *Bulla* 87. *Clementis VIII.* quæ incipit — *Sanctiſſimus.*

Confiſcans bona Eccleſiæ ob delictum Clericorum, niſi reſtituat. *Clement. nolentes de hæret.*

Confidentia beneficiali dantes vel recipientes penſiones, vel beneficia, niſi ſint Cardinales, & Epiſcopi; cum hi incurrant interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ. *Bulla* 85. *Pii IV.* quæ incipit — *Romanum Pontificem*, & *Bulla* 58. *Pii V.* quæ incipit — *Quanta Eccleſiæ.*

Conſpirationem in Cardinalem non revelantes. *Bulla* 93. *Pii V.* quæ incipit — *Infelicis Sæculi.*

Conſuetudines contra libertatem Eccleſiaſticam ſervantes, vel ſervari facientes. *Cap. noverit, de ſent. excomm.* & *Bullæ Cœnæ*, §. 15.

Conventum Religioſorum Mulieres ingredientes. *Bulla* 20 *Pii V.* quæ incipit — *Regularium.*

Curia in Romana juriſdictionem ſibi uſurpantes contra manentes in ea. *Bulla Cœnæ*, §. 9.

Curia in Romana promittentes, dantes, vel recipientes aliquid pro gratia, vel juſtitia. *Bul.* 19. *Alex. VII.* quæ incipit — *Inter graviſſimas.*

Curiam ad Romanam acceſſum pro impetrandis Apoſtolicis litteris prohibentes. *Bul. Cœnæ*, §. 13.

D

Decimas Eccleſiaſticis uſurpantes, aut impedientes. *Bulla Cœnæ*, §. 17.

Decimas Religioſis uſurpantes, vel earum ſolutionem impedientes quando non habent officium, vel beneficium (cum tunc ſuſpendantur) & ante ſatisfactionem condignam non poſſunt abſolvi niſi a Papa. *Clement.* 1. *de decimis.*

Decimarum cauſſas a Judicibus Eccleſiaſticis avocantes. *Bulla Cœnæ*, §. 14.

De-

Defunctorum corpora immaniter tractantes. *Extravag. deteſtandæ, de ſepult.*

Denunciare omittentes ambitum ad Papatum. *Bulla* 16. *Pauli IV,* quæ incipit — *Cum ſecundum Apoſtolum.*

Denunciare omittentes offenſores, vel perſecutores Cardinalium *Bulla* 93. *Pii V.* quæ incipit — *Infelicis ſæculi.*

Denunciare omnittentes offenſores collitigantium, eorumque Procuratorem in Curia Romana. *Bul.* 11 *Aleandri VI.* quæ incipit — *In eminenti.*

Depoſita Eccleſiarum, vel Eccleſiaſticorum ſequeſtrantes, vel occupantes. *Concil. Trident. ſeſſ.* 22. *cap.* 11. *de reform.*

Diſpenſantes prætextu facultatis Sixti IV. a votis caſtitatis, Religionis, peregrinationis Jeruſalem, Compoſtellam, & Romam. *Extravag. & ſi Dominici Gregis* 2. *de pænit. & remiſſ.*

Dogmata, vel miracula falſa, ac falſas revelationes prædicantes. *Bulla* 21. *Leonis X.* quæ incipit — *Supernæ*, §. 5.

Duellantes, eorumque fautores. *Bulla* 78. *Gregorii XIII.* quæ incipit — *Ad tollendum, & Bul.* 11. *Clem. VIII.* quæ incipit — *Illius vices.*

E

Eccleſiæ bona ob delictum Clericorum confiſcantes, niſi reſtituant. *Clement. Nolentes, de hæret.*

Eccleſiæ Romanæ loca invadentes, eorumque fautores. *Bulla Cœnæ*, §. 20.

Eccleſiæ Romanæ res alienantes, vel alienari conſulentes. *Bulla* 35. *Pii V.* quæ incipit — *Admonet nos, & Bulla* 4. *Urbani VIII.* quæ incipit -- *Sacroſancti.*

Eccleſias effringentes, vel ſpoliantes. *Cap. conqueſti* 22. *de ſent. excomm.*

Eccleſiarum, vel Eccleſiaſticorum bona occupantes, vel ſequeſtrantes, *Bulla Cœnæ*, §. 17. vel eorum uſurpationem recipientes, vel eorum depoſita occupantes, aut ſequeſtrantes. *Concil. Trid. ſeſſ.* 22. *cap.* 11. *de reform.*

Eccleſiaſticæ libertati ſtatuta contraria facientes, vel conſuetudines contra ipſam ſervantes, aut ſervari facientes. *Bulla Cœnæ*, §. 15.

Eccleſiaſticos ad Tribunal laicale trahentes. *Bulla Cœnæ*, §. 25.

Ec-

Eccleſiaſticorum cauſſis criminalibus Laici ſe interponentes. *Bulla Cœnæ*, §. 19.

Eccleſiaſticis uſum juriſdictionis impedientes. *Bul. Cœnæ*, §. 16. vel eis gabellas imponentes, exigentes, ſeu recipientes *Bulla Cœnæ*, §. 18.

Eccleſiaſtico in ſtatu Officiales munera accipientes exceptis eſculentis, & poculentis, quæ triduo ſervari non poſſunt. *Bulla* 15. *Sixti IV.* quæ incipit — *Et ſi de cunctorum*, §. 3. & *Bul.* 3. *Pauli II.* quæ incipit — *Munera.*

Eccleſiaſtico in ſtatu dantes, vel recipientes aliquid pro gratia, vel juſtitia. *Bul.* 10. *Clem.* VIII. quæ incipit -- *Pro commiſſæ*, §. 22.

Eccleſiaſtico e ſtatu annonam mercimonii cauſſa extrahentes, *Bulla* 28. *Urbanis* VIII. quæ incipit — *Superni*, §. 5.

Electioni in Papatum conſentientes, ſi ſit facta a minori numero, quam duarum partium Cardinalium, & ſi ſit facta a ſola tertia parte etiam acceptantes. *Cap. licet de elect.*

Epiſcopum offendentes. *Bulla Cœnæ*, §. 11. vel eum bannientes, aut capientes, eorumque fautores. *Clement.* 1. *Si qui ſuadent. de pœnis.*

Examinatores, qui aliquid recipiunt pro examine ad Parochiam. *Concil. Trid. ſeſſ.* 24. *c.* 18. *de reform.*

Excommunicatus, ſuſpenſus, vel interdictus non parens monitioni de exeundo ab Eccleſia dum Miſſa celebratur, vel ipſum exire prohibentes. *Clement. Gravis*, *de ſent. excomm.*

Excommunicatum a Papa ſacramentaliter abſolventes, vel ipſum ad divina admittentes. *Cap. ſignificavit*, *de ſent. excom.*

Excommunicatus a delegato Papæ non parens infra annum. *Cap. quærenti*, *de Offic. delegati*,

Excommunicato a Papa participantes in crimine criminoſo. *Cap. nuper*, *de ſentent. excom.*

F

FAlſantes litteras Apoſtolicas, vel eas publicantes. *Bulla Cœnæ*, §. 6.

Falſantes monetas Regis Franciæ. *Extravag prodiens*, *de crimine falſi.*

Feminæ ingredientes Religioſorum Cœnobia. *Bulla* 20. *Pii V.* quæ incipit —*Regularium.*

Ga-

G

GAbellas novas imponentes, & exigentes. *Bulla Cœnæ*, §. 5.

Gabellas Eccleſiaſticis imponentes, cooperantes, exigentes, & recipientes. *Bulla Cœnæ*, §. 18.

Granatenſes laminas. vel libros de eis tractantes retinentes, imprimentes, vulgantes, & allegantes. *Dec. Con. S. Offic. anno* 1639. *die* 5. *Maii.*

Gubernatores ſtatus Eccleſiaſtici recipientes munera exceptis eſculentis, & poculentis, quæ triduo ſervari non poſſunt. *Bul.* 3. *Paul.* II. quæ incipit — *Munera*, & *Bul.* 15. *Sixti* IV. quæ incipit — *Et de cunctorum*, §. 3.

H

HEbræorum Thalmuth, & alia impia ſcripta legentes. *Bul.* 20. *Clementis* VIII. quæ incipit — *Cum Hebræorum*.

Hæretici formales, & externi, eorumque fautores. *Bulla Cœnæ*, §. 1.

Hæreticorum libros hæreſim continentes, vel de Religione tractantes legentes, retinentes, imprimentes, vel defendentes. *Bulla Cœnæ*, §. 1.

Hæreticorum, vel fautorum corpora ſepelientes in loco ſacro, ſi ea non exhumarunt. *Cap. quicumque, de hæret. in* 6.

I

IMmunitatem Eccleſiarum, locorumque ea gaudentium violantes. *Bulla* 7. *Gregorii XIV.* quæ incipit — *Cum alias*.

Immunitatem Eccleſiaſticorum per impoſitionem onerum, vel per uſurpationes, & ſequeſtra, aut per tractionem ad Laicale Tribunal violantes. *Bulla Cœnæ*, §. 15. 17. & 18.

Impedientes cauſſarum ſpiritualium curſum in foro Eccleſiaſtico, eorumque fautores. *Bulla Cœnæ*, §. 24.

Impedientes victualia Romanæ Curiæ. *Bulla Cœnæ*, §. 8.

Impedientes impetrationem, & executionem litterarum Apoſtolicarum, vel tali impedimento cooperantes. *Bulla Cœnæ*, §. 13.

Imponentes Gabellas Eccleſiaſticis, & cooperantes. *Bulla Cœnæ*, §. 18.

Incendiarii excommunicati a quocumque quoad abſolutionem. *Cap. tua nos, de ſent. excom.*

In-

Indulgentiam plenariam Religioſi concedentes. *Clement.* 1. *de privileg.*

Indulgentias publicantes ob quæſtum, ſi non ſint Epiſcopi, vel Cardinales (cum hi incurrant interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ, & ſuſpenſionem a perceptione fructuum.) *Bulla* 99. *Pii V.* quæ incipit — *Quam plenum.*

Infeudationem locorum Eccleſiæ Romanæ Papæ perſuadentes. *Bulla* 35. *Pii V.* quæ incipit — *Admonet nos.*

Ingredientes Monaſteria Mulierum ad malum finem, vel prætextu facultatis a Papa, aut ab aliis conceſſæ, ac Moniales admittentes. *Bullæ* 28. *Gregorii* XIII. quæ incipit — *Ubi gratiæ.*

Inquiſitores, eorumque ſubſtituti (ſi non ſint Epiſcopi, cum hi incurrant ſuſpenſionem) non procedentes adverſus Hæreticos. *Clement.* 1. §. *Verum*, *de hæret.*

Inquiſitionis proceſſus, & ſecreta revelantes. *Cap. ſtatuta*, §. *Et ut eorumdem de hæret. in* 6.

Inquiſitionis prætextu pecuniam extorquentes. *Clement. Nolentes*, *de hæret.*

Inquiſitonis curſum Regularium Superiores impedientes, vel retardantes. *Bulla* 26. *Pauli V.* quæ incipit — *Romanus Pontifex*, §. 5.

Interdictum violantes per evocationem Populi ad divina, & in aliis certis caſibus. *Clement. Gravis*, *de ſent. excomm.*

Intrudentes ſe in beneficium Eccleſiaſticum. *Conc. Trid. ſeſſ.* 22. *cap.* 11. *de reform.*

Judicum in cauſſis recurſus ad Romanam Curiam offenſores. *Bulla Cœnæ*, §. 12.

Juramenta illcita, & libertati Eccleſiaſticæ contraria a Beneficiatis, vel Prælatis exigentes. *Bul.* 93. *Greg. XIII.* quæ incipit — *Inter Apoſt.*

Juriſdictionis Eccleſiaſticæ uſum impedientes, eorumque fautores. *Bulla Cœnæ*, §. 16.

Juriſdictionem non habentes, eamque ſibi vindicantes contra manentes in Curia Romana. *Bulla Cœnæ*, §. 9.

Juriſdictionem procurantes a Conſervatoribus excedi. *Cap. hac conſtitutione*, *de offic. delegati in* 6.

L.

Laici ſe interponentes in cauſſis Eccleſiaſticis. *Bulla Cœnæ*, §. 14.

Lai-

Laicam ad poteſtatem a litteris Papæ, ejuſque officialium recurrentes. *Bulla Cœnæ*, §. 13.

Laminas Granatenſes allegantes. *Decr. Congr. S. Offic. anno* 1639. *die* 5. *Maji*.

Legatis ab Apoſtolicis recurrentes ad poteſtatem laicam. *Bulla Cœnæ*, §. 13.

Legatorum Sedis Apoſtolicæ offenſores. *Bulla Cœnæ*, §. 11.

Libros Hæreticorum continentes hæreſim, vel tractantes de religione legentes, retinentes, imprimentes, vel defendentes. *Bulla Cœnæ*, §. 1.

Libros, tractatus, ſeu compoſitiones de auxiliis divinis edentes, retinentes, legentes, vel imprimentes. *Decret. Congr. S. Offic. anno* 1625. *die* 22. *Maji*, & *anno* 1641. *die* 1. *Auguſti*.

Librum Thalmuth, & alios impios Codices Hebræorum legentes, retinentes, imprimentes. *Bulla* 20. *Clementis* VIII. quæ incipit *Cum Hebræorum*.

Licentiam dantes gravandi eos, qui cenſuram tulerunt, vel quorum occaſione eſt lata, poſt duos menſes. *Cap. quicumque de ſent. excom. in* 6.

Litteras Apoſtolicas falſantes, vel falſas publicantes. *Bulla Cœnæ*, §. 6.

Litteras Apoſtolicas falſas retinentes infra viginti dies excommunicationis ferendæ a Diœceſano *Cap. dura*, *de crimine falſi*.

Litteras S. Pœnitentiariæ impedientes. *Bulla* 1. *Julii* III. quæ incipit — *Rationi congruit*.

Litterarum Apoſtolicarum impetrationem, executionem, vel uſum prohibentes, eorumque fautores. *Bulla Cœnæ*, §. 13.

M

Marchiæ Anconitanæ officialium offenſores. *Extravag. dierum*, *de pœnis*.

Maris Pontificii Piratæ, eorumque fautores. *Bul Cœnæ*, §. 3.

Matrimonio conjungentes, vel ſollemniter benedicentes Sponſis ſine licentia Parochi. *Clement.* 1. *de privileg.*

Miniſtri Cameræ Apoſtolicæ computa non deſcribentes. *Bulla* 4. *Pauli* III. quæ incipit — *Cum ſicut accepimus*.

Miracula, vel dogmata falſa, aut falſas revelationes prædicantes. *Bulla* 21. *Leonis X.* quæ incipit — *Supernæ*, §. 5.

Mo-

Monachorum percuſſores. *Can. ſi quis ſuadente* 17. *quæſt.* 4.
Monaſteriorum bona, vel jura uſurpantes. *Bulla Cœnæ*, §. 17.
Monaſteriorum bonis collectas, vel taleas imponentes. *Bulla Cœnæ*, §. 18.
Monaſteria Monialium ingredientes ad malum finem, vel prætextu facultatis a Papa, vel ab aliis conceſſæ, & Moniales admittentes. *Bulla* 28. *Gregorii XIII* quæ incipit — *Ubi gratiæ*.
Monialium clauſuram violantes. *Bulla* 74. *Pauli V.* quæ incipit — *Monialium*.
Moniales clauſuram violantes, earumque fautores ad egreſſum, ſicuti etiam Monialium Superiores concedentes licentiam ingrediendi in Monaſteria ſine cauſſa juſta. *Bulla* 8. *Pii V.* quæ incipit — *circa paſtoralis*, & *ejuſdem* Bul. *declaratio*, quæ incipit — *Decori*, & *honeſt*.
Monetam Regis Franciæ falſificantes. *Extravag. prodiens*, *de crimine falſi*.
Montium Pietatis bona uſurpantes. *Concil. Trid. ſeſſ.* 22. *cap.* 11. *de reform.*
Montium Pietatis officiales inferiores Epiſcopis (cum hi incurrant ſolam ſuſpenſionem) expendere præſumentes pecunias Montis præter uſus deſtinatos. *Bul.* 82. *Pauli V.* quæ incipit--*Oneroſa*.
Mulieres ingredientes Religioſorum Cœnobia. *Bul.* 20. *Pii V.* quæ incipit — *Regularium*.

N

NAufragantium bona ſurripientes. *Bulla Cœnæ*, §. 4.
Negotiorum cauſſa ad Romanam Curiam recurrentium offenſores. *Bulla Cœnæ*, §. 12.
Nunciorum Sedis Apoſtolicæ offenſores. *Bulla Cœnæ*, §. 11.
Nunciis ab Apoſtolicis recurrentes ad poteſtatem laicam. *Bulla Cœnæ*, §. 13.

O

OBlationem ſollemnem inter Miſſam recipientes ab excommunicato, vel interdicto nominatim a Papa. *Cap. ſignificavit*, *de ſent. excom.*
Oblationes factas Eccleſiis, vel aliis piis locis uſurpantes. *Conc. Trid. ſeſſ.* 22. *c.* 11. *de reform.*
Offenſores accedentium, commorantium, aut recedentium a Romana Curia devotionis cauſſa, vel

vel negotiorum ad Sedem Apoſtolicam ſpectantium. *Bulla Cœnæ*, §. 9. 10. & 12.

Offenſores Cardinalium, Epiſcoporum, & quorumcumque Sedis Apoſtolicæ officialium, ac fautores. *Bulla Cœnæ*, §. 11.

Officia divina cogentes celebrari in loco interdicto. *Clement. Gravis, de ſent. excom.*

Officiales ſtatus Eccleſiaſtici munera accipientes exceptis eſculentis, & poculentis, quæ triduo ſervari non poſſunt. *Bulla* 15. *Sixti IV.* quæ incipit — *Et ſi de cunctorum*, §. 3. & *Bulla* 3. *Pauli II.* quæ incipit — *Munera*.

Officiales S. Pœnitentiariæ recipientes aliquid etiam ſponte oblatum, *Bulla* 83. *Pii V.* quæ incipit — *In omnibus rebus*.

Olivetanam in Congregationem ingreſſum prohibentes. *Bulla* 12. *Julii II.* quæ incipit — *Et ſi ad univerſos*, §. 20.

Ordinationem contra libertatem Eccleſiaſticam facientes. *Bulla Cœnæ*, §. 15.

Ordinem furtive recipentes, quando præceſſit prohibitio ſub excommunicatione (cum alias incurratur ſola ſuſpenſio). *Cap.* 1. *veniens ad nos de eo, qui ordin. furtive ſuſcepit*.

P

PApatum ambientes, aut vivente Papa de eligendo Succeſſore tractantes, ac cooperantes. *Bul.* 16. *Pauli IV.* quæ incipit - *Cum ſecundum*.

Papatus electioni conſentiens, ſi ſit electus a minori numero, quam duarum partium Cardinalium, & ſi ſit electus a ſola tertia parte etiam acceptantes. *Cap. licet, de elect.*

Papæ de vita, aut morte, vel de alterius electione eo vivente paciſcentes, ſicuti etiam de promotione Cardinalium. *Bulla* 4. *Gregorii IV.* quæ incipit — *Cogit nos*.

Papæ in electione Cardinales Simoniam committentes. *Bulla* 3. *Julii II.* quæ incipit — *Cum tam divino*.

Papæ in electione Cardinales non ſervantes formam præſcriptam in *Bulla* 13. *Gregorii XV.* quæ incipit — *Æterni Patris*.

Papæ perſuadentes infeudationem locorum Eccleſiæ Romanæ. *Bulla* 35. *Pii V.* quæ incipit — *Admonet nos*.

Paro-

Parochiæ pro examine dantes vel recipientes aliquid. *Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 18. de ref.*

Parochialia jura Religioſi uſurpantes. *Clement. 1. de privileg.*

Participantes in crimine criminoſo cum excommunicato a Papa. *Cap. nuper, de ſenten. excom.*

Patriacharum offenſores. *Bulla Cœnæ, §. 11.*

Patroni admittentes reſignationem extra caſus permiſſos. *Bulla* 58. *Pii* V. quæ incipit - *Quanta.*

Patroni uſurpantes bona ſuarum Eccleſiarum. *Concil. Trid. ſeſſ. 22. cap. 11. de reform.*

Pedagia nova imponentes, & exigentes. *Bulla Cœnæ, §. 5.*

Pœnitentiariæ litteras impedientes. *Bulla* 1. *Julii* III. quæ incipit - *Rationi congruit.*

Pœnitentiariæ Officiales recipientes aliquid etiam ſponte oblatum. *Bulla* 83. *Pii* V. quæ incipit - *In omnibus rebus.*

Peregrinantium devotionis cauſſa Romam offenſores. *Bulla Cœnæ, §. 10.*

Perſeverantes per annum in excommunicatione lata a Papæ delegato-*Cap. quærenti de offic. delegat.*

Piratæ in Mari Pontificio, eorumque fautores. *Bulla Cœnæ, §. 3.*

Populum evocantes ad audienda divina in loco interdicto. *Clement. Gravis, de ſent. excom.*

Poteſtatem ad laicam a litteris Apoſtolicis recurrentes. *Bulla Cœnæ, §. 13.*

Prædicantes dogmata, vel miracula falſa, aut revelationes falſas. *Bulla* 21. *Leonis* X. quæ incipit — *Supernæ Majeſtatis, §. 5.*

Prædicantes peccare eos, qui tenent B. Virginem immaculate conceptam. *Extravag. Grave nimis, de reliquiis, & venerat. Sanctor.*

Procuratorum in cauſſis recurſus ad Romanam Curiam offenſores. *Bulla Cœnæ, §. 12.*

Prohibentes, ne excommunicati, vel interdicti moniti exeant ab Eccleſia, dum Miſſa celebratur, & qui poſt monitionem audent cum ipſis remanere. *Clemen. Gravis, de ſentent. excom.*

Q

Quæſtuarii publicantes indulgentias ob quæſtum. *Bulla* 99. *Pii* V. quæ incipit -- *Quam plenum.*

Re-

R

Recurrentes a litteris Apoſtolicis ad poteſtatem laicam, & recurſui cooperantes. *Bulla Cœnæ*, §. 13.

Recurrentes a decretis Judicis Eccleſiaſtici ad poteſtatem laicam. *Bulla Cœnæ*, §. 16.

Regularium Superiores impedientes, vel retardantes cauſſas ad S. Inquiſitionem ſpectantes. *Bulla* 16. *Pauli* V. quæ incipit -- *Romanus Pontifex* §. 5.

Religioſi facientes vovere, vel jurare ad eligendam ſepulturam in ſuis Eccleſiis. *Clement. Cupientes*, §. *ſane*, *de pœnis*.

Religioſi mendicantes tranſeuntes ad ordinem non mendicantium.

Religioſi miniſtrantes extremam unctionem, vel aſſiſtentes matrimonio ſine licentia Parochi. *Clementin. Religioſi de privileg.*

Religioſi abſolventes a culpa, & pœna per indulgentiam. *Clement.* 1. *de privileg.*

Religioſi ſe conferentes ad partes tranſmarinas ſine licentia. *Extravag. ad noſtrum*, *de Regularib.*

Religioſi recipientes ad habitum, vel profeſſionem illegitimos ex inceſtu inter tertium gradum, vel ex ſacrilegio ob votum ſollemne caſtitatis abſque licentia Capituli Generalis, vel Provincialis. *Bulla* 71. *Sixti* V. quæ incipit -- *Cum de omnibus*, §. 2. quoad excommunicationem non moderata *in Bulla* 83. *Clemen.* VIII. quæ incipit -- *In ſuprema*, §. 4.

Religioſi uſurpantes decimas, vel earum ſolutionem impedientes quando non habent officium vel beneficium (cum tunc incurrant ſolam ſuſpenſionem) niſi ſatisfecerint. *Clem.* 1. *de decimis*.

Religioſorum Cœnobia mulieres ingredientes. *Bulla* 20. *Pii* V. quæ incipit -- *Regularium perſonarum*.

Religionis apoſtatas recipientes. *Bulla* 13. *Pauli* IV. quæ incipit -- *Poſtquam*.

Religionis ingreſſum prohibentes (ex participatione privilegiorum Congregationis Olivetanæ) *Bulla* 12. *Julii* II. quæ incipit -- *Etſi ad univerſos*, §. 20.

Religionis ob ingreſſum dantes, vel recipientes aliquid, dummodo non ſit pro alimentis. *Extravag. Sane*, *de Simonia*.

Reli-

Reliquias Sanctorum extrahentes e Cœmeteriis, ac fautores. *Decretum editum de mandato Pauli V. die* 24. *Auguſti* 1613. & 16. *Maji* 1614.

Reſignationem Patroni admittentes extra caſus permiſſos. *Bulla* 58. *Pii V.* quæ incipit-*Quanta.*

Revelationes falſas prædicantes. *Bulla* 21. *Leonis* X. quæ incipit - *Supernæ*, §. 5.

Romæ Senatorem, vel Gubernatorem eligentes ſine licentia Papæ. *Cap. fundamenta*, *de elect. in* 6.

Romanæ Curiæ victualia impedientes. *Bulla Cænæ*, §. 8.

Romanam ad Curiam acceſſum pro impetrandis apoſtolicis litteris prohibentes. *Bulla Cænæ*, §. 13.

Romanam ad Curiam ob negotia recurrentium, eorumque Agentium offenſores. *Bulla Cœnæ*, §. 12.

Romana in Curia Collitigantium, vel Procuratorum offenſores denunciare omittentes. *Bulla* 11. *Alexandri VI.* quæ incipit - *In eminenti.*

Romana in Curia dantes, vel recipientes aliquid pro gratia, vel juſtitia, ac paciſcentes. *Extravag. Excommunicamus*, *de ſentent. excom.* & *Bulla* 19. *Alexandri* VII. quæ incipit - *Inter graviſſimas.*

Romanæ Eccleſiæ bona invadentes, ac fautores, *Bulla Cœnæ*, §. 20.

Romipetarum devotionis cauſſa offenſores. *Bulla Cœnæ*, §. 10.

S

SAcramenta miniſtrantes excommunicato nominatim denunciato a Papa. *Cap. ſignificavit*, *de ſent. excom.*

Schiſmatici. *Bulla Cœnæ*, §. 1.

Scripturam Sacram prædicantes, vel explanantes contra ſenſum ab Eccleſia approbatum. *Bulla* 21. *Leonis* X. quæ incipit--*Supernæ Majeſtatis.*

Scripturas Cameræ Apoſtolicæ detinentes, vel non revelantes. *Bulla* 56. *Sixti* V. quæ incipit -- *Non ſine maxima.*

Secreta Conciſtorii revelantes. *Bulla* 7. *Leonis* X. quæ incipit - *Supernæ*, §. 30.

Secreta S. Inquiſitionis revelantes. *Cap. ſtatuta* §. *Et ut eorum*, *de hæret. in* 6.

Secreta Reipublicæ Chriſtianæ hoſtibus revelantes. *Bulla Cœnæ*, §. 8.

Sepelientes in loco ſacro hæreticos, eorumque fau-

fautores, ſi non exhumarunt. *Cap. quicumque de hæret. in* 6.

Sepelientes tempore interdicti in loco ſacro ſepeliri prohibitos, vel ſepelientes excommunicatos, interdictos, & uſurarios, quamdiu non eſt præſtita ſatisfactio ad arbitrium Epiſcopi. *Clement.* 1. *de ſepultur.*

Sepulturam in ſuis Eccleſiis eligi, vel non mutari Religioſi procurantes per votum, vel juramentum. *Clement. cupientes*, §. *ſane. de pœnis*.

Sepulturæ transferendæ cauſſa cadaver comminuentes. *Extravag. deteſtanda, de ſepult.*

Sequeſtrantes bona, vel jura Eccleſiarum. *Bulla Cœnæ*, §. 17.

Sequeſtrationem faciendam ab Ordinario de fructibus beneficii impedientes quamdiu impedimentum non eſt amotum, vel fructus non ſunt reſtituti. *Clement. unic. ad compeſcendas, de ſequeſtr.*

Servituti ſubjicientes Chriſtianum. *Bulla* 149. *Pii V.* quæ incipit -- *Licet omnibus*.

Simoniaci in ordine, vel beneficio, ac complices. *Extrav. deteſtabile de Sim. Bulla* 85. *Pii IV*, quæ incipit -- *Romanum Pontif.* & *Bulla* 85. *Pii V.* quæ incipit -- *Intolerabiles*.

Simoniaci in Religionis ingreſſu. *Extrav. ſane, de Simon.*

Simoniam committentes publicando Indulgentias, vel concedendo facultatem pro reſervatis, vel privilegia Miſſæ, aut ſepulturæ tempore interdicti. *Bull.* 99. *Pii V.* quæ incipit *Quam plenum*.

Simoniam committentes dando, vel recipiendo aliquid pro examine ad Parochiam. *Con. Trid, ſeſſ.* 24. *c.* 18. *de reform.*

Societatis Jeſu inſtitutum impugnantes, vel mutari procurantes. *Bulla* 89. *Gregorii XIII.* quæ incipit -- *Aſcendente Domino*, §. 24.

Sollicitationem non revelantes infra menſem. *Bulla* 34. *Gregorii XV.* quæ incipit - *Univerſi*.

Sponſiones facientes ſuper electione, vita, vel morte Papæ, ac promotione Cardinalium. *Bulla* 4. *Gregorii XIV.* quæ incipit - *Cogit nos*.

Statuta libertatis Eccleſiaſticæ læſiva facientes vel eiſdem utentes. *Bulla Cœnæ*, §. 15.

Superiores Monialium concedentes licentiam ingre-

grediendi in Monaſteria ſine cauſſa juſta. *Bulla* 8. *Pii* V. quæ incipit-*Circa paſtoralis* & *declaratio* quæ incipit --*Decoris*, & *honeſt*

Superiores Regularium impedientes, vel retardantes cauſſas ad S. Inquiſitionem ſpectantes. Bulla 26. *Pauli V.* quæ incipit--*Romanus Pontifex*, §. 6.

Suſpenſionem a poteſtate providendi de beneficiis violantes. B*ulla* 58. *Pii V.* quæ incipit-*Quanta*.

T

TAleas, vel collectas imponentes Eccleſiaſticis. B*ulla Cœnæ*, §. 18.

Thalmuth, & alia impia ſcripta Hebræorum legentes. B*ulla* 20. *Clementis* VIII. quæ incipit -- *Cum Hebræorum*

Toloſanæ Eccleſiæ ſtatuta turbantes. *Extravag. Salvator*, *de præbend.* & *dignit.*

V

VEctigalia nova imponentes, & exigentes. B*ulla Cœnæ*, §. 5.

Victualia hoſtibus Reipublica Chriſtianæ deferentes, B*ulla* § 7.

Victualia Romanæ Curiæ impedientes. B*ulla Cœnæ*, §. 8.

Unctionem extremam miniſtrantes Religioſi ſine licentia Parochi. *Clem. Religioſi*, *de privileg.*

Vota Papæ reſervata commutantes privilegiorum prætextu. *Extravag. Et ſi Dominici*, *de pœnit.* & *remiſſ.*

Uſurpantes, vel ſequeſtrantes bona, vel jura Eccleſiarum. B*ulla Cœnæ*, §. 17.

EXCOMMUNICATIONES

Latæ ſententiæ, non reſervatæ,

quibus ſubjiciuntur

A

ABortum fetus animati procurantes. B*ulla* 87. *Sixti V.* quæ incipit-*Effrænatam*, moderata quoad reſervationem cenſuræ a *Gregorio* XIV. *in Conſtit.* 8. quæ incipit--*Sedes Apoſtolica*.

Abſolutionem, vel revocationem cenſuræ per vim, & metum extorquentes. *Cap. abſolutionis*, *de his*, *quæ vi metuve in* 6.

Abſolutionem dantes Religioſi decimas non ſolventibus. *Clement. cupientes, de pœnis.*

Adminiſtratores ter moniti ab Epiſcopo non obedientes. *Can. adminiſtratores* 23. *q.* 5.

Agnos Dei pingentes, miniantes, aut venales habentes. B*ulla* 2. *Gregorii* XIII. quæ incipit - *Omnis certe.*

Alienantes bona Eccleſiæ, ſi ſint Adminiſtratores, dummodo non ſint Epiſcopi, vel Abbates, (cum hi incurrant interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ). *Extrav. Ambitioſæ, de rebus Eccleſ. non Alienand.* Item ea recipientes.

Alienantes bona juriſdictionalia locorum piorum ſi ſint inferiores Epiſcopis, vel Abbatibus (cum hi ſolum incurrant interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ). B*ulla* 51. *Urbani* VIII. quæ incipit - *Humanæ ſalutis.*

Alienantes Religioſi mendicantes domos ſine licentia Sedis Apoſtolicæ. *Clem.Cupientes, de penis.*

Alienationem bonorum Eccleſiaſticorum concedentes Delegati Pontificis in damnum Eccleſiarum. B*ulla* 2. *Pauli* II. quæ incipit-*Cum in omnibus.*

Ambientes Nuncii, vel Legati Apoſtolici apud Principes, ad quos miſſi ſunt, favores ad obtinendas pro ſe, vel conſanguineis dignitates a Papa. B*ulla* 96. *Pii* IV. quæ incipit-*Et ſi Romanum Pontificem.*

Annotationes in Decreta Concilii Tridentini edentes. B*ulla*. 33. P*ii* IV. quæ incipit--*Benedictus Deus*, §. 5.

Apoſtatæ a Religione dimittentes habitum. *Cap. ut periculoſa, ne Clerici, vel Monach. in* 6.

Apoſtolicas litteras accipientes de manu alterius, quam officialis deputati. *Cap. dura, de crimine falſi.*

Apoſtolicis litteris falſis utentes. *Cap. ad falſariorum, de crimine falſi.*

Arma prohibita concedentes geſtari in ſtatu Eccleſiaſtico. B*ulla* 145. *Pii* V. quæ incipit-*Cum vices*, §. 3.

Arma tenentes Monachi intra ſepta Monaſterii ſine licentia Abbatis, *Clement. Ne in agro*, §. *Quia vero, de ſtatu Monachor.*

Aſſaſſinis mandantes homicidium, ſeu eos receptantes, occultantes, defendentes. *Cap. pro humanis, de homic. in* 6.

Aſſio-

Aſtrologiam judiciariam exercentes. *Can. ſi qu s ariolos*, & *Can. aliquantis* 26. *q.* 5.

B

BEguinarum ſtatum mulieres aſſumentes. *Clement.* 1, *de Relig. domib.*

Beguinorum, vel Bizochorum religionem profitentes. *Extr. Sancta Romana, de religioſ. domib.*

Beneficium a Schiſmaticis collatum retinentes. *Cap. quod a prædeceſſore noſtro, de ſchiſmat.*

Beneficium recipientes de manu poteſtatis laicæ. *Can. ſi quis deinceps*, & *can. quoniam* 26. *q.* 7.

Bononiæ Scholares, vel Magiſtri conducentes alienum hoſpitium infra tempus conductionis ſine licentia Inquilinorum. *Cap. ex reſcripte, de locato, & conduct.*

C

CAmeræ Apoſtolicæ non applicantes confiſcationes in ſtatu Eccleſiaſtico: *Bulla* 43. *Pii* V. quæ incipit-*Decet Romanum Pontificem.*

Cancellariæ Apoſtolicæ Officiales ſe intromittentes in cauſſis ſibi interdictis *in Bulla* 54. *Pii* V. quæ incipit--*Univerſi Gregis*

Canonici Regulares accedentes ad Curias Principum animo nocendi ſuis Prælatis, vel domibus. *Clement. Ne in agro*, §. *Quia vero, de ſtatu Monach.*

Cappucini recipientes Fratres de obſervantia. *Bulla* 20. *Sixti* V. quæ incipit--*Pro ea.*

Cenſuræ fulminationem impedientes, vel ejus abſolutionem, aut revocationem per vim, & metum extorquentes. *Cap. abſolutionis, de his quæ vi, metuve in* 6.

Ceſſationem a divinis, vel interdictum locale generale Religioſi non ſervantes. *Clement. Ex frequentibus, de ſent. excom.*

Clauſura Monialium pro conſervanda, Magiſtratus negantes Prælatis auxilium. *Concil. Trid. ſeſſ.* 25. *cap.* 7. *de Regularib.*

Clauſuram Monialium Superiores ſine juſta cauſſa intrantes pro tertia vice (cum pro prima incurrant ſolum interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ, & pro ſecunda ſuſpenſionem a Pontificalibus). *Declaratio Bulla* 28. *Gregorii* XIII. quæ incipit -*Dubiis*, §. 2.

Clerici in dignitate conſtituti accedentes ad audica-

diendas leges, vel medicinam in Scholis publicis poſt duorum menſium ſpatium. *Cap. ſuper ſpecula; ne Clerici, vel Monachi.*

Clerici obtinentes Eccleſias de manu laicorum. *Can. ſi quis Clericus* 16. *q.* 7.

Clericus habens officium Præpoſiti Sæcularis, ſi monitus non deſiſtat. *Cap. Clericis, ne Clerici, vel Monachi.*

Communicantes cum excommunicato in crimine crimino ſo, ſi ejus Cenſura non eſt reſervata: *Cap. nuper, de ſent. excom.*

Conclavis formam Officiales non procurantes ſervari. *Cap. ubi periculum, de elect. in* 6. §. *Præterea,*

Concilium in Tridentinum gloſſas, & annotationes facientes. *Bulla* 73. *Pii* IV. quæ incipit-- *Benedictus Deus*, §. 5.

Confeſſionem non eſſe neceſſariam exiſtenti in mortali pro ſumenda Euchariſtia docentes. *Cont. Trid. ſeſſ.* 13. *Can.* 11.

Conſervatores ad excedendos ſuæ poteſtatis limites inducentes. *Cap. hac conſtitutione, de offic. deleg. in* 6. *Bulla* 9. *Gregorii XV.* quæ incipit --*Sanctiſſimus*, §. 11.

Contrahentes Matrimonium in caſibus prohibitis. *Clement.* 1. *eos, qui de conſang.*

D

DEcimas Religioſi uſurpantes, vel earum ſolutionem impedientes, ſi non habeant adminiſtrationem, vel officium (cum tunc ſolam ſuſpenſionem incurrant) poſtquam præſtiterunt ſatisfactionem condignam, qua non præſtita non poſſunt abſolvi, niſi a Papa. *Clement.* 1. *Religioſi, de decimis.*

Decimis a ſolvendis Religioſi alios ſuis ſermonibus retrahentes. *Clem. Cupientes, de pœnis.*

Delegatis Pontificis concedentes bonorum Eccleſiaſticorum alienationem fieri in damnum Eccleſiæ. *Bulla* 2. *Pauli* II. quæ incipit - *Cum in omnibus.*

Dignitatem a Schiſmaticis collatam retinentes. *Cap. quod a prædeceſſore noſtro, de ſchiſmat.*

Directores Monialium in electionibus non abſtinentes ab iis, unde diſcordiæ poſſunt oriri. *Cap. indemnitatibus*, § *Poſtremo, de elect. in* 6.

Di-

Divinationem exercentes. *Can. Si quis ariolos*, & *Can. aliquanti* 25. *q*. 5.

Divinantes de Papæ vita, vel morte. *Bulla* 113. *Urbani* VIII. quæ incipit--*Inſcrutabilis*.

Doctoratum, vel lectoratum concedentes non præmittentibus profeſſionem fidei (ſi non ſint Epiſcopi, cum hi incurrant ſolum interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ). *Bulla* 88. *Pii* V. quæ incipit--*In Sacroſancta*.

E

Eccleſias obtinentes per laicos. *Can. Si quis Clericus* 16. *q*. 7

Eccleſiæ bona alienantes, ac recipientes. *Extravag. Ambitioſæ, de reb. Eccl. non alienandis*.

Eccleſiarum bona compellentes ſubmitti Laicis. *Cap. hoc conſultiſſimo, de rebus Eccleſ. non alienandis in* 6.

Eccleſiaſtici conſtituti in dignitate accedentes ad audiendas leges, vel medicinam in Scholis publicis poſt duorum menſium ſpatium. *Cap. ſuper ſpecula, ne Clerici, vel Monachi*.

Eccleſiaſtico in ſtatu non applicantes confiſcationes, & pœnas Cameræ Apoſtolicæ. *Bulla* 43. *Pii* IV. quæ incipit *Decet Romanum Pontificem*.

Eccleſiaſtico in ſtatu arma prohibita concedentes geſtari. *Bulla* 145. *Pii* V. quæ incipit--*Cum vices*, §. *Tertio*.

Electionem in Monaſteriis turbantes. *Cap. indemnitatibus*, §. *Poſtremo, de elect. in* 6.

Electionis, nominationis, vel collationis denegatæ cauſſa vexantes perſonas, vel loca. *Cap. ſciant cuncti, de elect. in* 6.

Epiſcopi Romam latenter venientes, vel ab ea recedentes ſine licentia Papæ, eorumque receptatores, ſi de ipſorum adventu Papam non moneant. *Extravag. Ut Prælatorum, de majorit. & obedient.*

Epiſcopi ſe ingerentes in aliena Diœceſi. *Cap. quoniam in pleriſque, de offic.*

Euchariſtiæ ſumptioni non neceſſario præmittendam eſſe Confeſſionem ab exiſtente in mortali docentes. *Conc. Trid. ſeſſ.* 13. *Can* 11.

Excommunicato cenſura non reſervata communicantes in crimine criminoſo. *Cap. nuper, de ſent. excom.*

Excommunicatos ſepelientes in loco ſacro. *Clement.* 1. *de ſepultu*.

Extorquentes per vim, & metum abſolutionem, vel revocationem cenſuræ. *Cap. abſolutionis, de his, quæ vi, metuve in* 6.

F

FAbricæ S. Petri deputatos moleſtantes. *Bulla* 97. *Pii* V. quæ incipit--*Exigit*,

Feminam cogentes ad Religionem, vel ab ea retrahentes, aut impedientes injuſte. *Conc. Trid. ſeſſ.* 25. c. 18. *de regularibus*.

Feminarum raptores. *Conc. Trid. ſeſſ.* 24. *c.* 6. *de reform. matrim.*

Fraticellorum Religionem profitentes. *Extrav. Sancta Romana, de Religioſ. domibus*.

Fratres de obſervantia recipientes Cappuccinos. Bulla 20. *Sixti V.* quæ incipit--*Pro ea*.

Fraude inducentes Judicem ad ſe conferendum ad Mulierem, ut ejus teſtimonium excipiat *cap. Mulieres, de judiciis in* 6.

G

GErmaniæ Religioſi, & Parochi non ſervantes concordiam inter ſe ſtatutam. *Extra. Vices illius, de Tregua, & pace*.

Gloſſas in Concilium Trident. edentes. *Bulla* 73. *Pii IV.* quæ incipit--*Benedictus Deus*, §. 5.

Gubernatores, & Officiales mortuo Pontifice non obſervantes præſcripta *in cap. ubi periculum*; §. *Præterea, de elect. in* 6.

H

HÆreticos, eorumque fautores ſepelientes in loco ſacro, dummodo exhumaverint, cum alias excommunicatio ſit reſervata. *cap. Quicumque, de hæretic. in* 6.

Homicidium mandantes per Aſſaſſinos, *cap. Pro humani, de homicid. in* 6.

I

INquiſitores, Teſtes, alioſque Miniſtros S. Officii vexantes. *Bulla* 82. *Pii V.* quæ incipit--*Si de protegendis*.

Inquiſitionis Cauſſis ſe ingerentes, ejuſque ſententiam non exequentes, & requiſiti non adjuvantes. *Cap. Ut inquiſitionis, de hæret. in* 6.

Inquiſitionis Supremæ Cardinalibus non obedientes. *Bulla* 1. *Pii V.* quæ incipit- *SS. Dominus*.

In

Interdictos ſepelientes in loco ſacro, ſi non ſit præſtita ſatisfactio ad arbitrium Epiſcopi. *Clement.* 1. *de ſepultur.*

Interdictum locale generale, vel ceſſationem a divinis Religioſi non ſervantes. *Clement. Ex frequentibus, de ſent. excom.*

Judices Laici negligentes præſtare auxilium Epiſcopo, vel alteri Judici Eccleſiaſtico requirenti. *Can. adminiſtratores* 25. *q.* 5.

Jus Regalium, ſeu defenſionis, aut cuſtodiæ in locis piis ſibi uſurpantes. *Cap. Generali de elect. in* 6.

L

LAica poteſtas omittens dare brachium Sæculare Epiſcopis. *Can. adminiſtratores* 23. *q.* 3.

Lecturam, vel doctoratum concedentes non præmittentibus profeſſionem fidei (niſi ſint Epiſcopi, cum hi ſolum incurrant interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ). *Bulla* 88. *Pii IV.* quæ incipit-- *In ſacroſancta.*

Leges, aut medicinam docentes Religioſos, qui habitum dimiſerunt. *Cap. ut periculoſa: ne Clerici, vel Monach. in* 8.

Libros imprimentes ſine licentia Superiorum vel ſine nomine Auctorum. *Conc. Trid. ſeſſ.* 4. *de edit. & uſu Sacrorum Librorum, Index libr. probibit. regula* 10.

Libros ita impreſſos retinentes, & vendentes, *Conc. Lateran. ſub Leone X. ſeſſ.* 10. *decr.* 3.

Litteras Apoſtolicas recipientes de manu alterius, quam Officialis deputati. *Cap. dura, de crimine falſi.*

Litteris Apoſtolics falſis utentes. *Cap. ad falſariorum, de crimin falſi.*

Litteras Papæ impugnantes ante coronationem. *Extravag. ultima, de ſent. excom. cap.* 4.

Ludos Taurorum, & agitationes ferarum exercentes extra Hiſpaniam. *Bulla* 48. *Pii V.* quæ incipit-- *De ſalute.*

M

MAtrimonium ad contrahendum cogentes. *Conc. Trid. ſeſſ* 24. *c.* 9 *de refor. matrim.*

Matrimonium contrahentes in caſibus prohibitis. *Clem. unic. eos, qui de conſanguin.*

Matrimonium filiorum ſine conſenſu Patris irri-

ta eſſe aſſerentes, vel clandeſtina ante Concilium Tridentinum valida fuiſſe negantes. *Conc. ſeſſ.* 23. *cap.* 1. *de reform. matrim.*

Medicinam docentes Religioſos, qui habitum dimiſerunt. *Cap. ut periculoſa, ne Clerici, vel Monachi in* 6.

Mendicantes Religioſi ſine licentia Sedis Apoſtolicæ novas domos adquirentes, vel alienantes. *Clem. cupientes, de pœnis.*

Miniſtros S. Officii vexantes. *Bulla* 82. *Pii V.* quæ incipit--*Si de protegendis.*

Monachi accedentes ad Curiam Principum animo nocendi ſuis Prælatis, vel Monaſteriis. *Conc. Ne in agro, § Quia vero, de ſtatu Monachor.*

Monachi tenentes arma intra ſepta Monaſterii ſine licentia Abbatis. *Clem. Ne in agro, § Quia vero, de ſtatu Monach.*

Monaſteria ingredientes Prælati Regulares ſecunda vice eodem anno ſine præſentia Epiſcopi, vel alterius Eccleſiaſtici Sæcularis ab eodem deputandi. *Bulla* 156. *Alexandri VII.* quæ incipit--*Felici.*

Monialem fieri, vel non fieri cogentes, ac cooperantes. *Conc. Trid. ſeſſ.* 25. *c.* 18. *de regularib.*

Monialium Clauſuram ſine cauſſa juſta Superiores intrantes pro tertia vice (cum pro prima incurrant interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ, & pro ſecunda ſuſpenſionem a Pontificalibus) *Declaratio Bulla* 28. *Gregorii XIII.* quæ incipit-*Dubiis*, § 2.

Monialium directores non abſtinentes in electionibus ab iis, unde diſcordiæ poſſunt oriri. *cap. Indemnitatibus, § Poſtremo, de elect. in* 6.

Monialium Clauſura pro conſervanda, Magiſtratus negantes auxilium Prælatis. *Concil. Trid. ſeſſ.* 25. *cap.* 5. *de regularib.*

Monialium Monaſteria non ad malum finem ingredientes ſine licentia Prælati. *Conc. Trid. ſeſſ.* 25. *cap.* 5. *de regularib.*

Monialium Præpoſitæ electionem turbantes. *Cap. Indemnitatibus, § Poſtremo, de elect. in* 6.

Monialium Viſitatores in ſuo munere impedientes, niſi reſipiſcant. *Clement Attendentes, de ſtatu Monach.*

Montem Pietatis impugnantes. *Bulla* 11. *Leonis X.* quæ incipit -- *Inter multiplices.*

Mu-

Mulieres aſſumentes Beguinarum ſtatum. *Clem.* 1. *de religioſ. domibus.*
Mulierum raptores: *Conc. Trid. ſeſſ.* 24. *cap.* 6. *de reform. matrim.*

N

NOtariorum Officiis a Camera Apoſtolica venditis, vel vendendis, ſe intromittentes, aut vexantes Notarios ea ementes. *Bulla* 83. Pii *IV.* quæ incipit--*Superna providentia.*
Nuncii, aliique Miniſtri Pontificis procurantes a Principibus, ad quos miſſi ſunt, favores ad dignitates pro ſe, vel Conſanguineis a Papa obtinendas. *Bulla* 96. P*ii IV.* quæ incipit--*Et ſi Romanum* Po*ntificem.*

O

OFficiales mortuo Pontifice non obſervantes præſcripta *in cap. ubi periculum*, §. P*roptcrea*, *de elect. in* 6.
Officium Præſulatus in Eccleſiis uſurpantes. *Cap. quoniam in pleriſque*, *de offi. Judic. Ordinar.*
Officii S. Inquiſitionis Miniſtros vexantes. B*ul.*82. *Pii V.* quæ incipit--*Si de protegendis.*
Ordinationes factas a Schiſmaticis exercentes *Cap. Quad a prædeceſſore noſtro*, *de Schiſmat.*

P

PApæ de vita, vel morte divinantes. B*ul.*113. *Urbani VIII.* quæ incipit--*Inſcrutabilis.*
Papæ nondum coronati litteras impugnantes. *Extrav. ultim. de ſext. excom.*
Parochi, & Religioſi Germaniæ non ſervantes inter ſe concordiam ſtatutam. *Extravag. Vices illius*, *de Tregua*, *&* *pace.*
Pœnas in ſtatu Eccleſiaſtico non applicantes Cameræ Apoſtolicæ. *Bulla* 43. P*ii IV.* quæ incipit--*Decet* R*omanum* P*ontificem.*
Pœnitentiariæ Officiales ſe intromittentes in Expeditionibus prohibitis *in* B*ulla* 53. P*ii* IV. quæ incipit--*In ſublimi*
Prælati Regulares ingredientes ſecunda vice eodem anno in Monaſteria Sanctimonialium ſine præſentia Epiſcopi, vel alterius Eccleſiaſtici Sæcularis ab eodem deputandi. B*ulla* 156. *Alexandri VI*I. quæ incipit--*Felici.*
Presbyteri accedentes ad audiendas leges, vel

Medicinam in Scholis publicis. *Cap. Super ſpecula, Cleric. vel Monach.*

Præſulatus Officium in Eccleſiis uſurpantes. *Cap. quoniam in pleriſque, de Offic. Judicis ordinar.*

R

RAptores feminarum. *Conc. Trid. ſeſſ.* 24. *c.* 6. *de reform. Matrim.*

Regaliæ, ſeu cuſtodiæ titulum in locis piis ſibi uſurpantes. *Cap. generali, de elect. in* 6.

Religioſi dimittentes habitum. *Cap. ut periculoſa, ne Clerici, vel Monach. in* 6.

Religioſi decimas uſurpantes, vel earum ſolutionem impedientes, ſi non habeant adminiſtrationem, vel officium (cum tunc ſolam ſuſpenſionem incurrant), dummodo dederint ſatisfactionem condignam, (cum alias excommunicatio ſit reſervata). *Clement. Religioſi, de decimis*

Religioſi a decimarum ſolutione retrahentes, vel negligentes ſuadere earum ſolutionem ſuis pœnitentibus, eoſque abſolventes. *Clement. cupientis, de pœnis.*

Religioſi exeuntes de Clauſtris ad audiendas leges, vel Medicinam, eoſque docentes, vel in Scholis retinentes. *Cap. non magnopere, & cap. ſuper ſpecula, ne Cleric. vel Monach.*

Religioſi, & Parochi Germaniæ non ſervantes concordiam inter ſe ſtatutam. *Extravag. Viceſ illius, de Tregua, & pace.*

Religioſi mendicantes ſine licentia Papæ novas domos adquirentes, vel alienantes. *Clement. Cupientes, de pœnis.*

Religioſi non ſervantes interdictum locale generale, vel ceſſationem a divinis. *Clement. Ex frequentibus, de ſent. excom.*

Religionis ingreſſu cogentes, vel retrahentes feminas. *Conc. Trid. ſeſſ.* 25 *c.* 18. *de regularib.*

Religionis, vel Reipublicæ Chriſtianæ de ſtatu divinantes. *Bulla* 113. *Urbani* VIII. quæ incipit--*Inſcrutabilis.*

Repræſalias concedentes, aut extendentes contra Eccleſiaſticos. *Cap. unico, de injuriis in* 6.

S

SAcerdos celebrans ſine ſtola. *Can. Eccleſiaſtica, diſt.* 23

Schiſmatici ordinationi conſentientes, vel ab eo reci-

recipientes beneficium, aut rem Eccleſiaſticam, eamque retinentes. *Cap.* 1. *de Schiſmat.*

Scholis legum, vel Medicinæ admittentes, aut in eis retinentes Religioſos, qui habitum dimiſerunt. *Cap. ut periculoſa, ne Cleric. vel Monach. in* 6.

Scholares, vel Magiſtri Bononiæ conducentes alienum hoſpitium infra tempus conductionis ſine licentia Inquilinorum. *Cap. ex reſcripto, de locato, & conducto.*

Sedis Apoſtolicæ de ſtatu divinantes. *Bulla* 113. *Urbani* VIII. quæ incipit — *Inſcrutabilis.*

Sepelientes in loco ſacro hæreticos, eorumque fautores, dummodo eos exhumaverint, cum alias excommunicatio ſit reſervata. *Cap. quicumque, de hæretic* 6.

Sepelientes tempore interdicti in loco ſacro ſepeliri prohibitos, vel ſepelientes excommunicatos, interdictos, & uſurarios (dummodo præſtita ſit ſatisfactio ad arbitrium Epiſcopi, cum alias excommunicatio ſit reſervata). *Clem.* 1. *de ſepultur.*

Sequeſtrationem ab Ordinario faciendam impedientes (dummodo impedimentum ſit amotum, vel fructus reſtituti, cum alias excommunicatio ſit reſervata). *Clem. Ad compeſcendas, de ſequeſtr.*

Statuta libertatis Eccleſiaſticæ læſiva retinentes, vel ea ex libris non delentes, dummodo iis non utantur. *Cap. noverit, de ſent. excom.*

T

Taurorum ludos extra Hiſpaniam exercentes *Bulla* 48. *Pii V.* quæ incipit — *De ſalute.*

Teſtimonii cauſſam fingentes, ut Judex ad Mulieris examinandæ domum accedat *Cap. Mulieres, de judic. in* 6.

Viſitatores Monialium in ſuo munere impedientes, ſi moniti non reſipiſcant. *Clem. Attendentes, de ſtatu Monach.*

Uſurarios publicos ſepelientes in loco ſacro, ſi non ſit præſtita ſatisfactio. *Clem.* 1. *de ſepultur.*

Uſurariis alienigenis Clerici locantes domos, aut commoditatem præſtantes, vel eos non ejucientes infra tres menſes (niſi ſint Epiſcopi, cum hi incurrant ſolum ſuſpenſionem). *Cap. uſurarum, de uſuris in* 6.

Uſuris Officiales Communitatum faventes. *Clement. ex gravi, de uſuris.*

SUSPENSIONES

Ab Officio, vel Beneficio latæ abſolute, vel ad tempus, quæ abſolute, vel infra tempus, antequam per ſe ipſas ceſſent,

Papæ reſervantur.

A

ABbates alienantes bona Monaſterii interdicuntur ab ingreſſu Eccleſiæ, & ſi infra ſex menſes non reſipuerint, ſuſpenduntur ab administratione Monaſterii in ſpiritualibus, ac temporalibus. Prælatus vero inferior excommunicatur, ac privatur beneficio. *Extrav. Ambitioſa, de rebus Eccleſ. non alienand.*

Abbates concedentes dimiſſorias ſibi non ſubditis ſuſpenduntur per annum ab officio, & beneficio. *Concil. Trid. ſeſſ.* 23. *cap.* 10. *de reform.*

Alienationi bonorum Eccleſiæ Epiſcopi, vel Delegati a Papa conſentientes ſuſpenduntur per annum ab executione officii. *Bulla* 1. *Pauli* II. quæ incipit -- *Cum in omnibus*.

Apoſtatæ a Religione recipientes Ordinem Sacrum in Apoſtaſia ſuſpenduntur ab ejus executione. *Cap. conſultationi, de Apoſtat.*

B

BEneficia ad Eccleſiaſtica eligentes auctoritate laica ſuſpenduntur ab Officiis, & Beneficiis: Conſentiens vero electioni de ſe factæ ſuſpenditur a beneficio. *Cap. quiſquis de elect.*

Beneficia conferentes contra formam præſcriptam ſuſpenduntur a collatione, recipientes ſuſpenduntur a beneficiis. *Bulla* 58. *Pii V.* quæ incipit -- *Quanta*, §. 6.

Beneficiis privantes eos, qui pro ſuis negotiis commorantur in Romana Curia, ſuſpenduntur ab Officio, & Beneficio. *Extrav. divina, de privileg.*

Beneficiorum vacantium redditus uſurpantes incurrunt ſuſpenſionem ab Officio, & Beneficio, donec reſtituant. *Cap. præſenti, de Offic. Ordin. in* 6.

Beneficiis utentes ſine juſta cauſſa veſte laicali ſuſpenduntur per ſex menſes a beneficio. *Clem.* 3. *Quoniam, de vita, & honeſt. Cler.*

Beneficio electo opponens aliquid, nec probans, ſu-

ſuſpenditur a beneficio per triennium. *Cap. ſtatuimus*, §. *Adjicientes*, *de elect. in* 6.

Bigamus ordinans ſuſpenditur per annum a Celebratione Miſſæ. *Can. nullus pœnitentem*, *diſt.* 53.

C

CApitula Simoniam committentia ſuſpenduntur. *Extrav.* 1. & 2. *de Simon.*

Cenſuram ferens ſine debita ſollemnitate incurrit per menſem interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ, & ſuſpenſionem a divinis. *Cap. cum medicinalis*, *de ſent. excom. in* 6.

Clerici non denunciantes Prælatos ſubmittentes bona Eccleſiæ laicis, ſuſpenduntur per triennium a beneficiis in Eccleſia obtentis. *Cap. hoc conſultiſſimo*, *de rebus Eccleſ. non alienand. in* 6.

Compromiſſarius eligens indignum ad Epiſcopatum ſuſpenditur per triennium a beneficiis. *Cap. ſi commiſſarius*, *de elect. in* 6.

Conceptionem B. Virginis fuiſſe in peccato originali defendentes, & contrariam ſententiam impugnantes ſuſpenduntur a divinis. *Bulla* 114. *Pii V.* quæ incipit — *Super ſpeculam*.

Conjugatis conferentes primam tonſuram extra caſus permiſſos ſuſpenduntur per annum a collatione primæ tonſuræ. *Cap. nullus Epiſcopus*, *de temp. ordinat. in* 6.

Conſervatores extendentes ultra limites ſuam poteſtatem ſuſpenduntur per annum ab officio. *Cap. hac conſtitutione de Offic. Judic. in* 6.

Conventus Simoniam committentes ſuſpenduntur. *Extrav.* 1. & 2. *de Simon.*

D

DEcimas uſurpantes Religioſi, vel earum ſolutionem impedientes, ſi infra menſem non ſatisfecerint, ſuſpenduntur ab officiis, beneficiis, atque adminiſtrationibus; quæ ſi non habent, incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam. *Clement.* 1. *de decim.*

Delegati a Papa conſentientes alienationi bonorum Eccleſiæ ſuſpenduntur per annum ab executione officii. *Bulla* 2. *Pauli* II. quæ incipit — *Dum in omnibus*.

Doctoratum, vel Magiſterium conferentes, nec exigentes circa expenſas juramentum a promoven-

vendis ſuſpenduntur per ſex menſes a collatione doctoratus, vel Magiſterii. *Clement. Cum ſit, de Magiſtris*.

E

ECcleſiæ bona Sede vacante occupantes ſuſpenduntur ab Officio, & Beneficio donec reſtituant. *Cap. quia ſæpe de elect. in 6.*

Electionem, poſtulationem, vel aliam proviſionem Eccleſiaſtici impugnantes, nec probantes ſuſpenduntur per triennium a beneficiis. *Cap. ſtatuimus*, §. *Qui vero de elect. in* 6.

Eligentes Epiſcopum non habentem annos 30. vel illegitimum, vel vita, & ſcientia non commendabilem ſuſpenduntur per triennium a beneficiis. *Cap. cum in cunctis de elect.* §. *Clerici*.

Eligentes Epiſcopum, nec præſentantes electionem infra octo dies, dum commode poſſunt, ſuſpenduntur per triennium a beneficiis in ea Eccleſia obtentis. *Cap cupientes*, *de elect. in* 6. §. *Si vero*.

Epiſcopi alienantes bona Eccleſiæ incurrunt interdictum ab ejus ingreſſu, & ſi infra ſex menſes non reſipuerint, ſuſpenduntur ab adminiſtratione Eccleſiæ in ſpiritualibus, & temporalibus. Inferiores vero Epiſcopis, & Abbatibus privantur beneficiis. *Extrav. Ambitioſæ*, *de rebus Eccleſ. non alienand.*

Epiſcopi conſentientes alienationi bonorum Eccleſiæ ſuſpenduntur per annum ab executione officii. *Bulla* 2. *Pauli II.* quæ incipit — *Cum in omnibus*.

Epiſcopi expendentes pecunias Montis Pietatis præter uſus deſtinatos incurrunt ſuſpenſionem. *Bul.* 82. *Pauli V.* quæ incipit — *Oneroſa paſtoralis*.

Epiſcopi indulgentias publicantes, vel concedentes facultatem abſolvendi a reſervatis ob quæſtum interdicuntur ab ingreſſu Eccleſiæ, & ſuſpenduntur a perceptione fructuum, *Bulla* 99. *Pii V.* quæ incipit — *Quam plenum*.

Epiſcopi non accedentes per ſe, vel per alios ad limina Apoſtolorum temporibus ſtatutis interdicuntur ab ingreſſu Eccleſiæ, & ſuſpenduntur ab ejus adminiſtratione, ac beneficiis. *Bulla* 15. *Sixti V.* quæ incipit — *Romanus Pontifex*.

Epiſcopi ordinantes. *Vide litt.* O.

Epiſ-

Epiſcopi non applicantes fructus beneficiorum vacantium juxta *Extrav. Joannis XXII.* interdicuntur ab ingreſſu Eccleſiæ, & ſuſpenduntur a Pontificalibus donec reſtituant. *Extrav. Suſcepti regiminis*.

Epiſcopi non publicantes Diœceſanis Acta Concilii Provincialis ſuſpenduntur ab officio, per duos menſes. Can. *decrevimus*, *diſt.* 18.

Epiſcopi non procedentes contra ſuſpectos de hæreſi ſuſpenduntur ab Officio per triennium. *Clement.* 1. §. *Verum*, *de hæretic.*

Epiſcopi non corrigentes Simoniacos in Sacramentis ſuſpenduntur ab Officio per duos menſes. *Can. quicquid* 1. *q.* 1.

Epiſcopi relaxantes incendiariis pœnas, ſuſpenduntur ab officio per annum. Can. *peſſimam* 23. *q*.8.

Excommunicationis ſententiam ferentes abſque prævia competenti admonitione interdicuntur per menſem ab ingreſſu Eccleſiæ, & ſuſpenduntur a divinis. *Cap. Sacro de ſent. excom.*

I

INcendiariis relaxantes pœnas Epiſcopi ſuſpenduntur ab officio per annum. *Can. peſſimam* 23. *qu.* 8.

Indulgentias, vel facultatem abſolvendi a reſervatis concedentes Epiſcopi ob quæſtum interdicuntur ab ingreſſu Eccleſiæ, & ſuſpenduntur a perceptione fructuum. *Bulla* 399. *Pii V.* quæ incipit — *Quam plenum*.

Judices Eccleſiaſtici injuſte gravantes partem, ſuſpenduntur per annum ab executione officii. *Cap. cum æterni*, *de ſent. & re judic. in* 6.

Juramentum non exigentes circa expenſas a promovendis ad doctoratum, vel magiſterium, ſuſpenduntur per ſex menſes a collatione doctoratus, vel magiſterii. *Clemen. cum ſit*, *de Magiſtris*.

M

MAgiſterium, vel doctoratum conferentes, nec exigentes circa expenſas juramentum a promovendis, ſuſpenduntur per ſex menſes a collatione magiſterii, vel doctoratus. *Clemen. cum ſit*, *de Magiſtris*.

Matrimonium poſt contractum, Ordinem Sacrum recipiens eſt ſemper ab eo ſuſpenſus, niſi ingre-

grediatur Religionem. *Extrav. Joann. XXII. Antiquæ, de voto.*

Monachi incumbentes venationi clamoroſæ ſi ſunt Superiores ſuſpenduntur per biennium a collatione beneficiorum; ſi ſubditi, ſuſpenduntur per biennium ab adminiſtratione, quam ſi non habent, tam ad ipſam, quam ad beneficium Eccleſiaſticum per biennium redduntur inhabiles. *Clem.* 1. §. *Si quis autem, de ſtatu Monach.*

Monachi nigri non utentes veſtibus præſcriptis, ſi ſunt Superiores, ſuſpenduntur per annum a beneficiorum collatione; ſi ſunt ſubditi, ſuſpenduntur ab adminiſtratione, quam ſi non habent, tam ad ipſam, quam ad beneficium Eccleſiaſticum redduntur inhabiles. *Clemen.* 1. §. *ſi quis autem, de ſtatu Monach.*

Montis pietatis pecunias expendentes Epiſcopi præter uſus deſtinatos ſuſpenduntur abſolute. *Bul.* 82. *Pauli V.* quæ incipit — *Onerosa paſtoralis*.

Munera recipientes in Viſitatione Eccleſiarum, ſi ſunt Epiſcopi, interdicuntur ab ingreſſu Eccleſiæ: ſi ſunt inferiores, ſuſpenduntur ab Officio, & Beneficio niſi infra menſem reſtituant duplum. *Cap. exigit, de cenſibus in* 6.

O

OBlationes ab Uſurario recipiens ſuſpenditur ab executione officii, donec ſatisfaciat ad arbitrium Epiſcopi. *Cap. quia in omnibus, de uſuris.*

Ordinans bigamum, aut publice pœnitentem, incurrit ſuſpenſionem per annum a celebratione Miſſæ. *Can. nullus pœnitent. diſtinct.* 56.

Ordinans cum pacto, ut ordinatus ab eo non petat alimenta in defectu beneficii, vel patrimonii, ſuſpenditur per triennium a collatione Ordinum. *Cap. ſi quis ordinaverit, de Simonia.*

Ordinans exterum prætenſum ſibi ſubditum ex prætextu beneficii quod non ſufficiat vel ad titulum beneficii, quod non ſufficiat pro ſubſtentatione, ſuſpenditur per annum ab adminiſtratione ordinum. *Bulla* 44. *Innocentii XII.* quæ incipit *Speculatores*.

Ordinans, ſeu conſecrans electum ad Epiſcopatum non præmiſſa inquiſitione de appellatione interpoſita ad Sedem Apoſtolicam, ſuſpenditur

per

per annum a conſecratione Epiſcoporum. *Cap. provida, de elect. in 6.*

Ordinans ficto patrimonio etiam Religioſum non profeſſum ſuſpenditur per annum a collatione Ordinum. *Bulla* 75. *Pii V.* quæ incipit — *Romanus Pontifex.*

Ordinans infantem, vel illiteratum, vel Conjugatum, vel non ſubditum, ſuſpenditur per annum a collatione Ordinum. *Concil. Trid. ſeſſ.* 23. *cap.* 8. *de reform.* & ſi ipſi confert primam tonſuram ſuſpenditur per annum ab ejuſdem collatione. *Cap. nullus Epiſcopus, de tempor. ordinat in 6.*

Ordinans in aliena Diœceſi ſine licentia Ordinarii ſuſpenditur per annum a Pontificalibus. *Conc. Trid. ſeſſ* 14. *cap* 2. *de refor.*

Ordinans in propria Diœceſi non ſubditum ſuſpenditur per annum ab adminiſtratione ordinum. *Conc. Trid. ſeſſ.* 24. *cap.* 8. *de refor.*

Ordinans in propria Diœceſi ſibi ſubditum, qui alibi moratus eſt adultus ſine litteris teſtimonialibus Ordinarii loci, in quo moratus eſt, incurrit ſuſpenſionem per annum ab adminiſtratione ordinum. *Bulla* 44. *Innocentii* XII. quæ incipit — *Speculatores.*

Ordinans in Italia Ultramontanum cum litteris dimiſſoriis ſui Ordinarii, ſed non approbatis a nuncio Regionis, vel non recognitis in Urbe a Vicario Papæ, incurrit ſuſpenſionem per annum a Pontificalibus *Bulla* 33. *Urbani* VIII quæ incipit — *Secretis.*

Ordinans invitum incurrit ſuſpenſionem per annum a celebratione Miſſæ. *Can. Epiſcopus diſt.* 74.

Ordinans Religioſum non profeſſum ſollemniter (excepto Religioſo e Societate Jeſu) incurrit ſuſpenſionem per annum a collatione ordinum, quos contulit. *Bulla* 75. *Pii V.* quæ incipit — *Romanus Pontifex.*

Ordinans ſimoniace, etiamſi conferat ſolam primam tonſuram, ſuſpenditur ab executione omnium ordinum, munerum Pontificalium, & ab ingreſſu Eccleſiæ; Et ſi ſe ingerat, vel non abſtineat, ſuſpenditur etiam ab adminiſtratione Eccleſiæ, & a perceptione omnium fructuum. *Bulla* 91. *Sixti V.* quæ incipit — *Sanctum, ac ſalutare.*

O

Ordinans eodem die, vel duobus immediatis eumdem in duobus Ordinibus Sacris, ſuſpenditur a collatione utriuſque Ordinis. *Cap. litteras, de temp. ordinat.*

Ordinatus per ſaltum, ſi ſcienter in ordine ſic ſuſcepto miniſtravit, ſuſpenditur ab eo. *Conc. Trid. ſeſſ. 23. c. 14. de refor. in fine.*

Ordinatus ſine ullo titulo quando pactum fecit cum ordinante, vel præſtante non petendi aliquid pro ſubſtentatione in defectum beneficii, vel patrimonii, ſuſpenditur ab exercitio Ordinis. *Can. neminem, diſt. 70. Concil. Trid. ſeſſ. 21. cap. 2. de reform.*

Ordinem furtive ſuſcipiens (quando contra hoc facientes non erat lata excommunicatio, cum tunc incurratur excommunicatio Papæ ſervata) ſuſpenditur ab ordine ſic ſuſcepto. *Cap. 1. veniens ad nos de eo, qui ordin. furtive ſuſcept.*

Ordinem ſacrum recipiens poſt Matrimonium contractum ſuſpenditur ab eo donec ingrediatur Religionem. *Extrav. Joann. XXII. Antiquæ de voto.*

Ordinem recipiens in excommunicatione ſuſpenditur ab ejus executione. *Cap. cum illorum, de ſent. excom.*

Ordinem ſcienter recipiens ab excommunicato, ſuſpenſo, interdicto vitando, ſimoniaco, hæretico, vel ſchiſmatico, ſuſpenditur ab eo. *Cap. 1. & 2. de Schiſmat. Can. 1. & ſequentibus 9. qu. 1. & Can. Daibertum 1. q. 7.*

Ordinem ſimoniace recipiens ſuſpenditur ab eo. *Extrav. 1. & 2. de Simon.*

Ordines Sacros ſcienter recipiens ab Epiſcopo, qui Epiſcopali dignitati renunciavit, ſuſpenditur ab eorum executione. *Cap. requiſitis, de ordinat. ab Epiſcop.*

Ordines Sacros plures eodem die, vel duobus immediatis recipientes, ſuſpenduntur ab eorum executione; conferens vero a collatione. *Cap. litteras, de temp. ordinat.*

Ordines recipiens Sede vacante per dimiſſorias infra annum acceptas a Vicario Capitulari, quando non arctatur occaſione beneficii recepti, vel recipiendi, ſi eſt inminoribus non gaudet privilegio Clericali, & ſi eſt in majoribus ſuſpenditur

ab

ab executione ordinum ad beneplacitum futuri Prælati. *Conc, Trid. ſeſſ.* 7. *cap.* 10. *de reform.*

Ordines recipientes Romæ ſine licentia Vicarii, vel extra Romam etiam cum dimiſſoriis ſui Ordinarii, ſi ratione originis, beneficii, aut domicilii ad Urbem pertinent, vel eſt de ſex Epiſcopatibus prope Urbem, in quibus non ſunt ſuffraganei, ſuſpenditur ab executione ordinum. Ubi vero ſunt Suffraganei, qui ordinatur in ſacris ſine litteris teſtimonialibus Romæ habitis, ipſe ſuſpenditur ab executione ordinum, & ſuffraganeus ſuſpenditur per annum ab exercitio Pontificalium. *Bulla* 129. *Alexand. VIII.* quæ incipit — *Apoſtolica ſollicitudo*.

P

PRælati accedentes ad Eccleſias, & ſuſcipientes adminiſtrationem ſine Litteris Apoſtolicis ſuſpenduntur a perceptione fructuum, & recipientes ſuſpenduntur a beneficiis. *Extrav. Injuncta*, *de elect.*

Prælati non procedentes contra ſuſpectos, vel diffamatos de hæreſi ſuſpenduntur per triennium ab officiis. *Clement.* 2. §. *Verum*, *de hæretic.*

Prælati non ſervantes beneficio vacante Conſtitutionem Joannis XXII. ſuſpenduntur a Pontificalibus, & ab ingreſſu Eccleſiæ donec reſtituant — *Extrav. ſuſcepti Regiminis*.

Prælati, eorumque Commiſſarii privantes beneficiis eos, qui pro ſuis negotiis commorantur in Romana Curia, ſuſpenduntur ab Officio, ac beneficio. *Extrav. divina*, *de privileg.*

Prælati procurantes capi Eccleſiaſticos, ut renuncient beneficiis, vel ut citati non accedant ad Curiam, vel ne ſtatuto tempore comparere valeant, ſuſpenduntur per triennium a beneficiis: inferiores vero, & qui ſe capi procurant, ſunt beneficiis privati. *Clem. Multorum*, *de pœnis*.

Prælati ſubjicientes Laicis bona, ac jura Eccleſiarum, ſuſpenduntur ab officio, & adminiſtratione. *Cap. hoc conſultiſſimo*, *de rebus Eccleſ. non alienand. in* 6.

R

REgulares Prælati aliquid recipientes ob exceſſus a ſuis Religioſis commiſſos ſuſpenduntur ab Officio, ac beneficio, ſi infra menſem non

reſtituant, & remanent ſuſpenſi donec ſatisfaciant. *Clement.* 1. §. *Quibus*, *de privileg.*

Religioſi admittentes ad profeſſionem Novitios non completo probationis anno, ſuſpenduntur a receptione ad profeſſionem, *cap. non ſolum*, & *cap. conſtitutionem*, *de regularib. in* 6.

Religioſi Apoſtatæ ſuſcipientes Ordinem Sacrum in apoſtaſia ſuſpenduntur ab ejus executione, *cap. conſultationi*, *de apoſtat.*

Religioſi concedentes ad longum tempus adminiſtrationem bonorum monaſterii ſuſpenduntur ab officio. *Clement.* 1. *de rebus Eccleſ. non alienand.*

Religioſi ejecti remanent ſuſpenſi ab exercitio ordinum. *Decret. Congreg. Cardinal. relat. a Bonac. de cenſur. in particulari*, *diſp.* 3. *quæſt.* 8. *punct.* 12. *num.* 1.

Religioſi ſuos pœnitentes non admonentes de onere ſolvendi decimas poſtquam de hac obligatione fuerunt moniti a Rectoribus Eccleſiarum, ſuſpenduntur ab officio prædicandi donec admoneant. *Clement. Cupientes*, *de pœnis*.

Religioſi uſurpantes decimas, vel earum ſolutionem impedientes, ſuſpenduntur ab Officiis, Beneficiis, & adminiſtrationibus, quæ ſi non habent, incurrunt, antequam ſatisfaciant, excommunicationem Papæ reſervatam. *Clement. de decimis*.

Reſignationem Beneficiorum admittentes contra formam præſcriptam in Bulla Pii V. ſuſpenduntur a collatione, confirmatione, præſentatione, vel inſtitutione, quæ ipſis competit. *Bulla* 58. *Pii V.* quæ incipit. *Quanta Eccleſ.* § 6.

S

SAcerdos celebrans, nec communicans, ſuſpenditur per annum a participatione corporis, & ſanguinis Domini. *Can. relatum de conſecr. diſt.* 2.

Sede vacante bona Eccleſiæ Cathedralis occupantes vel diſſipantes ſuſpenduntur ab Officiis, ac beneficiis donec reſtituant. *Cap. quia ſæpe contingit*, *de elect. in* 6.

Sepelientes uſurarium publicum in loco ſacro ſuſpenduntur ab officio, donec ſatisfaciant ad arbitrium Epiſcopi. *Cap. quia in omnibus*, *de uſuris*.

Simoniam committentes Conventus, & Capitula ſuſpenduntur abſolute. *Extravag.* 1 *de Simonia*.

Si

Simoniaci ordinati ſuſpenduntur ab ordine. *Extravag. 2. de Simonia*.

V

VIſitatores inferiores Epiſcopis (cum hi incurrant interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ) ſuſpenduntur ab Officio, ac Beneficio, ſi occaſione viſitationis aliquid recipiant præter victualia, donec duplum reſtituant. *Cap. exigit, de cenſibus in* 6.

Ultramontanus recipiens in Italia Ordines ſine dimiſſoriis in forma debita ſuſpenditur ab executione. *Cap.* 1. *ſæpe contingit, de temp. ordinat. in* 6.

Uſurarii oblationes recipiens, vel ejus corpus ſepeliens in loco ſacro ſuſpenditur ab officio donec ſatisfaciat ad arbitrium Epiſcopi. *Cap. quia in omnibus, de uſuris*.

Uſurpantes aliquid ex redditibus Eccleſiarum vacantium (niſi ſint Epiſcopi, cum hi ſubjiciantur interdicto ab ingreſſu Eccleſiæ) incurrunt ſuſpenſionem ab Officio, ac Beneficio, donec reſtituant. *Cap. præſenti, de offic. ordinar. in* 6.

S U S P E N S I O N E S

Latæ ſententiæ non reſervatæ.

C

CLauſuram Monialium Superiores ſine juſta cauſa intrantes pro ſecunda vice ſuſpenduntur a Pontificalibus, cum pro prima incurrant interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ, & pro tertia excommunicationem. *Declaratio Bulla* 28. *Gregorii* XIII. quæ incipit *Dubiis*, §. 2.

E

ECcleſiam ſibi commiſſam pro alienis debitis gravans incurrit ſuſpenſionem abſolute. *Cap. ſi quorumdam, de ſolutionib.*

Epiſcopus exercens Pontificalia in aliena Diœceſi ſine licentia Ordinarii ſuſpenditur ab executione Pontificalium, & ordinati ſuſpenduntur ab executione ordinum. *Conc. Trid. ſeſſ.* 6. *cap* 5. *de reform.*

Epiſcopus ordinans Religioſum ſine licentia ſui Superioris ſuſpenditur a communione aliorum Epiſcoporum. *Can. ſi quiſde, alterius, diſtin.* 16.

Epi-

Epiſcopi alieni ordinationem recipiens ſine licentia proprii, ſuſpenditur ab executione ordinis ſuſcepti. *Concil. Trid. ſeſſ.* 23. *cap.* 8. *de reform.*

Epiſcopi locantes domos, aut commoditatem præſtantes Uſurariis alienigenis, vel eos non ejicientes infra tres menſes ſuſpenduntur abſolute. *Cap. uſurar. de uſur. in* 6.

Ætatem ante legitimam, vel extra tempora ordinati, ſuſpenduntur ab executione ordinis ſic ſuſcepti. *Bulla 7. Pii II.* quæ incipit -- *Cum ex ſacrorum.*

G

GRæcus ſubjectus Epiſcopo Latino, qui ſine ejus licentia ordinatur ab Epiſcopo Græco; incurrit ſuſpenſionem ab exercitio ordinis recepti. *Cap. quoad translationem, de tempor. ordinat.*

I

INterſtitiis non ſervatis ordinem furtive recipiens (quando contra hoc facientes lata non erat excommunicatio) ſuſpenditur ab ordine ſic recepto. *Cap.* 1. *veniens ad nos, de eo qui ordin. furtiv. ſuſcep.*

Juramentum emittentes de retinendo ſchiſmate ſuſpenduntur ab ordinibus, & dignitatibus. *Cap.* 1. *de Schiſmat.*

M

MAtrimonio jungens, vel benedicens Sponſos alterius Parochiæ ſine licentia proprii Parochi ſuſpenditur abſolute. *Conc. Trid. ſeſſ.* 24. *cap.* 1. *de reform. matrim.*

Miſſæ celebrationem inchoatam omittens ſine cauſſa gravi, ſuſpenditur a receptione corporis, & ſanguinis Domini. *Can. nullus Epiſcopus, de conſer. diſt.* 1.

Monialium clauſuram Epiſcopi intrantes ſine cauſſa juſta pro ſecunda vice ſuſpenduntur a Pontificalibus, cum pro prima incurrant interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ, & pro tertia excommunicationem. *Declarat. Bul.* 28. *Greg. XIII.* quæ incipit -- *Dubiis*, §. 2.

Monialium Præfecta non admonens Epiſcopum de inſtante profeſſione Novitiarum incurrit ſuſpenſionem ab officio. *Conc. Trid. ſeſſ.* 25. *cap.* 17. *de regularib.*

Obla-

O

OBlationes recipiens ab Uſurario, quando ſatisfacit ad arbitrium Epiſcopi, poteſt ab ipſo abſolvi a ſuſpenſione officii. *Cap. quia in omnibus, de uſur.*

Ordinem furtive recipiens (quando contra hoc facientes non erat lata excommunicatio) incurrit ſuſpenſionem ab ordine ſic recepto. *Cap. 1. veniens ad nos, de eos qui ord. furtive ſuceſpt.*

Ordinem recipiens ante legitimam ætatem, vel extra tempora, vel ſine dimiſſoriis ſuſpenditur ab executione. *Bul. 7. Pii II.* quæ incipit -- *Cum ex ſacrorum.*

Ordinem recipiens ab alieno Epiſcopo ſine licentia proprii Ordinarii ſuſpenditur ab executione ordinis ſuſcepti. *Conc. Trid. ſeſſ.* 23. *cap.* 5. *de reform.*

Ordinem recipiens a proprio Epiſcopo extra Diœceſim ſine licentia Ordinarii ſuſpenditur ab ejus executione. *Conc. Trid. ſeſſ.* 9. *cap.* 5. *de reform.*

Ordines minores, vel etiam ſacros, ſed ignoranter recipiens ab eo, qui Epiſcopali dignitati renunciavit, ſuſpenditur ab eorum executione. *Cap* 1. *requiſivit, de ordinat. ab Epiſcop. qui &c.*

Ordinatus ſine ullo titulo, dummodo pactum non fecerit cum ordinante, vel præſentante non petendi aliquid pro ſubſtentatione in defectum beneficii, vel patrimonii (cum tunc ſuſpenſio ſit Papæ reſervata, *ex c. ſi quis ordinaverit, de Simon.*) incurrit ſuſpenſionem ab exercitio ordinis. *Can. neminem, diſt.* 70. *Conc. Trid. ſeſſ.* 21. *cap.* 2. *de reform.*

Ordinatus per ſaltum, dummodo in ordine ſic ſuſcepto non miniſtraverit (cum tunc ſuſpenſio ſit Papæ reſervata) incurrit ſuſpenſionem ab ordine ſic ſuſcepto. *Conc. Trid. ſeſſ.* 23. *c.* 14. *de reform.*

Ordinatus Sede vacante dimiſſoriis infra annum acceptis a Vicario Capitulari, quando non arctatur occaſione beneficii recepti, vel recipiendi, ſi eſt in minoribus, non gaudet privilegio clericali, & ſi eſt in majoribus, ſuſpenditur ab eorum executione, a qua ſuſpenſione ante electionem Epiſcopi non poteſt abſolvi niſi a Pa-

pa, poſt ejus electionem poteſt abſolvi ab Epiſcopo. *Conc. Trid. ſeſſ. 7. c. 10. de reform.*

Ordinatus ficto patrimonio, vel ſine dimiſſoriis ſuſpenditur ab executione ordinum. *Cap. tuæ litteræ, de Cleric. per ſaltum promoto. Cap. innotuit, de eo qui ordin. furtive ſuſcept. & Bulla* 75. *Pii V.* quæ incipit--*Romanus Pontifex.*

P

PRælati Epiſcopi ingredientes ſine neceſſitate Monaſteria Monialium pro ſecunda vice ſuſpenduntur a Pontificalibus (cum pro prima incurrant interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ, & pro tertia excommunicationem) *Declaratio Bul.* 28. *Greg. XIII.* quæ incipit--*Dubiis*, §. 2.

Prælati Regulares concedentes bona Monaſterii ad longum tempus ſuſpenduntur ab officio. *Clement.* 1. *de rebus Eccleſ. non alienand.*

R

REligioſi introducentes Mulieres in Monaſteria ſuſpenduntur a divinis, & beneficiis privantur, ad quæ etiam redduntur inhabiles, *Bul.* 30. *Pii V.* quæ incipit--*Regularium*, §. 4.

S

SAcerdos non perficiens abſque cauſa gravi Miſſam inchoatam, ſuſpenditur a ſuſceptione corporis, & ſanguinis Domini. *Canon nullus Epiſcopus, de conſecr. diſt.* 1.

Schiſmate de retinendo juramentum emittentes ſuſpenduntur ab ordinibus, & dignitatibus. *Cap.* 1. *de ſchiſmat.*

Sepeliens in loco ſacro Uſurarium, quando ad arbitrium Epiſcopi ſatisfecit, poteſt ab eo abſolvi a ſuſpenſione officii. *Cap. quia in omnibus, de uſur.*

Sponſos alienæ Parochiæ Matrimonio jungens, vel benedicens ſine licentia proprii Parochi, ſuſpenditur abſolute. *Conc. Trid. ſeſſ.* 24. *cap.* 1. *de reform. matr.*

V

USurarium publicum ſepeliens in loco ſacro incurrit ſuſpenſionem ab officio, & ante ſatisfactionem ad arbitrium Epiſcopi, non poteſt abſolvi niſi a Papa; poſt dictam ſatisfactionem poteſt abſolvi ab Epiſcopo. *Cap. quia in omnibus, de uſur.*

Uſu-

Uſurariis alienigenis Epiſcopi locantes domos, aut commoditatem præſtantes, vel eos non ejicientes infra tres menſes, ſuſpenduntur abſolute. *Cap. uſurarum, de uſur. in* 6.

INTERDICTA

Latæ ſententiæ Papæ reſervata, & non reſervata.

A

Abbatiam, vel Epiſcopatum recipientes de manu laici incurrunt interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ donec reſipiſcant. *Canon. ſi quis de inceps* 16. *q.* 7. quod cenſetur Papæ reſervatum *juxta gloſſ. verbo interdicimus in fine.*

Abbates alienantes bona Eccleſiaſtica non ſervata forma præſcripta, incurrunt interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ, & niſi infra ſex menſes reſipuerint, ſuſpenduntur ipſo facto ab adminiſtratione. *Extrav. Ambitioſæ, de rebus Eccleſ. non alienand.*

Abbates & Epiſcopi, Conventus & Capitula ſi dant in feudum, aut emphytheuſim, vel ultra triennium locant bona Eccleſiæ, ſubjiciuntur interdicto ab ingreſſu Eccleſiæ. *Bulla* 51. *Urbani VIII.* quæ incipit-- *Humanæ ſalutis*, §. 2.

Abſolvens ſacramentaliter publice excommunicatum ſubjicitur interdicto ab ingreſſu Eccleſiæ ad arbitrium illius, cujus ſententiam contempſit. *Cap. Epiſcoporum, de privileg. in* 6.

Archiepiſcopus non denuncians Papæ infra tres menſes ſuos Suffraganeos abſentes, incurrit interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ. *Conc. Trid. ſeſſ.* 6. *cap.* 1. *de reform.*

B

Beneficia, & penſiones recipientes in confidentiam, ſi ſunt Cardinales, vel Epiſcopi, incurrunt interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ Papæ reſervatum: ceteri vero incurrunt excommunitionem Papæ reſervatam. *Bul.* 85. *Pii V.* quæ incipit--*Romanum Pontificem.*

Beneficiis privantes eos, qui pro ſuis negotiis commorantur in Romana Curia, incurrunt interdictum Papæ reſervatum. *Extrar. divina, de privileg.*

C

CApitulum Sede vacante dans infra annum dimiſſorias ad ordines ei, qui non arctatur occaſione beneficii recepti, vel recipiendi, incurrit interdictum, a quo poteſt abſolvere Epiſcopus ſucceſſor, ante cujus electionem eſt Papæ reſervatum. *Conc. Trid. ſeſſ.* 7 *cap.* 10 *de reform.*

Cardinales, & Epiſcopi recipientes beneficia, & penſiones in confidentiam, incurrunt interdictum ab Ingreſſu Eccleſiæ Papæ reſervatum. *Bulla* 85. *Pii IV.* quæ incipit *Rom. Pontif.*

Celebrans, vel celebrari faciens in loco interdicto, incurrit interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ. *Cap. Epiſcoporum, de privileg. in* 6.

Celebrans coram excommunicato vitando incurrit interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ. *Cap. Epiſcoporum, de privileg. in* 6.

Cœmeteria, & Eccleſiæ, in quibus fuerunt ſepulta corpora contra jus aliarum Eccleſiarum juxta Textum, ſi non fiat reſtitutio cum proventibus inde perceptis, ſubjiciuntur interdicto. *Cap. animarum, de ſepult. in* 6.

enſuram ferens ſine debita ſollemnitate incurrit per menſem ſuſpenſionem a divinis, & interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ, quæ cenſuræ infra menſem ſunt Papæ reſervatæ. *Cap. cum medicinalis de ſent. excom. in* 6.

Civitas non ſervans quæ ſervanda ſunt in electione Papæ ſubjicitur interdicto, *Cap. ubi periculum*, §. *Præterea de elect. in* 6.

Civitas, vel Collegium extorquens, aut compellens Eccleſias, vel Eccleſiaſticos ad ſolvenda pedagia, ſeu alia onera, ſubjicitur interdicto donec ſatisfaciat, quod ante ſatisfactionem eſt Papæ reſervatum. *Cap. quamquam pedagiorum, de cenſibus in* 6.

Civitas præbens auxilium, conſilium, vel favorem inſequentibus hoſtiliter Cardinales, vel eos non puniens dum poteſt, ſubjicitur interdicto, quod cenſetur Papæ reſervatum. *Cap. felicis, de pœnis in* 6.

Clauſuram Monialium ingredientes Epiſcopi ſine cauſſa juſta, pro prima vice incurrunt interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ. *Declaratio Bul.* 28. *Gregorii XIII.* quæ incipit *Dubiis*, §. 2.

Cle.

Clerici admittentes ad divina, vel ad ſepulturam Eccleſiaſticam nominatim interdictos incurrunt interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ. *Cap. Epiſcoporum*, *de privil. in* 6.

Concilii Tridentini Gloſſas edentes Epiſcopi, eorumque Superiores incurrunt interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ: inferiores vero excommunicationem. *Bulla* 73 *Pii IV.* quæ incipit--*Benedictus Deus*, §. 5.

Confeſſionem fieri ab infirmis Medici non procurantes incurrunt interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ. *Cum infirmitas*, *de pœnit. & remiſs. Bulla* 3. *Pii V.* quæ incipit--*Supra Gregem.*

D

DImiſſorias ad ordines ſuſcipiendos concedens infra annum Capitulum Sede vacante, ei, qui non arctatur occaſione beneficii recepti, val recipiendi, incurrit interdictum, a quo poteſt abſolvere Epiſcopus ſucceſſor, ante cujus electionem eſt Papæ reſervatum: *Conc. Trid. ſeſſ.* 7. *cap.* 10. *de reform.*

Doctoratum, vel Magiſterium concedentes Epiſcopi, nec exigentes a promovendis profeſſionem fidei, ac juramentum, incurrunt interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ. *Bulla Pii IV.* quæ incipit--*in ſacroſancta*.

E

ECcleſiæ, vel Cœmeteria, in quibus fuerunt ſepulta corpora contra jus ceterarum Eccleſiarum juxta Textum, ſi non fiat reſtitutio cum proventibus inde perceptis, ſubjiciuntur interdicto. *Cap. animarum*, *de ſepult. in* 6.

Epiſcopi alienantes bona Eccleſiæ non ſervata forma præſcripta, incurrunt interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ, & niſi infra ſex menſes reſipuerint, ſuſpenduntur ab adminiſtratione. *Extrav. Ambitioſæ*, *de reb. Eccl. non alien.*

Epiſcopi alienantes bona juriſdictionalia locorum piorum incurrunt interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ. *Bulla* 51. *Urbani VIII.* quæ incipit-*Humanæ ſalutis*.

Epiſcopi, eorumque Superiores uſurpantes aliquid ex redditibus Eccleſiarum vacantium, incurrunt interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ donec reſtituant, quod reſtitutione non ſecuta, eſt Papæ re-

reſervatum; inferiores vero incurrunt ſuſpenſionem ab Officio, & Beneficio, *cap. præſenti, de off.c. ordinar. in* 6.

Epiſcopi, eorumque ſuperiores recipientes aliquid ultra victualia occaſione viſitationis, incurrunt interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ, inferiores vero ſuſpenſionem, ſi infra menſem non reſtituunt duplum, quæ cenſuræ reſtitutione non ſecuta ſunt Papæ reſervatæ. *Cap. exigit, de cenſib: in6.*

Epiſcopi non applicantes fructus beneficiorum juxta *Extrav Joann. XXII.* interdicuntur ab ingreſſu Eccleſiæ, & ſuſpenduntur a Pontificalibus donec reſtituant. *extrav. ſuſcepti regiminis*.

Epiſcopi concedentes Doctoratum, vel Magiſterium, nec exigentes a promovendis profeſſionem fidei, ac juramentum, incurrunt interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ. *Bulla* 88 *Pii IV.* quæ incipit--*In ſacroſancta*.

Epiſcopi concedentes indulgentias, vel facultatem abſolvendi a reſervatis ob quæſtum, interdicuntur ab ingreſſu Eccleſiæ, & ſuſpenduntur a perceptione fructuum: inferiores vero excommunicantur, quæ cenſuræ ſunt Papæ reſervatæ. *Bulla* 99. *Pii V.* quæ incipit--*Quam plenum*.

Epiſcopi, eorumque ſuperiores gloſſantes decreta Concilii Tridentini incurrunt interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ: inferiores vero Excommunicationem. *Bulla* 73. *Pii IV.* quæ incipit--*Benedictus Deus*, §. 5.

Epiſcopus & Cardinales recipientes beneficia, & penſiones in confidentiam incurrunt interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ Papæ reſervatum; ceteri vero excommunicationem Papæ reſervatam. *Bul.* 85. *Pii IV.* quæ incipit--*Romanum Pontificem*.

Epiſcopatum, vel Abbatiam recipiens de manu laici incurrit interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ donec reſipiſcat. *Can ſi quis deinceps* 26. *q.* 7.

Epiſcopus antiquior non denuncians infra ſex menſes Papæ Metropolitanum abſentem incurrit interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ. *Concil. Trid. ſeſſ.* 6. *cap.* 1. *de reform.*

Excommunicationis ſententiam proferens ſine debita ſollemnitate incurrit per menſem interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ, quod infra menſem eſt Papæ reſervatum. *Cap. ſacro, de ſent. excom.*

com. & cap. cum medicinalis, de ſentent. excom. in 6.

Excommunicatos vel interdictos admittens ad divina officia, vel ſepulturam Eccleſiaſticam incurrit interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ donec ſatisfaciat ad arbitrium illius, cujus ſententiam contempſit, qua ſatisfactione non ſecuta, interdictum eſt Papæ reſervatum. *Cap. Epiſcoporum, de priv. in* 6.

I

INterdicto locali cauſſam dantes incurrunt interdictum perſonale. *Cap. ſi ſententia, de ſent. excom. in* 6.

L

LOca, in quibus impeditur ingreſſus Legatis vel Nunciis Apoſtolicis ſubjiciuntur interdicto donec duret contumacia, qua durante, interdictum eſt Papæ reſervatum. *Extrav. ſuper gentes. de conſuetud.*

Locus offenſoris, vel in quo offenditur Epiſcopus ſubjicitur interdicto donec præſtetur ſatisfactio, qua non præſtita, interdictum eſt Papæ reſervatum. *Clem.* 1. *de pœnis.*

Locus ſacer, in quo ſepelitur hæreticus, vel ejus fautor ſubjicitur interdicto, quod exhumatione non ſecuta, eſt Papæ reſervatum. *Cap. quicumque de hæret. in* 6.

M

MEdici non procurantes confeſſionem fieri ab infirmis, incurrunt interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ. *Cap. cum infirmitas, de pœnit. & remiſſ. Bulla* 3. *Pii V.* quæ incipit--*Supra Gregem.*

Miſſarum pro eleemoſynis non ſervantes ſtatuta incurrunt interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ. *Decret. Congregat. Concil.* 22. *Septembris* 1625.

O

ORdines conferentes ſimoniace ſuſpenduntur a Pontificalibus, & incurrunt interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ Papæ reſervatum. *Bulla* 91. *Sixti V.* quæ incipit--*Sanctum, ac ſalutare*, §. 2.

R

REpreſſalias concedentes, vel extendentes Univerſitates in Clericos incurrunt interdictum. *Cap. unico de injuriis in* 6.

S

SAcramenta miniſtrans excommunicato vitando incurrit interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ, *Cap. Epiſcoporum*, *de privileg. in* 6. dummodo excommunicatus non ſit denunciatus a Papa, cum tunc incurrat excommunicationem Papæ reſervatam. *Cap. ſignificavit*, *de ſent. excom.*

Superiores ſine juſta cauſſa ingredientes clauſuram Monialium, pro prima vice incurrunt interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ, cum pro ſecunda incurrant ſuſpenſionem a Pontificalibus, & pro tertia excommunicationem. *Declaratio Bullæ* 28. *Gregorii XIII.* quæ incipit-*Dubiis*, §. 2.

Sepelientes interdictos, vel excommunicatos in loco ſacro incurrunt interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ donec ſatisfaciant ad arbitrium illius, cujus ſententiam contempſerunt, qua ſatisfactione non ſecuta, interdictum eſt Papæ reſervatum. *Cap. Epiſcoporum*, *de privil. in* 6.

Simoniace conferentes ordinem ſuſpenduntur a Pontificalibus, & incurrunt interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ Papæ reſervatum. *Bulla* 91. *Sixti V.* quæ incipit-*Sanctum ac ſalutare*, §. 2.

V

UNniverſitas appellans a ſententiis Papæ ad futurum Concilium, vel ad id præbens favorem, incurrit interdictum Papæ reſervatum. *Bulla Cœnæ*. §. 2.

Univerſitas cogens Eclleſiaſticos ad ſolvendas gabellas ſubjicitur interdicto donec reſtituat; quod, reſtitutione non ſecuta, eſt Papæ reſervatum. *Cap. quamquam*, *de cenſib. in* 6.

Univerſitas concedens, vel extendens repræſalias contra Eccleſias, vel Eccleſiaſticos, incurrit interdictum. *Cap. etſi de injuriis in* 6.

Univerſitas non ſervans *Extravag. Joann. XXII.* incurrit interdictum. *Extravag. ſuſcepti regiminis. tit. ne Sed. vacant.*

Univerſitas permittens Uſurariis conducere domos in terris ſuis ad fœnerandum, incurrit interdictum. *Cap. uſurarum*, *de uſuris in* 6.

Univerſitas turbans ſtatuta Eccleſiæ Toloſanæ ſubjicitur interdicto Papæ reſervato. *Extravag. Salvator*, *de præbend. & dignit.*

Univerſitas uſurpans bona beneficiorum vacantium

tium ſubjicitur interdicto, ſi infra menſem non reſtituat, qua reſtitutione non ſecuta, interdictum eſt Papæ reſervatum. *Extravagant. ſuſcepti regim. tit. ne Sede vacante*.

IRREGULARITATES
Statutæ in Jure Canonico,
Quibus ſubjiciuntur

A

ACcolythi rebaptizantium. *Cap. ex litterarum de Apoſtat.*

Amentes etiam præteriti. *Can. maritum diſt.* 33. & *can. ſi quis non iratus* 15. *q.* 1.

Apoſtatæ a fide. *Can. presbyteros, diſt.* 50.

Apoſtatæ a Religione ordinati in apoſtaſia; *Cap. conſultationi, de Apoſt.*

B

BAptiſmum differentes uſque ad ægritudinem. *Can. ſi quis in ægritudine, diſt.* 57.

Baptiſmum ſecundum baptizato conferentes. *Cap. ex litterarum, de Apoſtat.*

Baptiſmum ſecundum recipientes. *Can. qui in qualibet* 1. *q.* 7.

Baptizati ab hæreticis. *Can. qui in qualibet* 1. *q.* 7 & *can. ventum* 1. *q.* 1.

Bigamus proprie, qui plures duxit uxores. *Cap.* 1. *uſque ad* 5. *de bigamis*.

Bigamus interpretative, qui duxit Viduam, vel corruptam. *Can. præcipimus diſt.* 34. & *Can. ſi quis Viduam, diſt.* 50.

Bigamus ſimilitudinarie, qui uxorem duxit poſt votum ſollemne caſtitatis. *Can. quoties* 27. *q.* 1, *cap.* 1. & 2. *qui Cleric. vel vovent.*

C

CArentes litteris requiſitis ad ordinem. *Can. illitteratos, diſt.* 36. & *Conc. Trid. ſeſſ.* 23. *c.* 4. 11. 13. & 14. *de reform.*

Carentes membro impediente exercitium ordinis. *Cap. Thomas, de corpor. vitiat.*

Carentes membro inducente deformitatem notabilem, quæ celari non poſſit. *Cap. tua nos*, & *de Cleric. ægrotant.*

Cenſura ligati exercentes Ordinem ſacrum ſol-

lemniter. *Cap. cum æterni, de ſent. & re judicat. in 6. cap. is, cui eſt, & cap. is, qui in Eccleſ. § is vero, de ſentet. excom. in 6.*

Cenſura ligati ex ordinatione ſimoniaca exercentes etiam ordinem minorem, *Bulla 91. Sixti V.* quæ incipit-- *Sanctum ac ſalutare.*

Chirurgiam exercentes Clerici per ſectionem, vel aduſtionem, ſi mors cauſſetur. *Cap. ſententiam ne Cleric. vel Monach.*

D

DEfectuoſus pro exercendo ordine. *Cap. Th. de corpor. vitiat.*

Defectum lenitatis habentes. *Cap. ſententiam ſanguinis ne Cleric. vel Monach.*

Deformis notabiliter. *Gloſſa in cap. Thomas de corpor. vitiat. & cap. tua nos de Cleric. ægrot.*

H

HÆretici, eorumque fautores. *Cap. quicumque, §. Hæreticis, de hæret. in 6.*

Homicidæ, & mutilatores injuſti. *Cap. porro, de Cleric. pugnante.*

Homicidæ, & mutilatores juſti. *Cap. ſententiam ſanguinis, ne Cleric, vel Monach.*

I

ILlegitimi. *Cap. ut filii, de filiis Presbyteror.*

Illitterati. *Can. illitteratos, diſt. 36. Conc. ſeſſ. 23. c. 4. 11. 13. & 14. de reform.*

Infames ex delicto proprio, vel parentum. *Can. infames, 6. q. 1.*

L

LEnitatis defectum habentes. *Cap. ſententiam ſanguinis ne Cleric. vel Monach.*

Litteris requiſitis ad ordinem carentes. *Can. illitteratos, diſt. 36.*

Libertate carentes. *Toto tit. de Servis non ordinand.*

M

MAtrimonio conſtante ordinati in Sacris. *Extrav. Antiquæ de voto.*

Membro impediente exercitium ordinis carentes, *Cap. Thomas, de corpor. vitiat.*

Membro inducente deformitatem notabilem carentes. *Cap. Tua nos, de Cleric. ægrot.*

Mutilatores injuſti. *Cap. porro de Cleric. pugnant.*

Mutilatores juſti. *Cap. ſententiam ſanguinis ne Cleric. vel Monach.*

Nec-

NEophyti. 1. *Timoth.* 3. *Can.* 1. & 2. *diſtinct.* 48.

O

OBligati ad ratiocinia pro re aliena adminiſtrata *Cap. magnus Epiſcopus*, *de obligat.*
Ordinati in Sacris Matrimonio conſtante. *Extravag. Antiqua*, *de voto*.
Ordinati etiam in minoribus non approbante Epiſcopo. *Cap. veniens ad nos*, *de eo*, *qui ordin. furtive ſuſcep.*
Ordinem ſacrum non ſuſceptum exercentes ſollemniter. *Cap.* 1. & 2. *de Cler non ordinat. miniſtr.*
Ordinem ſacrum exercentes in cenſura. *Cap. cum æterni*, *de ſentent.* & *re judicat. in* 6. *cap. is cui eſt*, & *cap. is qui in Eccl.* §. *Is vero*, *de ſent. excom. in* 6.
Ordinem etiam minorem exercentes in cenſura contracta ex ordinatione Simoniaca. *Bulla* 91. *Sixti V.* quæ incipit *Sanctum ac Salutare*, §. 3.

R

REbaptizantes, eorumque Acolythi. *Cap. ex litterarum*, *de Apoſt*
Rebaptizati. *Can qui in qualibet* 1. *q.* 7. & *Can. confirmandum*, *diſt.* 50.

S

SErvi. *Toto titulo de ſervis non ordinand.*

SEX CASUS

PAPÆ

Specialiter reſervati intra Italiam juxta ſuperius dicta de Pœnitentia.

Pars 2. *tract.* 5. *cap* 4. §. 2.

1. VIolatio Clauſuræ Monialium ad malum finem.
2. Percuſſio Clerici, vel Monachi.
3. Simonia realis ſcienter contracta.
4. Confidentia beneficialis.
5. Duellum.
6. Violatio immunitatis Eccleſiaſticæ circa confugientes ad Eccleſias.

CASUS,

Quos poſſunt ſibi reſervare Superiores Regularium juxta Decretum Clementis VIII. relatum inter Conſtitutiones Urbani VIII. in Bullario tom. 4. pag. mihi 43. incipiens:

Sanctiſſimus Dominus.

1. VEneficia, incantationes, ſortilegia.
2. Apoſtaſia a Religione, ſive habitu dimiſſo, ſive retento quando eo pervenerit, ut extra ſepta Monaſterii, ſeu Conventus fiat egreſſio. Nocturna, ac furtiva e Monaſterio, ſeu Conventu egreſſio, etiam non animo apoſtatandi facta.

3. Proprietas contra votum paupertatis, quæ ſit peccatum mortale. Juramentum falſum in judicio regulari, ſeu legitimo.

4. Procuratio, auxilium, ſeu conſilium ad abortum faciendum poſt animatum fetum etiam effectu non ſecuto.

5. Falſificatio manus, aut ſigilli Officialium Monaſterii, aut Conventus. Furtum de rebus Monaſterii, ſeu Conventus in ea quantitate, quæ ſit peccatum mortale.

6. Lapſus carnis voluntarius opere conſummatus.

7. Occiſio, vulneratio, ſeu gravis percuſſio cujuſcumque perſonæ.

8. Malitioſum impedimentum, aut retardatio, aut aperitio litterarum a Superioribus ad inferiores, & ab inferioribus ad Superiores.

9 Si quod aliud præterea peccatum grave pro Religionis conſervatione, aut pro conſcientiæ puritate reſervandum videbitur, id non aliter fiat, quam Generalis Capituli in toto Ordine, aut Provincialis in Provincia matura diſcuſſione, ac conſenſu.

DECRETA
SANCTISS. IN CHRISTO PATRIS AC D. N. D.
ALEXANDRI PAPÆ VII.

In Congregationibus Generalibus Sanctæ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis habitis.

Feria V. die 24. *Septembris* 1665.

In Congregatione Generali Sanctæ Romanæ & Univerſalis Inquiſitionis, habita in Palatio Apoſtolico

Mon.

Montis Quirinalis, coram Sanctiſs. D.N.D. Alexandro *Divina Providentia* Papa VII. *ac Eminentiſſimis & Reverendiſſimis DD.S.R.E. Cardinalibus in tota Republica Chriſtiana adverſus hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus, a Sancta Sede Apoſtolica deputatis.*

SANCTISSIMUS D. N. audivit non ſine magno animi ſui mœrore, complures opiniones Chriſtianæ diſciplinæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes, partim antiquas iterum ſuſcitari; partim noviter prodire, & ſummam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excreſcere, per quam in rebus ad conſcientiam pertinentibus modus opinandi irrepſit alienus omnino ab Evangelica ſimplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina, & quem ſi pro recta regula fideles in praxi ſequerentur, ingens eruptura eſſet Chriſtianæ vitæ corruptela. Quare, ne ullo unquam tempore viam ſalutis, quam ſuprema Veritas DEUS, cujus verba in æternum permanent, arctam eſſe definivit, in animarum perniciem dilatari, ſeu verius perverti contigeret; idem SS. D. N. ut oves ſibi creditas ab ejuſmodi ſpatioſa, lataque, per quam itur ad perditionem, via, pro Paſtorali ſollicitudine in rectam ſemitam evocaret, earumdem opinionum examen pluribus in Sacra Theologia Magiſtris, & deinde Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis DD. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus ſerio commiſit. Qui tantum negotium ſtrenue aggreſſi, eique ſedulo incumbentes, & mature diſcuſſis, uſque ad hanc diem infraſcriptis propoſitionibus, ſuper unaquaque ipſarum ſua ſuffragia Sanctitati Suæ ſingillatim expoſuerunt.

1. Homo nullo unquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum fidei, ſpei, & caritatis, ex vi præceptorum Divinorum ad eas virtutes pertinentium.

2. Vir equeſtris ad duellum provocatus poteſt illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

3. Sententia aſſerens, Bullam Cœnæ ſolum prohibere abſolutionem hæreſis, & aliorum criminum, quando publica ſunt, & id non derogare facultati Tridentini; in qua de occultis criminibus ſermo eſt,

Anno

Anno 1629. 28 Julii in Conſiſtorio Sacræ Congregationis Emin. Cardinalium, viſa & tolerata eſt.

4. Prælati Regulares poſſunt in foro conſcientiæ abſolvere quoſcumque ſæculares ab hæreſi occulta & ab excommunicatione propter eam incurſa.

5. Quamvis evidenter tibi conſtet Petrum eſſe hæreticum, non teneris denunciare, ſi probare non poſſis.

6. Confeſſarius qui in ſacramentali Confeſſione tribuit Pœnitenti chartam poſtea legendam, in qua ad Venerem incitat, non cenſetur ſollicitaſſe in confeſſione, ac proinde non eſt denunciandus.

7. Modus evadendi obligationem denunciandæ ſollicitationis eſt; Si ſollicitatus confiteantur cum ſollicitante, hic poteſt ipſum abſolvere abſque onere denunciandi.

8. Duplicatum ſtipendium poteſt Sacerdos pro eadem Miſſa licite accipere, applicando petenti partem etiamſi ſpecialiſſimam fructus ipſimet Celebranti correſpondentem, idque poſt Decretum Urbani VIII.

9. Poſt Decretum Urbani poteſt Sacerdos, cui Miſſæ celebrandæ traduntur, per alium ſatisfacere, collato illi minori ſtipendio, alia parte ſtipendii ſibi retenta.

10. Non eſt contra juſtitiam pro pluribus ſacrificiis ſtipendium accipere, & ſacrificium unum offerre; neque etiam eſt contra fidelitatem, etiamſi promittam promiſſione etiam juramento firmata, danti ſtipendium quod pro nullo alio offeram.

11. Peccata in confeſſione omiſſa, ſeu oblita ob inſtans periculum vitæ, aut ob aliam cauſſam non tenemur in ſequenti confeſſione exprimere.

12. Mendicantes poſſunt abſolvere a caſibus Epiſcopis reſervatis, non obtenta ad id Epiſcoporum facultate.

13. Satisfacit præcepto annuæ Confeſſionis qui confitetur Regulari, Epiſcopo præſentato, ſed ob eo injuſte reprobato.

14. Qui facit confeſſionem voluntarie nullam ſatisfacit præcepto Eccleſiæ.

15. Pœnitens propria auctoritate ſubſtituere ſibi alium poteſt, qui loco ipſius pœnitentiam adimpleat

16. Qui beneficium curatum habent, poſſunt ſibi

bi eligere in Confeſſarium ſimplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.

17. Eſt licitum Religioſo, vel Clerico, calumniatorem gravia crimina de ſe, vel de ſua Religione ſpargere minantem, occidere, quando alius modus defendendi non ſuppetit, uti ſuppetere non videtur, ſi calumniator ſit paratus vel ipſi Religioſo, vel ejus Religioni publice & coram graviſſimis viris prædicta impingere niſi occidatur.

18. Licet interficere falſum accuſatorem, falſos teſtes, ac etiam Judicem, a quo iniqua certo imminet ſententia, ſi alia via non poteſt innocens damnum evitare.

19. Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehenſam.

20. Reſtitutio a *Pio* V. impoſita beneficiatis non recitantibus, non debetur in conſcientia ante ſententiam declaratoriam Judicis, eo quod ſit pœna.

21 Habens Cappellaniam collativam, aut quodvis aliud beneficium Eccleſiaſticum, ſi ſtudio litterarum vacet, ſatisfacit ſuæ obligationi, ſi Officium per alium recitet.

22. Non eſt contra juſtitiam, Beneficia non conferre gratis; quia collator conferens illa beneficia Eccleſiaſtica pecunia interveniente non exigit illam pro collatione Beneficii, ſed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

23. Frangens Jejunium Eccleſiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, niſi ex contemptu, vel inobedientia hoc facit, puta; quia non vult ſe ſubjicere præcepto.

24. Mollities, ſodomia, & beſtialitas ſunt peccata ejuſdem ſpeciei infimæ, ideoque ſufficit dicere in Confeſſione ſe procuraſſe pollutionem.

25. Qui habuit copulam cum ſoluta, ſatisfacit confeſſionis præcepto, dicens, commiſi cum ſoluta grave peccatum contra caſtitatem, non explicando copulam.

26. Quando litigantes habent pro ſe opiniones æque probabiles, poteſt judex pecuniam accipere pro ferenda ſententia in favorem unius præ alio.

27. Si liber ſit alicujus junioris & moderni, debet opinio cenſeri probabilis, dum non conſtet rejectam eſſe a Sede Apoſt. tamquam improbabilem.

28.

28. Populus non peccat, etiamſi abſque ulla cauſſa non recipiat legem a Principe promulgatam.

Quibus peractis, dum ſimilium Propoſitionum examini cura, & ſtudium impenderetur, interea idem Sanctiſſimus re mature conſiderata ſtatuit & decrevit, prædictas propoſitiones & unamquamque ipſarum, ut minimum tamquam ſcandaloſas eſſe damnandas, & prohibendas, ſicut eas damnat, ac prohibet: ita ut quicumque illas aut conjunctim, aut diviſim docuerit, defenderit, ediderit, aut de iis etiam diſputative, publice, aut privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem, a qua non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, niſi a pro tempore exiſtente Romano Pontifice, abſolvi.

Inſuper diſtricte in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub interminatione Divini Judicii prohibet omnibus Chriſti fidelibus cujuſcumque conditionis, dignitatis, ac ſtatus, etiam ſpeciali & ſpecialiſſima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.

Joannes Lupus, Sanctæ Romanæ & Univerſalis Inquiſitionis Not. &c.

FERIA QUINTA,
DIE DECIMA OCTAVA
Martii Anno 1666.

In Congregatione Generali Sanctæ, Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis coram Sanctiſſimo D. N. ALEXANDRO *divina Providentia* Papa VII. *ac Eminentiſſimis, & reverendiſſ.* DD. S. R. E. *Cardinalibus in tota Republica Chriſtiana adverſus Hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus a Sancta Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.*

SANCTISSIMUS D. N. poſt latum decretum die XXIV. Septembris proxime elapſi, quo viginti octo Propoſitiones damnatæ fuerunt, examinatis ſedulo & accurate uſque ad hanc diem infraſcriptis aliis quadrageſimum quintum numerum implentibus, per plures in Sacra Theologia Magiſtros, ac per Eminentiſſimos & Reverendiſſimos DD. Cardinales adverſus hæreticam pravitem Gene-

Generales Inquiſitores, eorum ſuffragia ſingillatim ſuper unaquaque ipſarum audivit.

Propoſitio 29. In die Jejunii, qui ſæpius modicum quid comedit, etſi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.

30. Omnes officiales, qui in Republica corporaliter laborant, ſunt excuſati ab obligatione jejunii, nec debent ſe certificare, an labor ſit compatibilis cum jejunio.

31. Excuſantur abſolute a præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamſi iter neceſſarium non ſit, & etiamſi iter unius diei conficiant.

32. Non eſt evidens, quod conſuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadrageſima obliget.

33. Reſtitutio fructuum ob omiſſionem horarum ſuppleri poteſt per quaſcumque Eleemoſynas, quas antea Beneficiatus de fructibus ſui beneficii fecerit.

34. In die Palmarum recitans officium Paſchale, ſatisfacit præcepto.

35. Unico officio poteſt quis ſatisfacere duplici præcepto pro die præſenti, & craſtino.

36. Regulares poſſunt in foro conſcientiæ uti privilegiis ſuis, quæ ſunt expreſſe revocata per Concilium Tridentinum.

37. Indulgentiæ conceſſæ Regularibus, & revocatæ a Paulo V. hodie ſunt revalidatæ.

38. Mandatum Tridentini factum Sacerdoti ſacrificanti ex neceſſitate cum peccato mortali confitendi quamprimum, eſt conſilium, non præceptum.

39. Illa particula *quamprimum*, intelligitur, cum Sacerdos ſuo tempore confitebitur.

40. Eſt probabilis opinio, quæ dicit, eſſe tantum veniale oſculum habitum ob delectationem carnalem, & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo conſenſus ulterioris, & pollutionis.

41. Non eſt obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, ſi hæc nimis utilis eſſet ad oblectamentum concubinarii, vulgo, *regalo*, dum deficiente illa, nimis ægre ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficile inveniretur.

42. Licitum eſt mutuanti aliquid ultra ſortem

exi-

exigere, ſi ſe obliget ad non repetendam ſortem uſque ad certum tempus.

43. Annuum legatum pro anima relictum, non durat plus quam per decem annos.

44. Quoad forum conſcientiæ reo correcto, ejuſque contumacia ceſſante, ceſſant cenſuræ.

45. Libri prohibiti donec expurgentur poſſunt retineri, uſque dum abhibita diligentia corrigantur.

Quibus mature penſatis; idem Sanctiſſimus ſtatuit, ac decrevit prædictas *P*ropoſitiones, & unamquamque ipſarum, ut minimum, tamquam ſcandaloſas eſſe damnandas, & prohibendas, ſicut eas damnat, ac prohibet: Ita ut quicumque illas, aut conjunctim, aut diviſim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam diſputative, publice aut privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem, a qua non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente niſi a pro tempore exiſtente Romano *P*ontifice abſolvi.

Inſuper diſtricte in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub interminatione Divini Judicii prohibet omnibus Chriſti fidelibus, cujuſcumque conditionis, dignitatis, ac ſtatus, etiam ſpeciali, & ſpecialiſſima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.

Joannes Lupus, Sanctæ Romanæ, & univerſalis Inquiſitionis Not.

F E R I A Q U I N T A, DIE UNDECIMA MARTII

Anno 1679.

In Generali Congregatione S. Romanæ & Univerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico Vaticano coram Sanctiſſimo D. N. D. INNOCENTIO divina Providentia Papa XI. *ac Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis Dominis S.R. E. Cardinalibus in tota Republica Chriſtiana contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus a Sancta Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.*

SANCTISSIMUS D. Innocentius *P*apa XI. prædictus ovium ſibi a DEO creditarum ſaluti ſedulo incumbens, & ſalubre opus in ſegregandis noxiis doctrinarum paſcuis ab innoxiis a fel. record.

cord. Alexand. VII. *Prædeceſſore* ſuo inchoatum proſequi volens, plurimas propoſitiones partim ex diverſis, vel libris, vel theſibus ſeu ſcriptis excerptas, & partim noviter adinventas, Theologorum plurium examini, & deinde Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis Dominis Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus ſubiecit. Quibus propoſitionibus ſedulo, & accurate ſæpius diſcuſſis eorumdem Eminentiſſimorum Cardinalium, & Theologorum votis per Sanctitatem Suam auditis, Idem Sanctiſſimus D. N. re poſtea mature conſiderata ſtatuit, & decrevit pro nunc ſequentes propoſitiones & unamquamque ipſarum, ſicut jacent, ut minimum tamquam ſcandaloſas, & in praxi pernicioſas, eſſe damnandas; & prohibendas, ſicuti eas damnat, & prohibet. Non intendens tamen Sanctitas Sua per hoc decretum alias propoſitiones in ipſo non expreſſas, & Sanctitati Suæ quomodolibet, & ex quacumque parte exhibitas, vel exhibendas ullatenus approbare.

1. Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, niſi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc ſententia probabili tantum utendum non eſt in collatione Baptiſmi, Ordinis Sacerdotalis, aut Epiſcopalis.

2. Probabiliter exiſtimo, Judicem poſſe Judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.

3. Generatim dum probabilitate, ſive intrinſeca, ſive extrinſeca quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus.

4. Ab infidelitate excuſabitur infidelis non credens ductus opinione minus probabili.

5. An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei ſemel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.

6. *Probabile* eſt, ne ſingulis quidem rigoroſe quinqueniis per ſe obligare præceptum caritatis erga Deum.

7. Tunc ſolum obligat, quando tenemur juſtificari, & non habemus aliam viam, qua juſtificari poſſimus.

8. Ca-

8. Comedere, & bibere, uſque ad ſatietatem ob ſolam voluptatem, non eſt peccatum, modo non obſit valetudini; quia licite poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui.

9. Opus conjugii ob ſolam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa, ac defectu veniali.

10. Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali.

11. Præcepto proximum diligendi ſatisfacere poſſumus per ſolos actus externos.

12. Vix in ſæcularibus invenies, etiam in Regibus ſuperfluum ſtatui. Et ita vix aliquis tenetur ad elemoſynam, quando tenetur tantum ex ſuperfluo ſtatui.

13. Si cum debita moderatione facias, potes abſque peccato mortali de vita alicujus triſtari; & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & deſiderare; non quidem ex diſplicentia perſonæ, ſed ob aliquod temporale emolumentum.

14. Licitum eſt abſoluto deſiderio cupere mortem *P*atris, non quidem ut malum *P*atris, ſed ut bonum cupientis; quia nimirum ei obventura eſt pinguis hereditas.

15. Licitum eſt filio gaudere de parricidio parentis a ſe in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hereditate conſecutas.

16. Fides non cenſetur cadere ſub præceptum ſpeciale, & ſecundum ſe.

17. Satis eſt, actum fidei ſemel in vita elicere.

18. Si a poteſtate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo & fidei glorioſum conſulo; tacere, ut peccaminoſum per ſe non damno.

19. Voluntas non poteſt efficere, ut aſſenſus fidei in ſe ipſo ſit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad aſſenſum impellentium.

20. Hinc poteſt quis prudenter repudiare aſſenſum, quem habebat ſupernaturalem.

21. Aſſenſus fidei ſupernaturalis, & utilis ad ſalutem ſtat cum notitia ſolum probabili revelationis; immo cum formidine, qua quis formidet, ne non ſit locutus Deus.

22. Nonniſi fides unius Dei neceſſaria videtur neceſſitate medii, non autem explicita Remuneratoris.

23. Fides late dicta ex teſtimonio Creaturarum, ſimilive motivo ad juſtificationem ſufficit.

24. Vocare Deum in Teſtem mendacii levis, non eſt tanta irreverentia, propter quam velit, aut poſſit damnare hominem.

25. Cum cauſſa licitum eſt jurare ſine animo jurandi, ſive res ſit levis, ſive gravis.

26. Si quis, vel ſolus, vel coram aliis, ſive, interrogatus, ſive propria ſponte, ſive recreationis cauſſa, ſive quocumque alio fine juret, ſe non feciſſe aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra ſe aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec eſt perjurus.

27. Cauſſa juſta utendi his amphibologiis eſt, quoties id neceſſarium, aut utile eſt ad ſalutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens, & ſtudioſa.

28. Qui mediante commendatione, vel munere ad Magiſtratum, vel officium publicum promotus eſt; poterit cum reſtrictione mentali præſtare juramentum, quod de mandato Regis a ſimilibus ſolet exigi, non habito reſpectu ad intentionem exigentis; quia non tenetur fateri crimen occultum.

29. Urgens metus gravis eſt cauſſa juſta Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi.

30. Fas eſt viro honorato occidere invaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi aliter hæc ignominia vitari nequit; idem quoque dicendum, ſi quis impingat alapam, vel fuſte percutiat, & poſt impactam alapam, vel ictum fuſtis fugiat.

31. Regulariter occidere poſſum furem pro conſervatione unius aurei.

32. Non ſolum licitum eſt defendere defenſione occiſiva, quæ actu poſſidemus, ſed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos poſſeſſuros ſperamus.

33. Licitum eſt tam heredi, quam legatario contra injuſte impedientem, ne vel hereditas adeatur, vel legata ſolvantur, ſe taliter defendere; ſicut & jus habenti in Cathedram, vel Præbendam contra eorum poſſeſſionem injuſte impedientes.

34.

rale ſit principale motivum dandi ſpirituale; immo etiam ſi ſit finis ipſius rei ſpiritualis, ſic ut illud pluris æſtimetur, quam res ſpiritualis.

47. Cum dixit Concilium Tridentinum, *Eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis utiles ipſi judicaverint, ad Eccleſias promovent*. Concilium, vel primo videtur per hoc *Digniores* non aliud ſignificare velle, niſi dignitatem eligendorum, ſumpto comparativo pro poſitivo, vel ſecundo locutione minus propria ponit *Digniores*, ut excludat indignos, non vero dignos; vel tandem loquitur tertio quando fit concurſus.

48. Tam clarum videtur, fornicationem ſecundum ſe nullam involvere malitiam, & ſolum eſſe malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi diſſonum videatur.

49. Molities jure naturæ prohibita non eſt. Unde ſi Deus eam non interdixiſſet, ſæpe eſſet bona, & aliquando obligatoria ſub mortali.

50. Copula cum conjugata, conſentiente marito, non eſt adulterium; adeoque ſufficit in confeſſione dicere, ſe eſſe fornicatum.

51 Famulus, qui ſubmiſſis humeris ſcienter adjuvat herum ſuum aſcendere per feneſtras ad ſtuprandam virginem, & multoties eidem ſubſervit deferendo ſcalam, aperiendo januam, aut quid ſimile cooperando, non peccat mortaliter, ſi id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aſpiciatur, ne domo expellatur.

52. *Præceptum* ſervandi feſta non obligat ſub mortali, ſepoſito ſcandalo, ſi abſit contemptus.

53. Satisfacit præcepto Eccleſiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, immo quatuor ſimul a diverſis Celebrantibus audit.

54. Qui non poteſt recitare Matutinum, & Laudes, poteſt autem reliquas horas, ad nihil tenetur; quia major pars trahit ad ſe minorem.

55. Præcepto Communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Domini manducationem.

56. Frequens Confeſſio, & Communio etiam in his, qui gentiliter vivunt, eſt nota prædeſtinationis.

57. Probabile eſt, ſufficere attritionem naturalem, modo honeſtam.

58.

ſterum ſe abſtineant, & paci, & caritati conſulatur, idem Sanctiſſimus in virtute Sanctæ Obedientiæ eis præcipit, ut tam in libris imprimendis ac manuſcriptis, quam in Theſibus, Diſputationibus, ac Prædicationibus caveant ab omni cenſura, & nota, nec non a quibuſcumque conviciis contra eas propoſitiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur, donec a S. Sede recognitis ſuper iiſdem propoſitionibus judicium proferatur.

Franciſcus Ricchardus Sanctæ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis Not.

FERIA QUINTA

DECRETUM.

DIE VIGESIMA QUARTA Auguſti 1690.

In Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & Univerſalis Inquictionis habita in Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis coram Sanctiſſimo D. N. D. ALEXANDRO *divina Providentia* Papa VIII. *ac Eminentiſs., & Reverendiſs. DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Chriſtiana adverſus Hæreticam pravitatem General. Inquiſitor. a S. Sede Apoſtol. ſpecialiter deputatis.*

SAnctiſſimus D.N. ALEXANDER Papa VIII. non ſine magno animi ſui mœrore audivit duas Theſes, ſeu propoſitiones, unam denuo, & in majorem Fidelium perniciem ſuſcitari, alteram de novo erumpere: Et cum ſui Paſtoralis Officii munus ſit Oves ſibi creditas a noxiis paſcuis avertere, & ad ſalutaria ſemper dirigere, dictarum Theſium, ſive Propoſitionum examen pluribus in Sacra Theologia Magiſtris, & deinde Eminentiſs., & Reverendiſs. DD. Cardinalibus Inquiſitoribus ſedulo commiſit, qui pluries re mature diſcuſſa infraſcriptis Theſibus, ſeu Propoſitionibus ſuper unaquaque ipſarum ſua ſuffragia Sanctitati ſuæ ſigillatim expoſuerunt.

1. Bonitas objectiva conſiſtit in convenientia objecti cum natura rationali ; Formalis vero in conformitate actus cum regula morum . Ad hoc ſufficit , ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative . HUNC HOMO NON TENETUR AMARE , NEQUE IN PRINCIPIO , NEQUE IN DECURSU VITÆ SUÆ MORALIS .

2. Peccatum Philoſophicum , ſeu morale eſt actus humanus diſconveniens naturæ rationali , & rectæ rationi . Theologicum vero , & mortale eſt tranſgreſſio libera divinæ legis . Philoſophicum quantumvis grave in illo , qui Deum vel ignorat , vel de Deo actu non cogitat, eſt grave peccatum , ſed non eſt offenſa Dei , neque peccatum mortale diſſolvens amicitiam Dei , neque æterna pœna dignum .

Quibus peractis , Sanctiſſimus omnibus plene , & mature conſideratis , primam Theſim , ſeu Propoſitionem declaravit hæreticam , & uti talem damnandam , & prohibendam eſſe , ſicuti damnat , & prohibet ſub Cenſuris , & pœnis contra Hæreticos , & eorum fautores in Jure expreſſis: Secundam Theſim , ſeu Propoſitionem declaravit ſcandaloſam , temerariam , piarum aurium offenſivam , & erroneam , & uti talem damnandam , & prohibendam eſſe , ſicuti damnat, & prohibet , ita ut quicumque illam docuerit , defenderit , ediderit , aut de ea etiam diſputaverit publice , ſeu privatim tractaverit , niſi forſan impugnando , ipſo facto incidat in Excommunicationem , a qua non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam Dignitate fulgente , niſi a pro tempore exiſtente Romano Pontifice abſolvi . Inſuper diſtricte in virtute ſanctæ Obedientiæ , & ſub interminatione divini Judicii prohibet omnibus Chriſti fidelibus cujuſcumque Conditionis , Dignitatis , ac Status, etiam ſpeciali , & ſpecialiſſima nota dignis , ne prædictam Theſim , ſeu Propoſitionem ad praxim deducant .

Alexander Speronus S. Romanæ , & Univerſalis Inquiſitionis Not.

DE-

DECRETUM.

FERIA QUINTA

DIE OCTAVA DECEMBRIS. 1690.

In Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis cor. Sanct. D. N. ALEXANDRO *divina Providentia* Papa VIII. *ac Eminentiſs. & Reverendiſs. DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Chriſtiana adverſus Hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus a Sancta Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.*

SAnctiſſimus D. N. ALEXANDER divina Providentia Papa VIII. prædictus. Pro paſtorali cura Ovium a Chriſto Domino ſibi commiſſa de earum ſalute ſollicitus, ut inoffenſo gradu per rectas ſemitas poſſint incedere, & paſcua nimium perniciosa in pravis doctrinis exhibita vitare, unius ſupra triginta Propoſitionum examen pluribus in Sacra Theologia Magiſtris, & deinde Eminentiſſimis, ac Reverendiſſimis DD. Cardinalibus contra Hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus commiſit; qui tantum negotium diligenter aggreſſi, eique ſedulo, ac pluries incumbentes, ſuper unaquaque ipſarum ſua ſuffragia Sanctitati ſuæ ſingillatim detulerunt.

Propoſitiones autem ſunt infraſcriptæ, videlicet.

1. IN ſtatu naturæ lapſæ ad peccatum mortale, & demeritum ſufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in cauſſa ſua, peccato originali, & voluntate Adami peccantis.

2. Tametſi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in ſtatu naturæ lapſæ operantem ex ipſa, non excuſat a peccato formali.

3. Non licet ſequi opinionem, vel inter probabiles probabiliſſimam.

4. Dedit ſemetipſum pro nobis oblationem Deo non pro ſolis Electis, ſed pro omnibus, & ſolis Fidelibus.

5. Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt a Jeſu Chriſto influxum, adeoque hinc recte inferes, in illis eſſe voluntatem nudam, & inermem, ſine omni gratia ſufficienti.

6. Gratia ſufficiens ſtatui noſtro, non tam utilis, quam pernicioſa eſt, ſic ut proinde merito poſſimus petere, *A gratia ſufficienti Libera nos Domine*.

7. Omnis humana actio deliberata, eſt Dei dilectio, vel mundi: ſi Dei, caritas Patris eſt; ſi mundi, concupiſcentia carnis, hoc eſt, mala eſt.

8. Neceſſe eſt infidelem in omni opere peccare.

9. Revera peccat qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem & diſconvenientiam cum natura, ſine ullo ad Deum offenſum reſpectu.

10. Intentio, qua quis deteſtatur malum, & proſequitur bonum, mere ut cæleſtem obtineat gloriam, non eſt recta, nec Deo placens.

11. Omne quod non eſt ex fide Chriſti ſupernaturali, quæ dilectionem operatur, peccatum eſt.

12. Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam Fides, & etiamſi videantur credere, non eſt Fides divina, ſed humana.

13. Quiſquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, caritate ſi caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur.

14. Timor gehennæ non eſt ſupernaturalis.

15. Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur, ſine dilectione benevolentiæ Dei, propter ſe, non eſt bonus metus, ac ſupernaturalis.

16. Ordinem præmittendi ſatisfactionem abſolutioni, induxit non politica, aut inſtitutio Eccleſiæ, ſed ipſa Chriſti lex, & præſcriptio, natura rei id ipſum quodammodo dictante.

17. Per illam praxim mox abſolvendi, ordo Pœnitentiæ eſt inverſus.

18. Conſuetudo moderna quoad adminiſtrationem Sacramenti pœnitentiæ, etiamſi eam plurimorum hominum ſuſtentet auctoritas, & multi tem-

temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Eccleſia non habetur pro uſu, ſed abuſu.

19. Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato originali.

20. Confeſſiones apud Religioſos factæ pleræque vel ſacrilegæ ſunt, vel invalidæ.

21. Parochianus poteſt ſuſpicari de Mendicantibus, qui eleemoſynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi, & incongrua pœnitentia, ſeu ſatisfactione, ob quæſtum, ſeu lucrum ſubſidii temporalis.

22. Sacrilegi ſunt judicandi, qui jus ad Communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis ſuis pœnitentiam egerint.

23. Similiter arcendi ſunt a ſacra Communione, quibus nondum ineſt amor Dei puriſſimus, & omnis mixtionis expers.

24. Oblatio in templo, quæ fiebat a B. V. Maria in die Purificationis ſuæ, per duos pullos Columbarum, unum in holocauſtum, & alterum pro peccatis, ſufficienter teſtatur, quod indiguerit Purificatione, quod Filius, qui offerebatur, etiam macula Matris maculatus eſſet ſecundum verba legis.

25. Dei Patris ſimulacrum nefas eſt Chriſtiano in templo collocare.

26. Laus, quæ defertur Mariæ ut Mariæ vana eſt.

27. Valuit aliquando Baptiſmus ſub hac forma collatus, *In nomine Patris*, *&c.* prætermiſſis illis: *Ego te batizo*.

28. Valet Baptiſmus collatus a Miniſtro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi obſervat, intus vero in corde ſuo apud ſe reſolvit; *Non intendo facere quod facit Eccleſia*.

29. Futilis, & toties convulſa eſt aſſertio de Pontificis Romani ſupra Concilium Oecumenicum auctoritatu, atque in fidei quæſtionibus decernendis infallibilitate.

30. Ubi quis invenerit doctrinam in Auguſtino clare fundatam, illam abſolute poteſt tenere, & docere, non reſpiciendo ad ullam Pontificis Bullam.

31. Bulla Ur. VIII. *In eminenti*, eſt ſubreptitia,

Quibus mature conſideratis idem Sanctiſſimus ſtatuit, & decrevit 31. ſupradictas Propoſitiones tamquam temerarias, ſcandaloſas, male ſonantes, erroneas, ſchiſmaticas, & hæreticas reſpective eſſe damnandas, & prohibendas, ſicut eas damnat, & prohibet, ita ut quicumque illas, aut conjunctim, aut diviſim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam diſputative, publice, aut privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in Excommunicationem, a qua non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente niſi a pro tempore exiſtente Romano Pontifice, abſolvi.

Inſuper diſtricte in virtute ſanctæ Obedientiæ, & ſub interminatione divini Judicii prohibet omnibus Chriſti fidelibus, cujuſcumque conditionis, dignitatis, & ſtatus, etiam ſpeciali, & ſpecialiſſima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.

Non intendit tamen Sanctitas ſua ſuper hoc Decretum alias Propoſitiones in majori numero ultra ſupradictas 31. jam exhibitas, & in hoc Decreto non expreſſas approbare.

Alexander Speronus S. Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis Not.

Finis Tertiæ Partis.

IN-

INDEX

Rerum Notabilium.

A

Abſolutionis forma. pag. 63
Abſolutionis quando pœnitens ſit capax. 74
Abſolutionem a cenſura quis poſſit dare. 180
Abſolutionem ab excommunicatione ob Clerici percuſſiunem quis poſſit dare. 180
Abſolutio a cenſura ſub conditione quando ceſſet. 154
Abſolutus a cenſura involuntarie, vel coacte quando remaneat abſolutus. 158
Actio per cenſuram prohibita quando poſſit exerceri. 158
Adoptio inter quos, & quando dirimat matrimonium. 113
Adulterium quando dirimat matrimonium inter adulteros. 114
Affinitas inter quos oriatur, & quando dirimat matrimonium. 125
Amentia quando irregularitatem inducat. 259
Appellantes a Papa ad futurum Concilium, eorumque fautores excommunicati. 186
Apoſtaſia quando irregularitatem inducat. 254
Apoſtolicarum litterarum executionem impedientes quando excommunicationem incurrant. 209
Apoſtolicis a litteris recurrentes ad poteſtatem laicam, eorumque fautores excommunicati. 206
Arbor conſanguinitatis. 112
Armorum delatio ad infideles quando ſubjiciatur excommunicationi. 195
Aſcendentium, & deſcendentium linea. 112
Attritio, & contritio, ejuſque conditiones. 57
Attritio quoad mortalia, & venialia quomodo ſit neceſſaria. 57

B

Baptiſmus, ejuſque neceſſitas. 16
Baptiſmi materia remota, & proxima quando ſit valida. 17
Ejus forma quando ſit valida. 19
A quo, & cui conferatur licite. 21
In eo patrinus cum quibus congnationem ſpiritualem contrahat. 25

Ejus effectus quotuplex ſit, & quando præſtetur. 26
Beneficii receptione, & adminiſtratione quæ irregularitas privet. 269
Bigamia quæ, & quando irregularitatem inducat. 265

C

Cardinalium offenſores quando excommunicationem incurrant. 202
Caſuum reſervatio. 66
Caſus ſpecialiter Papæ reſervati intra Italiam. 66
Caſuum Papæ reſervatorum abſolutio a quibus poſſit impendi. 67
Caſus, quos poſſint ſibi reſervare Superiores Regularium. 324
Cauſas avocantes a Judicibus Eccleſiaſticis quando excommunicationem incurrant. 212
Cenſura quæ ſit ſententiæ latæ, vel ferendæ. 145
Ubi, & quando poſſit ferri a Prælato. 146
Ea ligatus quando ſit pœnitentiæ capax. 74
Ei quando quis ſubjiciatur. 148
Ejus cauſſa quæ ſit, & quando incurratur. 150
Ejus effectus qui ſint. 151
Ejus abſolutio quæ ſit, & quando ceſſet. 113
Ejus abſolutio a quo poſſit impendi. 155
Ejus abſolutio data involuntarie, vel coacte quando ſit valida. 158
Ejus violatio quando irregularitatem inducat. 256
Cenſurarum collectio. 274
Ceſſatio a divinis quæ ſit, & quid per ipſam prohibeatur. 245
Character quid ſit, & quando imprimatur. 11
Chriſtus quamdiu maneat in Euchariſtia. 38
Clerici degradatio, ac depoſitio quæ ſit. 233
Clerici ob percuſſionem excommunicatio quando incurratur. 177
Clericus degradatus, vel depoſitus quibus privetur. 233
Cognatio quæ, & quotuplex ſit. 111
Cognatio ſpiritualis unde, inter quos oriatur. 25. 34. & 112.
Communicatio cum excommunicato vitando ſub qua pœna ſit prohibita. 170
Communicare quando quis poſſit. 43
Conditio ſervilis quando dirimat matrimonium. 109
Con-

Confeſſio ſacramentalis, ejusque conditiones. 59
Confeſſionis integritas, & fidelitas quæ ſufficiat. 59
Confeſſarii munus quod ſit. 69
Confeſſarii ſibi eligendi privilegium qui habeant. 65
Confeſſarius quando habeat jurisdictionem. 66
Confeſſarius deficiens in ſuo munere quando abſolvat valide. 66
Confirmatio, ejuſque materia remota, & proxima. 29
Quando recipiatur licite. 33
Ejus forma quæ, & quando ſit valida. 31
Ejus miniſter quis, & quando faciat licite. 32
In ea patrinus an poſſit eſſe. 34
Ejus effectus quotuplex ſit, & quando producatur. 35
Conjugibus qui actus ſint illiciti. 263
Conſanguinitatis gradus quomodo menſurandi. 112
Contritio, & attritio, ejuſque conditiones. 57
Corporis defectus qui, & quando irregularitatem inducant. 261
Crimen quod, & quando matrimonium dirimat. 114
Cultus diſparitas quando matrimonium dirimat. 116
Curiæ Romanæ victualia impediens quando ſubjiciatur excommunicationi. 196
Curiam ad Romanam acceſſum prohibentes, & ad eam recurrentium offenſores excommunicationi quando ſubjiciantur. 197. & 210.

D

DEgradatio, & depoſitio Clerici quæ ſit. 233
Denunciationes Matrimonii quomodo faciendæ. 100
Denuntiationibus omiſſis quando contrahentes, vel conſummantes matrimonium peccent graviter. 101
Deſcendentium, & aſcendentium linea. 112
Diſpenſatio irregularitatis a quibus, & quando poſſit concedi. 272
Divortium ex quibus cauſſis, & quando ſit licitum. 140

E

ECcleſia quando polluatur. 247
Eccleſiæ Romanæ loca invadentes quando ex-

excommunicationem incurrant. 227
Eccleſiæ ſtatuta præcipua quæ ſint. 96
Eccleſiaſticis onera imponentes, & recipientes quando excommunicationem incurrant. 224
Eccleſiaſticorum bona uſurpantes vel ſequeſtrantes quando excommunicationem incurrant. 221
Eccleſiaſticos trahentes ad Tribunal laicale quando excommunicationem incurrant. 214
Error quis, & quando matrimonium dirimat. 107
Ætas requiſita pro ſingulis ordinibus. 95
Ætas requiſita pro ſponſalibus. 99
Ætas requiſita pro matrimonio. 124
Euchariſtia, ejuſque materia proxima, & remota. 36
Quandiu Chriſtum contineat. 37
A quo, quomodo, & quando ſit diſpenſanda. 41
A quo, & quando recipiatur licite. 43
Quando cauſſet gratiam. 45
Ejus effectus quotuplex ſit. 45
Ejus forma quando ſit valida. 39
Ejus miniſter quis poſſit eſſe. 31
Ejus miniſtratio quos & quando obliget cum periculo vitæ. 41
Excommunicatio quæ, & quotuplex ſit. 159
Excommunicationes ob delicta contenta in Bulla Cœnæ. 181
Ob appellationem a Papa ad futurum Concilium. 186
Ob avocationem cauſſarum a Judicibus Eccleſiaſticis. 211
Ob auxilium infidelibus præſtitum. 195
Ob executionem litterarum Apoſtolicarum impeditam. 208
Ob falſificationem litterarum Apoſtolicarum. 208
Ob hæreſim, & Apoſtaſiam. 181
Ob lecturam librorum prohibitorum. 183
Ob offenſam Cardinalium, & Prælatorum. 202
Ob offenſam Romipetarum, commorantium, & recedentium. 199
Ob offenſam recurrentium ad Rom. Curiam. 204
Ob impedita Romæ victualia. 196
Ob impeditum Prælatis juriſdictionis uſum. 201
Ob impoſitionem pedagiorum. 191
Ob impoſita Eccleſiaſticis onera. 223
Ob interpoſitionem in cauſis criminalibus Clericorum. 225
Ob

Ob invaſionem locorum, & jurium Eccleſiæ Romanæ. 226
Ob piraticam in Mari Pontificio exercitam. 188
Ob prohibitionem accedendi ad Curiam Romanam. 210
Ob recurſum a litteris Apoſtolicis ad poteſtatem laicam. 206
Ob ſchiſma. 185
Ob ſtatuta Eccleſiaſticæ libertatis læſiva. 217
Ob ſubrepta naufragantium bona. 189
Ob tractionem Eccleſiaſticorum ad Tribunal laicale. 214
Ob uſurpationem bonorum Eccleſiæ. 221
Excommunicatio ob Clerici percuſſionem quando incurratur. 177
Excommunicationes *Papæ* reſervatæ. 275
Excommunicationes non reſervatæ. 291
Excommunicatus quomodo ſe debeat gerere cum aliis, & alii cum ipſo. 160
Quibus ſuffragiis privetur. 161
Qua receptione, & miniſtratione Sacramentorum privetur. 163
Quando privetur ſacris cum aliis, & alii cum ipſo. 165
Quando exerceat actus juriſdictionis invalide, & illicite. 167
Quando ſit ei illicita communicatio civilis cum aliis, & aliis cum ipſo. 169
Sacramenta miniſtrans, vel recipiens quas pœnas incurrat. 171
Excommunicatum ſepelientes in loco ſacro quas pœnas, & quando incurrant. 174
Excommunicati communicatio quando excuſetur. 175

F

FAlſantes Apoſtolicas litteras quando excommunicationem incurrant. 193
Filii illegitimi qui, & quando legitimentur per matrimonium. 262

G

GAbellas novas imponentes quando excommunicationem incurrant. 191
Gradus conſanguinitatis quomodo menſurandi. 112
Gratia quæ ſit, & quando cauſetur a Sacramentis. 12

H

HÆreſis quæ, & quando ſubjiciatur exco m-municationi. 181
Hæreſis quando inducat irregularitatem. 254
Homicidium quando dirimat matrimonium. 114
Homicidium quando inducat irregularitatem. 252
Honeſtas publica unde oriatur, & quando dirimat matrimonium. 122

I

IGnorantia quæ, & quando irregularitatem inducat. 259
Illegitimi qui, & quando ſint irregulares. 262
Impedimenta impedientia in matrimonio quæ ſint. 105
Impedimenta dirimentia in matrimonio quæ ſint. 107
Impotentia quæ, & quando dirimat matrimonium. 128
Indulgentiæ quæ ſint, & quando acquirantur. 77
Infamia quæ ſit, & quando Irregularitatem inducat. 262
Infidelitas quandiu Irregularitatem inducat. 259
Infidelium fautores quando excommunicationem incurrant. 195
Intentio quæ, & quotuplex ſit. 7
Interdictum quid, & quotuplex ſit. 235
Locale ad quæ loca, & perſonas extendatur. 235
Perſonale quos, & quando afficiat. 236
Ejus effectus qui ſint. 238
Ejus tempore qui, & quando prohibeantur ſepeliri in loco ſacro. 241
Ejus violatio quibus pœnis ſubjiciatur. 243
Interdicta reſervata, & non reſervata. 315
Interdictis divina officia ubi, & quando ſint prohibita. 238
Interdictis quæ Sacramenta, & quando ſint prohibita. 239
Interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ quando peccet eam ingrediendo. 242
Irregularitas quæ, & quotuplex ſit. 250
Quando cenſeatur exiſtere. 250
Quando quis ei ſubjiciatur. 251
Quando incurratur. 252
Ejus effectus qui ſint. 268
Per quid, & quando ceſſet. 270

Ejus diſpenſatio a quibus, & quando poſſit concedi. 272
Irregularitates ex defectu quæ ſint. 259
Ex defectu bonorum animæ quæ ſint. 259
Ex defectu bonorum corporis quæ ſint. 260
Ex defectu bonorum fortunæ quæ ſint. 262
Ex defectu Sacramentalis repræſentationis quæ ſint. 265
Irregularitates ex delicto quæ ſint. 252
Ex hæreſi, vel apoſtaſia quando oriatur. 254
Ex homicidio, vel mutilatione quando oriatur. 252
Ex violatione Baptiſmi, vel Ordinis quando oriatur. 255
Ex violatione Cenſuræ quando oriatur. 238
Irregularitatum Catalogus. 321
Juriſdictio quæ, & quotuplex ſit. 64
Quando ea privetur excommunicatus. 167
Quando eam habeat Confeſſarius. 65
Ejuſdem uſum impedientes Prælatis quando excommunicationem incurrant. 220

L

Laicam ad poteſtatem a litteris Apoſtolicis recurrentes quando excommunicationem incurrant. 206
Laicale ad Tribunal trahentes Eccleſiaſticos quando excommunicationem incurrant. 215
Laici ſe interponentes in cauſſis criminalibus Clericorum quando excommunicationem incurrant. 225
Legitimatio filiorum quando efficiatur per matrimonium. 219
Lenitatis carentia quando inducat irregularitatem. 265
Libri prohibiti quando, & ſub qua cenſura interdicantur. 183
Ligamen quando dirimat matrimonium. 120
Litterarum Apoſtolicarum falſarii quando excommunicationem incurrant. 191

M

Martyrium quid ſit, & quando ex eo recipiatur gratia. 27
Matrimonium, ejuſque conditiones, ut ſit validum. 122
Ejus denuciationes quomodo ſint faciendæ. 100

Idem

Idem contrahentes, vel conſummantes ſine denunciationibus quando peccent. 101
Matrimonii impedimenta impedientia quæ ſint. 105
Idem conſummantes cum impedimento impediente quando peccent. 106
Matrimonii impedimenta dirimentia quæ ſint. 107
Adoptio quando dirimat. 113
Adulterium, vel homicidium quando dirimat. 114
Affinitas quando dirimat. 133
Cognatio naturalis quando dirimat. 112
Cognatio ſpiritualis quando dirimat. 113
Conditio ſervilis quando dirimat. 109
Crimen quod, & quando dirimat. 114
Cultus diſparitas quando dirimat. 116
Error quando dirimat. 107
Ætatis defectus quando dirimat. 124
Honeſtas publica quando dirimat. 122
Impotentia quando dirimat. 127
Ligamen quando dirimat. 121
Metus, & vis quando dirimat. 118
Ordo quando dirimat. 119
Raptus quando dirimat. 129
Vis, & metus quando dirimat. 118
Votum caſtitatis quando dirimat. 110
Matrimonium clandeſtinum quando invalidum ubi Concilium Trident. non eſt publicatum, vel receptum. 131
Matrimonii revalidatio quomodo facienda. 131
Matrimonii debitum quando poſſit peti, vel reddi. 133
Matrimonium ſubſequens quando ſit licitus. 136
Matrimonium ſubſequens quando legitimet filios extra ipſum ſuſceptos. 138
Miniſter Sacramenti quando illud conficiat valide, ac licite. 7
Miſſa, ejuſque partes. 46
A quo debeat applicari. 50
Pro quibus poſſit offerri. 47
Miſſæ miniſter quando poſſit celebrare. 48
Quando teneatur celebrare, 50
Miſſæ celebrandæ obligatio quando adimpleatur. 50
Ejus fructus generalis, ſpecialis, & ſpecialiſſimus. 53
Ejus valor quando habeatur. 46
Ejus

Ejus effectus quotuplex ſit. 45
Pro ea ſtipendium quando accipiatur licite. 52
Miſſæ aſſiſtens excommunicatus vitandus, vel coram ipſo celebrans quas pœnas incurrat. 173
Moribundo quando Sacramentum conferatur licite. 10
Mutilatio quando inducat irregularitatem. 252

N

NAtalium defectus quando inducat irregularitatem. 262
Naufragantium bona ſurripientes quando excommunicationem incurrant. 189

O

OBedientia negata Papæ quando ſubjiciatur excommunicationi. 265
Obex quomodo removendus, ut Sacramentum conferat gratiam. 13
Officia divina ubi, & quando prohibeantur tempore interdicti. 238
Ordinans, & ordinatus quomodo debeat tangere materiam. 90
Ordinans illicite quando incurrat ſuſpenſionem. 93
Ordinatus illicite quando incurrat irregularitatem. 95
Ordo ejuſque diviſio. 89
Ejus materia remota, & proxima. 90
Ejus forma quomodo pronuncianda. 91
Ejus miniſter quis ſit. 92
Ejus effectus qui, & quotuplex ſit. 96
Ejus violatio quando inducat irregularitatem. 256
Quando dirimat matrimonium. 119
Ordinem exercens in peccato quando peccet graviter. 98
Ordinis cujuſque officium quod ſit. 98
Ordinis poteſtas quando poſſit haberi una ſine alia. 97
Ordinis receptione, & adminiſtratione quæ irregularitas privet. 268
Ordinibus pro recipiendis quæ conditiones requirantur. 95

P

PArochi quando, & pro quibus teneantur celebrare. 50
Patrinus Baptiſmi quis ſit, quando, & cum quibus contrahat cognationem ſpiritualem. 24

Pa-

Patrinus Confirmationis quis poſſit eſſe. 34
Peccata venialia quæ, & quando remittantur a pœnitentia. 75
Peccatum quod ſit pœnitentiæ materia neceſſaria, vel ſufficiens. 55
Peccatum dubium quando ſit materia neceſſaria pœnitentiæ. 56
Piratæ in Mari Pontificio quando incurrant excommunicantionem. 188
Pœnæ communicantium cum excommunicato quæ ſint, & quando incurrantur. 170
Pœnæ excommunicati communicantis in Sacramentis cum aliis, & aliorum cum ipſo quæ ſint, & quando incurrantur. 171
Pœnitentia, ejuſque neceſſitas. 54
Ejus materia remota, & proxima. 55
Ejus forma in quibus verbis conſiſtat eſſentialiter. 63
Ejus miniſter quis ſit. 64
Ejus ſubjectum quando abſolutionis ſit capax. 74
Ejus effectus qui ſint. 75
Pollutio Eccleſiæ ex quo delicto cauſetur. 247
Prælatorum offenſores quando excommunicationem incurrant. 201
Propoſitiones damnatæ ab Alexandro VII. 324
Ab Innocentio XI. 330
Ab Alexandro VIII. 337

R

Raptus quando dirimat matrimonium. 129
Ratiociniis obſtrictus quando ſit irregularis. 262
Recurrentes a litteris Apoſtolicis ad poteſtatem laicam quando incurrant excommunicationem. 206
Reſervatio Caſuum. 66
Romanæ Curiæ victualia impedientes quando incurrant excommunicationem. 196
Romanæ Eccleſiæ loca, & jura invadentes quando incurrant excommunicationem. 227
Romanam ad Curiam acceſſum prohibentes quando incurrant excommunicationem. 210
Romanam ad Curiam recurrentium offenſores quando incurrant excommunicationem. 204
Romanam ad Curiam accedentium, ex ea rece-

dentium, vel in ea commorantium offenſores quando excommunicationem incurrant. 197
Romipetarum offenſores quando incurrant excommunicationem. 200

S

SAcerdos quando teneatur celebrare. 50
Sacramentum quid ſit. 3
Ejus materia proxima, & remota. 4
Ejus forma. 5
Ejus miniſter. 7
Ejus ſubjectum. 9
Ejus effectus quis, & quotuplex ſit. 11
Moribundo quod, & quando conferatur licite. 10
Sacramenta vivorum, & mortuorum quæ ſint. 12
Quando cauſent gratiam. 13
Quæ, & quando prohibeantur interdictis. 239
Quibus, & quando privetur excommunicatus, ut miniſtret, vel recipiat. 163
Ea miniſtrans, aut recipiens excommunicatus, vel alter ipſi miniſtrans, aut ab eo recipiens quas pœnas incurrat. 171
Sacramentalia quomodo, & quando ſint impetratoria. 142
Sacris quando excommunicatus privetur, cum aliis, & alii cum ipſo. 165
Satisfactio quæ ſit, ejuſque effectus. 61
Ejus injunctio. 70
Non acceptata, vel non adimpleta, vel notabiliter dilata quando ſit peccatum. 62
Injuncta ab uno Confeſſario quando poſſit mutari ab alio. 71
Quando remittat partem pœnæ temporalis. 75
Schiſma quid ſit, & quando excommunicationi ſubjiciatur. 185
Sepelientes excommunicatum in loco ſacro quas pœnas, & quando incurrant. 173
Sepultura Eccleſiaſtica quis, & quando privetur tempore interdicti. 241
Sepultura Eccleſiaſtica quando privetur interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ. 241
Servitus quando inducat Irregularitatem. 262
Sigillum Sacramentale quod ſit, & quando frangatur. 72

Spon-

Sponſalia quæ ſint, & quando ex eis oriatur obligatio contrahendi matrimonii. 100
Statuta Eccleſiæ præcipua quæ ſint 96
Statuta facientes contra libertatem Eccleſiaſticam quando incurrant excommunicationem. 217
Stipendium pro Miſſa quando accipiatur licite. 52
Suffragiis quibus privetur excommunicatus. 161
Suſpenſio quæ, & quotuplex ſit. 228
Suſpenſio ab officio de quo actu intelligatur. 229
Suſpenſionis violatio cui pœnæ ſubjiciatur. 232
Suſpenſus a beneficio an, & quando privetur alimentis. 231
Suſpenſiones Papæ reſervatæ. 302
Suſpenſiones non reſervatæ. 311

T

TRibunal ad laicale trahentes Eccleſiaſticos quando incurrant excommunicationem. 215

V

VEctigal novum imponentes, vel exigentes quando incurrant excommunicationem. 191
Victualium delatio ad infideles quando ſubjiciatur excommunicationi. 194
Victualium impeditio ad Curiam Romanam quando ſubjiciatur excommunicationi. 195
Vis, & metus quando dirimat matrimonium.
Unctio extrema. 79
Ejus materia quæ ſit, & quando ſit valida. 79
Ejus forma quæ ſit, & quando ſit valida. 80
Ejus miniſter quis ſit, & quando teneatur. 82
Cui, & quando conferatur valide, ac licite. 84
Ejus ritus. 85
Ejus ritus omiſſus quando ſit peccatum. 86
Quando poſſit iterari. 86
Ejus effectus qui ſint, & quando producantur. 88
Votum caſtitatis quando dirimat matrimonium. 110

F I N I S.

BIBLIOTECA VITTORIO EMANUELE IN ROMA

SECUNDÆ ARTIS

Tractatunm, ac Capitum

INDEX.

TRACTATUS PRIMUS.

De Sacramento in genere. pag. 5
Cap. I De Sacramenti materia. ibid.
Cap. II. De Sacramenti forma. 7
Cap. III. De Sacramenti Miniſtro. 8
Cap. IV. De Sacramenti ſubjecto. 11
Cap. V. De Sacramenti effectu. 12

TRACTATUS II.

De Baptiſmo. 16
Cap. I. De Baptiſmi neceſſitate. ibid.
Cap. II. De Baptiſmi materia. 17
Cap. III. De Baptiſmi forma. 20
Cap. IV. De Baptiſmi Miniſtro. 21
Cap. V. De Baptiſmi ſubjecto. 23
Cap. VI. De Baptiſmi Patrino. 24
Cap. VII. De Baptiſmi effectu. 26

APPENDIX.

De Martyrio. 27

TRACTATUS III.

De Confirmatione. 29
Cap. I. De Confirmationis materia. ibid.
Cap. II. De Confirmationis forma. 30
Cap. III. De Confirmationis Miniſtro. 32
Cap. IV. De Confirmationis ſubjecto. 33
Cap. V. De Confirmationis Patrino. 34
Cap. VI. De Confirmationis effectu. 35

TRACTATUS IV.

De Euchariſtia. 36
Cap. I. De Euchariſtiæ materia. ibid.
Cap. II. De Euchariſtiæ forma. 38
Cap. III. De Euchariſtiæ Miniſtro. 41
Cap. IV. De Euchariſtiæ ſubjecto. 43
Cap. V. De Euchariſtiæ effectu. 44
Cap. VI. De Miſſæ Sacrificio. 46
Cap. VII. De Miſſæ Miniſtro. 48
Cap. VIII. De Miſſæ obligatione. 50
Cap. IX. Miſſæ ſtipendio. 52

TRA-

TRACTATUS V.

De Pœnitentia. 54
Cap. I. De Pœnitentiæ neceſſitate. ibid.
Cap. II. De Pœnitentiæ materia. 55
Cap. III. De Pœnitentiæ forma. 63
Cap. IV. De Pœnitentiæ Miniſtro. 64
Cap. V. De Pœnitentiæ ſubjecto. 74
Cap. VI. Pœnitentiæ effectibus. 75

APPENDIX.

De Indulgentiis.

TRACTATUS VI.

De Extrema Unctione. 79
Cap. I. De extremæ Unctionis materia. ibid.
Cap. II. De extremæ Unctionis forma. 80
Cap. III. De extremæ Unctionis Miniſtro. 82
Cap. IV. De extremæ Unctionis ſubjecto. 83
Cap. V. De extremæ Unctionis ritu. 85
Cap. VI. De extremæ Unctionis iteratione. 86
Cap. VII. De extremæ Unctionis effectibus. 88

TRACTATUS VII.

De Ordine. 89
Cap. I. De Ordinis materia. 90
Cap. II. De Ordinis forma. 91
Cap. III. De Ordinis Miniſtro. 92
Cap. IV. De Ordinis ſubjecto. 95
Cap. V. De Ordinis effectu. 96
Cap. VI. De Ordinis Officio. 98

TRACTATUS VIII.

De Matrimonio. 99
Cap. I. De Sponſalibus. ibid.
Cap. II. De Denunciationibus. 100
Cap. III. De Matrimonii eſſentia. 102
Cap. IV. De Matrimonii impedimentiis impedientibus. 105
Cap. V. De Matrimonii impedimentis dirimetibus. 107
Cap. VI. De Matrimonii revalidatione. 130
Cap. VII. De Matrimonii debito. 132
Cap. VIII. De Matrimonii uſo. 134
Cap. IX. De actibus extra Matrimonii uſum. 136
Cap. X. De Matrimonii effectu. 137
Cap. XI. De Divortio. 139

APPENDIX.

De Sacramentalibus. 141

TER-

TERTIÆ PARTIS

Tractatuum, ac Capitum

INDEX.

TRACTATUS PRIMUS.

De Cenſura in genere. pag. 144
Cap. I. De Cenſuræ ſententia. ibid.
Cap. II. De Cenſuræ latore. 146
Cap. III. De Cenſuræ ſubjecto. 148
Cap. IV. De Cenſuræ cauſſa. 150
Cap. V. De Cenſuræ effectu. 151
Cap. VI. De Cenſuræ abſolutione. 153

TRACTATUS II.

De Excommunicatione. 159
Cap. I. De Excommunicationis differentiis. ibid.
Cap. II. De Excommunicationis effectibus. 161
Cap. III. De Excommunicationis violatione. 169
Cap. IV. De Excuſatione a communicatione cum vitando. 175

APPENDIX PRIMA.

De Excommunicatione ob percuſſionem Clerici, vel Monachi. 177

APPENDIX SECUNDA.

De Excommunicationibus contentis in Bulla Cœnæ. 181

TRACTATUS III.

De Suſpenſione. 245
Cap. I De Suſpenſione ab officio. ibid.
Cap. II. De Suſpenſione a beneficio. 247
Cap. III. De Suſpenſionis violatione. 248

APPENDIX.

De Degradatione, ac depoſitione. 250

TRACTATUS IV.

De Interdicto. 234
Cap. I. De Interdicto locali. ibid.
Cap. II. De Interdicto perſonali. 236
Cap. III. De Interdicti effectibus. 238
Cap. IV. De Interdicto ab ingreſſu Eccleſiæ. 242
Cap. V. De Interdicti violatione. 243

APPENDIX PRIMA.

De Ceſſatione a divinis. 245

AP-

APPENDIX SECUNDA.

De Eccleſiæ pollutione. 247

TRACTATUS V.

De Irregularitatibus. 250
Cap. I. De Irregularitatis exiſtentia. ibid.
Cap. II. De Irregularitatis ſubjecto. 251
Cap. III. De Irregularitatibus ex delicto. 252
Cap. IV. De Irregularitatibus ex defectu. 259
Cap. V. De Irregularitatis incurſu. 267
Cap. VI. De Irregularitatis effectibus. 268
Cap. VII. De Irregularitatis ceſſatione. 270
Cap. VIII. De Irregularitatis diſpenſatione. 272
Collectio Cenſurarum in Jure contentarum. 274
Excommunicationes Papæ reſervatæ. 277
Excommunicationes non reſervatæ. 281
Suſpenſiones Papæ reſervatæ. 302
Suſpenſiones non reſervatæ. 311
Interdicta reſervata, & non reſervata. 315
Irregularitates ſtatutæ in Jure. 321
Sex Caſus Papæ ſpecialiter reſervati intra Italiam juxta ſuperius dicta de Pœnitentia. 323
Caſus, quos poſſunt ſibi reſervare Superiores Regularium juxta Decretum Clementis VIII. relatum inter Conſtitutiones Urbani VIII. in Bullario tom. 4. pag. mihi 43. incipiens *Sanctiſſimus Dominus*. 324
Propoſitiones damnatæ ab Alexandro VII. ibid.
Propoſitiones damnatæ ab Innocentio XI. 331
Propoſitiones damnatæ ab Alexandro VIII. 365

1430.1657

Digitized by Google